Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Friedrich Balduin

# Prophetia Apostolica, hoc est, S. Apostoli Pauli Utraq[ue] Epistola Ad Thessalonicenses, Commentario perspicuo illustrata : In quo praeter Analysin, Explicationem & Paraphrasin textus, multiplices Commonefactiones ex textu eruuntur .... Cum Textu Graeco-latino ...

Wittebergae: Wittebergae: Helwigius: Hake, 1627

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767067223**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Pr. 286 p. Fnd
Pr. 264 p. Fnd
Pr. 244 p
188 p. Fnd
Pr. 716 p. Fnd.

49. C. 5.

1 Bürgel

L. d. 1044 1-4.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767067223/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767067223/phys_0005
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767067223/phys_0007
DFG

Prophetia Apostolica,
*hoc est,*

# S. Apostoli Pauli
Utraq; Epistola

# AD THESSALONICENSES,

*COMMENTARIO perspicuo illustrata:*

**In quo præter Analysin, Explicationem & Paraphrasin** textus, multiplices Commonefactiones ex textu eruuntur,

***ET QVÆSTIONIBUS CONTROVERSIS benè multis*** *fundamenta sanæ doctrinæ monstrantur,*

Cum Textu Græco-latino, & Indice triplici: quorum unus est Dictorum Scripturæ; alter Qvæstionum explicatarum: tertius Rerum & Verborum.

*Autore*

**FRIDERICO BALDUINO, SS. Theologiæ** Doctore, Professore, Pastore ac Superintendente in Academiâ Wittebergensi.

*Cum Gratia & Privilegio Electorali Saxonico.*

*WITTEBERGÆ,*

Sumtibus Pauli Helwigii, Typis Johannis Haken, Anno M. DC. XXVII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767067223/phys_0009
DFG

*MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS & PRUDENTISSIMIS VIRIS,*

# DNN. CONSULIBUS, ET SENATORIBUS INCLYTÆ PENtapoleos BRUNSUICENSIS, Dominis & Fautoribus suis, singulari studio & honore prosequendis

*Gratiam ac pacem à Deo Patre per Jesum Christum in Spiritu Sancto ex animi sententia precor.*

MAGNIFICI, AMPLISSIMI & PRUdentissimi Viri Domini & Fautores honorandi,

HAbet hoc plerumque bellum præ alijs iræ divinæ speciebus peculiare, quod, quam plurimi hominum ordines de incommodis eius conquerantur. Nemo enim ferè est, ne quidem ijs, qui alias militiâ delectantur exceptis, quem non siderea ista calamitas quodammodo afficiet, Mercatores dolent mutuos ne-

gotiantium commeatus intercipi, dum viarum publicarum usus in militum est potestate; Nemo tam à cura adeo alienus est, qui non terrarum optimarum depopulationes deploret, nam quæ regio ante bellum erat quasi hortus voluptatis; ea postea fit solitudo deserti. Colonus luget spes suas per militem interceptas. Nam ut poëta canit

*Non ullus aratro*
*Dignus honos, squalent abductis arva colonis*
*Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.*

Virg. lib. 1. Georg.

Qui pacem amant inprimis bella detestantur præsertim ea, in quibus cives & domestici in propria quasi viscera sæviunt, quod malum, Poëta Venusius eleganter depinxit his versiculis:

Horat. Oda 7. Epod.

*Quo quo scelesti ruitis? aut cur dexteris*
*Aptantur enses conditi?*
*Parumne campis, atq; Neptuno super*
*Fusum est Latini sanguinis?*
*Neq; hic lupis mos, nec fuit leonibus*
*Unquam; nisi in dispar feris.*
*Furorne cæcus, an rapit vis acrior?*
*An culpa? responsum date.*

Ipsi denique milites sortem suam non raro damnare coguntur, quod ad prædas &

rapinas

rapinas ad adulteria homicidia & blasphemias precio se conduci patiuntur. Etsi enim vitia hæc in milite nemo laudat, neque propterea bella geruntur: nullum tamen bellum est, in quo non talia & multo detestabiliora frequententur. Nam ut Seneca in Hercule furente scribit;

*Arma non servant modum,*
*Nec temperari facilè, nec exprimi potest,*
*Stricti ensis ira: bella delectat cruor.*

Præ alijs omnibus autem belli damna sentiunt, qui studijs bonarum artium ac literarum sunt addicti. Nam ubi Mars in aliquo loco quasi insenuit, trahit secum barbariem & ignorantiam, non quasi victas in triumpho, sed nimis liberas & ferocientes, adeo, ut inter arma non tantum leges sileant, verùm etiam eruditæ literæ conticescant. Devastantur provinciæ, exhauriuntur incolarum opes, necessaria studiorum subtrahuntur subsidia, Academiarum fit vastitas, ardor discentium extinguitur, sunt Musæ mulæ, & ab effreni milite alto supercilio contemnuntur: Unde nihil aliud exspectandum est, quàm maxima hominum eruditorum, qui ad clavum Ecclesiæ ac Reipublicæ sedeant, imò etiam mediocriter tantum alios

doceant aut regant raritas. Hanc fundi sui calamitatem hactenus, proh dolor! sic satis experta est dulcissima patria nostra Germania (ut de alijs regnis ac provincijs nihil dicam,) in octennali illo bello, quod justissimus DEUS, horrenda mole nostrorum peccatorum incitatus, cervicibus nostris impendere voluit: Quod quàm multas nobilissimas provincias exhauserit, quàm multos ad extremam paupertatem redegerit, scholas & Academias vastârit, multa præclara ingenia ab aratro studiorum suorum revocârit, negare nemo potest, deplorare omnibus licet, Quod malum non tantùm hanc præsentem tangit ætatem: Sed metuendum, ne illud, si qua futura est posteritas, omnium maximè sentiat. Proinde verâ pœnitentiâ orandus Deus est, ut propter filium suum populi sui misereatur, & vel tandem cruentæ hujus calamitatis finem faciat, suumque Ecclesijs orthodoxis Rebuspublicis & Academijs florem ac vigorem restituat. O mucro Domini, usquequo non requiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare & sile. Justissimas has querelas in sinum vestrum effundo Viri Magni-

*Jerem. 47.*

fici, Ampliſsimi & Prudentiſsimi, dum jam meditationes meas, in utramque epiſtolam Pauli ampliſsimæ Theſſalonicenſium Reipublicæ inſcriptam edo, nam & ipſi calamitatis hujus bellicæ, pro paterna DEI voluntate participes facti ob vicinum malum fuiſtis, & ipſa editio, ob eandem calamitatem, quæ bibliopolarum ſcrinia expilavit, & commeatus ac commertia attenuavit in annos penè multos impedita fuit.

Sat cito autem, ſi ſat benè, quod futurum ſpero, ſi lector benevolus ex præcedentium Epiſtolarum commentatione recollegerit, me his meis laboribus nihil aliud quàm DEI gloriam & Eccleſiæ utilitatem quæſiviſſe: quam ob cauſam mediocre adhibui ſtudium, ut genuinum Apoſtoli Pauli ſenſum aſſequerer, lectori benevolo fideliter communicarem, ab omnibus minus rectè ſentientium corruptelis purgarem, & quomodo tàm in διδασκαλία quàm in ἐλέγχῳ ad uſum Eccleſiæ accomodari queat, oſtenderem, nihil dubitans. Quin Deus huic etiam labori ex pio veritatis cupido animo profecto, gratiam & benedictionem divinitus ſit aſpiraturus.

Sub

Sub Vestris verò auspicijs libellum hunc emitto in publicum, non tantùm quia præcedentium epistolarum Commentarios Rebuspublicis nobilioribus inscripsi, à quibus etiam humaniter fuerunt excepti: Verùm etiam quia vos, vel quoad pietatem, vel quoad prudentiam, vel quoad opes & res præclarè gestas Thessalonicensibus minimè ceditis. Nam ut Thessalonicensium ita & vestra fides orthodoxa & in ea constantia toti orbi christiano jam pridem innotuit. Vos magnis sumtibus alitis Doctores in decem templis ac tribus scholis penè multos, & non nisi tales, quorum fides, pietas, ardor & Zelus in corruptã religionem ut & dexteritas in docendo plurimis est conspicua. Hoc ipso anno seculum integrum excurrit, quo puritas religionis Evangelicæ à fermento Papistico expurgata apud vos florere cæpit, Diaconis vestris frustra reclamantibus, pastoribus Pontificijs sincerius docentibus, & abusus Pontificios taxantibus, ubi populus magno ardore & Zelo puriorem doctrinam excipiens, apud Senatum assiduis interpellationibus & precibus institit, ne invidine pastorum removeri ex urbe & pelli Diaconos suos petentium

gratifi-

gratificaretur, sed liberam veræ Evangelij doctrinæ prædicationem, Exemplo vicinæ Civitatis Magdeburgensis non impediret. Quibus fundamentis veræ doctrinæ jactis sequenti anno videlicet 1528. opera D. Johannis Bugenhagij Pomerani, Ecclesiæ plena reformatio suscepta pastores orthodoxi instituti & ordinatio Ecclesiastica conscripta fuit: à quo tempore integritas fidei vestræ in hunc usque diem passim ubique celebrata fuit. Summum insuper decus addit Ecclesiæ vestræ, quod magnum illud Theologorum lumen D. Martinus Chemnitius, apud vos domicilium suum habuit, ex quo, tanquam ex propugnaculo aliquo, per Examen concilij Tridentini & alia scripta antipapistica antichristum feliciter impugnavit, eaque tatione Ecclesias vestras multis modis nobilitavit: Quod in præcipua felicitatis vestræ parte rectè judicantes, meritò ponunt. Si Rempublicam vestram considerem, in ea prudentia cum fortitudine ita certat, ut palma fiat ambigua. Nam sicuti bonis legibus, & honestâ disciplinâ, cives in officio continetis, & virtutum omnem florem intemeratum apud vos conservatis; Ita

*Chytræus in Saxon. lib. 12.*

unà cum civibus non semel ostendistis defensionem patriæ vobis ipsâ vitâ chariorem esse, id quod nominis vestri immortalitatem jam pridem apud exteros etiam peperit. Hac fide, pietate & virtutibus conspicuis viris meritò committitur quod alicubi earum esse potest. Accedit autem privata causa, cur hunc libellum, in sinum quasi vestrum deponam. Recordor enim, quod ante hoc triennium, me, quamvis indignum, Ecclesiæ vestræ Superintendentem expetivistis, cui etiam desiderio vestro satisfeciissem, si mei juris & valetudinis aliquanto firmioris fuissem. Cum autem Serenissimus Elector Saxoniæ, Dominus meus clementissimus, cui multis nominibus obstrictus sum, me ex hac statione, in qua nunc vivo, dimittere noluerit, Utrique nostrum patienter acquiescendum fuit. Meum autem erat tam præclarum vestrum in me affectum, non agnoscere tantum, sed & deprædicare, quam ob causam libellum hunc, meæ erga vos voluntatis testem & observantiæ præcem ad vos mitto, summopere contendens, ut eum sereno vultu aspiciatis, &

animo benevolo excipiatis. Ita Deus Rempub. vestram, & vos omnes in ea in his conclamatis temporibus ac omni periculo tutos præstet, in flore conservet, omniqúe benedictione corporis ac animi largissimè coronet. Valete, Wittebergæ in lectulo doloris mei dictabam 15. Aprilis Anno 1627.

*A. V. M.*

*studiosiss.*

Fridericus Balduinus D.




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767067223/phys_0020
DFG

IN NOMINE
# PATRIS FILII ET SPIRITUS SANCTI
AMEN.

Παῦλε πρὸς Ἀποστόλε ἡ πρὸς Θεσσαλονικᾶς ἐπιστολὴ πρώτη.

PAuli Apostoli ad Thessalonicenses Epistola prior.

*Argumentum, Occasio, & Partitio Epistolæ.*

EPISTOLA hæc in Scripturis Novi Testamenti primum ferè locum obtinet. Nam cum ea scriberetur, nihil adhuc vel ab Evangelistis, vel ab Apostolis scriptum erat, præter Epistolam synodicam, quam Apostoli Hierosolymis congregati ad gentes emiserunt Act. 15, 23. & tamen Divus Paulus hactenus annis ferè septendecim Evangelium vivâ voce docuit inter gentes: id quod Irenæus *lib. 4. adverſ. hæreſ. cap. 41.* in magnâ & Apostoli & gentilium conversorum laude ponit. *Generosior* enim (inquit) *fides*

*gentium ostenditur, sermonem Dei assequentium sine instructione scripturarum.* Thessalonicenses igitur hoc honore primùm omnium digni fuerunt judicati, apud quos D. Paulus doctrinam suam scripto repeteret, & quasi manu propria confirmaret; quod factum circa annum Claudij octavum, Christi quinquagesimũ, Pauli conversi decimum septimum. Est autem Thessalonica urbs maritima, &, ut quibusdã placet, metropolis Macedoniæ, cui Philippis tribntaria, ut Theophylactus in argumento Epistolæ ad Philippenses scribit. Theodoretus *lib. 15. hist. Eccl. 17.* vocat eam primariam urbem Achaiæ, Thessaliæ, aliarumq; gentium, quæ Illyrio subjiciuntur. Plinius addit, eam in medio flexu littoris Macedonici sitam, & liberæ fuisse conditionis *lib. 4. hist. natur. cap. 10.* In hac Civitate erat nobilis & frequens Judæorum Synagoga, quam Paulus cum Sila post peragratam Amphipolin & Apolloniam ingressus, docuit ibi Evangelium de Christo, partim amore gentis, pro qua anathema fieri cupiebat, *Rom. 9, 1.* partim studio provehendi regni Christi. Et quia Judæi scripta Mosis & Prophetarum in Synagogis suis legebant: ex illis per

*Thessalonica.*

*Occasio Epistolæ.*

tria

tria sabbata disseruit de Christi officio, inprimis autẽ de morte ejus & resurrectione à mortuis: idq; tam felici cum successu, ut multi ex Judæis Paulo & Silæ se adjungerent, quamplurimi etiam ex gentilitate, inter quos & mulieres erant nobiles non paucæ, converterentur. Hæc erant præclara initia Ecclesiæ Thessalonicensis, quæ sua subinde incrementa faciebant, quam ob causam Paulus fidem ejus in hac Epistola mirificè prædicavit. Sed & hîc non sine turbis expellebatur Satan. Nam Judæi quidam intempestivi Zelotæ, Evangelio Christi hanc felicitatem invidebant, plebeq; concitatâ irruebant in domum cujusdam Jasonis, quærentes Paulum & Silam, qui ibi diverterant, quos cum non invenissent, ipsum hospitem & alios quosdam pios viros furiosè rapiebant ad Magistratum, accusantes eos seditionis, quippe qui alium regem, quàm Cæsarem, nimirum Jesum Christum agnoscerent. Magistratus autem, re cognitâ, dimisit eos. Fratres autem noctu miserunt Paulum & Silam in Beræam vicinum opidum, ne in furiosorum manus inciderent. Sed cum ibi etiam feliciter prædicarent Evangelium, à Judæis

exturbati sunt, ita ut Paulus, qui inprimis petebatur, relictis Berææ, Sila & Timotheo, Athenas se conferre cogeretur: de quibus omnibus legatur *Act. 17.*

Hìc ergo cum substitisset Apostolus aliquandiu, vehementer metuebat, ne Thessalonicenses periculis & persequutionibus suis territi, Evangelium recens receptum abjicerent, ideò Timotheum primùm ad ipsos misit, qui in fide ipsos confirmaret ac solaretur, ut ex cap. 3. v. 2. hujus Epistolæ constat. Qui, cum ad Paulum rediisset, constantiamq; Thessalonicensium retulisset, una cum defectibus nonnullis, qui correctione indigebant, Paulus singulari perfusus lætitiâ hanc ad ipsos Epistolam exaravit, in qua ad constantiam eos hortatur, præmissa commendatione fidei & pietatis ipsorum, quam singulariter laudat, ut his laudibus ad perseverandum alacriores redderet; deiis etiam, in quibus nondum rectè erant eruditi, ita ipsos instruit, ut & erroneas opiniones de resurrectione mortuorum, de adventu Christi ultimo, & similia, deponerent, & in vitæ probitate feliciſſimè ædificarentur. Duplici ergo de causa hanc scripsit epistolam.

(1.) ut brevi repetitione vocaret eis in memoriam doctrinam, quam præsens vivâ voce tradiderat, & in ejus perseverantia ipsos confirmaret, cap. 3, 2. (2) ut impleret ea, quæ deerant fidei eorum, quod hactenus propter persecutionem coràm facere non potuit. Quos duos generales omnium Epistolarum Paulinarum fines esse, scribit Nicephorus *lib. 2. hist. cap. 43.* Scripsit & hanc & sequentem Athenis, quò Silam & Timotheum ad se vocavit. *Act. 17, 15.* idq; patet ex subscriptione utriusq; Epistolæ: Sunt tamen qui Corinthi eas scriptas existimant, propterea quòd Athenis non diu hæserit Paulus; & quod Timotheum & Silam non Athenas ad Paulum, sed Corinthum veniisse, ibiq; cum eo aliquandiu fuisse, constat ex Act. 18.

*Quare scripta hæc Epistola.*

*Vbi scripta.*

Dispescimus autem totam hanc Epistolam in duas partes. Prima *tribus capitibus hortatur ad perseverantiam in fide, quam partem commendatione sui studii, & obsequij ipsorum amplificat, & hujusmodi elogiis currentes magis magisq; incitat.* Solent enim generosi animi laude magnoperè moveri, ut quod jam faciunt, deinceps etiam facere pergant. Postremis *duobus capitibus hortatur*

*Partitio Epistolæ.*

*ad vitæ morumq; sanctitatem, ita, ut eos simul de necessariis instruat, quæ deesse ipsis cognoverat.* Hoc ordine Epistolam hanc tractabimus; Deum venerantes supplices, ut Spiritu sapientiæ & pietatis nobis adsit, ad proferendum ea, quæ nomini suo glorioſa sunt, & nobis omnibus salutaria, Amen.

## CAPUT I.

## ARGUMENTUM ET PARTITIO.

*Lenum est hoc Caput suavissimis affectibus, quos Rhetores ἤθη vocant. Nam Paulus ob doctrinam Evangelij in periculo constitutus, quàm mollissimè tractare voluit Thessalonicenses, ad fidem Christi recens conversos, ne animum despondeant, & fidem Christi, quæ tot adversis est expositæ, deserant. Idcirco laudat ipsorum in fide & pietate profectum, & ut in hoc curriculo fideliter pergant, & constanter persistant, paternè hortatur. Etsi autem omnia arctissimè cohærent in hoc capite, possumus tamen illud docendi causa, in duas dispescere partes:*

I. Primùm, quid inprimis in ipsis laude dignum censeat, exponit usq; ad v. 4.

II. Deinde, ut in ijs constantes perseverent, gravissimis argumentis hortatur à ver. 4. usq; ad fin. cap.

Παῦλος καὶ Σιλουανὸς καὶ Τιμόθεος, τῇ ἐκκλησίᾳ Θεσσαλονικέων, ἐν Θεῷ Πατρὶ, καὶ Κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ. Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς ἡμῶν, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Εὐχαριστοῦμεν τῷ Θεῷ πάντοτε περὶ πάντων ὑμῶν, μνείαν ὑμῶν ποιούμενοι ἐπὶ τῶν προσευχῶν ἡμῶν ἀδιαλείπτως.

Μνημονεύοντες ὑμῶν τοῦ ἔργου τῆς πίστεως, καὶ τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης, καὶ τῆς ὑπομονῆς τῆς ἐλπίδος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν.

PAulus & Silvanus & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, in DEO Patre & Domino Jesu Christo. Gratia vobis & pax à DEO Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

2. Gratias agimus DEO semper de omnibus vobis, mentionem vestri facientes in precibus nostris indesinenter.

3. Memores vestri, propter opus fidei, ac laborem charitatis, & quod permansistis in spe Domini nostri Jesu Christi, coram Deo & Patre nostro.

## I. PARS.

*IN subscriptione nomen Pauli primo reperitur, ne quis de Canonicâ autoritate hujus Epistolæ dubitet. Nam cum à Paulo proficiscatur, electo illo Dei organo, Doctore gentium in fide & veritate, qui cum Christo in tertio fuit cœlo, ubi ἄρρητα audivit, à quo & gentium Apostolus fuit constitutus, nemo certè hujus scripti autoritatem in dubium vocare ausit. Ideò Paulus ipse proprio suo nomine omnes suas signavit epistolas, ut ex* 2. Thessal. 3, 17. *colligitur, & res ipsa docet, cum de iis, quæ nomen hoc præscriptum habent, nunquam fuerit dubitatum, quod Apostolum Paulum autorem habeant, & quod ἀναμφιλέκτως ἐνδιάθηκοι sint:*

Act. 9, 26.

2. Cor. 11.

[*Tertullian. scribit authenticas Epistolas, Pauli manu subscriptas in illis Ecclesiis, quibus inscriptæ erant, suo tempore asservatas fuisse,* lib. 1. de præscript. hæret.]

*Epistо-*

*Epistolam verò ad Hebræos, eò quod nomen hoc præscriptum non habet, plerig ex latinis Patribus ad alium autorem retulerunt, & scripti τῦ ἀνυπλεγέμφου appellarunt, teste Eusebio* lib. 3. hist. Eccles. cap. 3. *Omisit autem Paulus Apostoli nomen, quia eo non fuit usus, nisi cum vel de autoritate ejus dubitabatur, vel singulare quid disponendum erat in Ecclesia, qno apud Thessalonicenses, quorum virtutes tantoperè commendat, opus haud erat.*

Observatio.

*Quoties ergò Pauli nomen in frontispicio suarum Epistolarum legimus, non tantum de admirandâ Dei misericordiâ cogitemus, qui ex persecutore tam crudeli Ecclesiæ suæ, minas & cædem spirante, tam insignem fecit Apostolum, quod ipse, ut singulare exemplum misericordiæ divinæ prædicat,* 1. Tim. 1, 13. *verùm etiam scripta ejus amemus, tanquam ἀυτόπιστα, & infallibilem autoritatem habentia.*

[ *Epistolas Pauli omnes rejecit Ebion Iren. lib. 1. cap. 2. Euseb. lib. 3. cap. 27. Hunc secuti sunt Helcesaitæ tempore Philippi Augusti, primi Christiani Imperatoris Euseb.* lib. 6. cap. 27. *Alii respuebant eas tantum quas maximè dogmatibus suis infestas videbant, ut Encratitæ, Servetiani, Marcionitæ, Manichæi, Ariani, Aetiani &c. Encratitæ epistolam ad Titum & Timotheum, Arius epistolam ad Hebræos, Marcion duas ad Timotheum, ad Titum & ad Hebræos.* ]

*Ab ea enim sunt profecta, qui testimonium accepit cælitus, quod portaverit nomen Christi coram gentibus & regibus, & filiis Israel Act. 9, 15. Ergo scripta quoq; ejus erunt θεόπνευστα, & omninò talia, quibus absq; læsione majestatis divinæ fidei derogari nequit.*

*Socios in subscriptione adscisit Paulus Silvanum &*

*Timo-*

*Timotheum, viros illius temporis celeberrimos, Paulinorum itinerum & periculorum comites, præclari nominis doctores, quos itidem honorifica mentione conjungit Paulus* 2. Corinth. 1, 19. *ut doctores Ecclesiæ Conrinthiacæ. Timotheus ex Epistolis paulinis est notissimus: Silvanus idem esse putatur qui Silas, quem Acta Apostolica commendant in concilio Hierosolymitano, unde legatus mittitur ad perferenda Ecclesiis decreta, de abrogatione legis ceremonialis* Act. 15, 22. *ubi & primus in fratribus vocatur: postea comes fuit, & collega Pauli, docens Evangelium Philippis, Thessalonicæ, Corinthi* Act. 16, 17. 18. *quem & Apostolus Petrus fidelem fratrem arbitratur,* 1. Pet. 4. 12. *Trium ergo Episcoporum nomina literæ hæ continent, scribit Ambros. in hunc locum, sed sensus & verba solius Apostoli sunt. Quia enim communi gaudio exultant in profectu illorum, ex consensu ad plebem epistola scribitur.*

*Exemplum hoc est primum concordiæ inter Ecclesiæ ministros necessariæ, sed valdè raræ in mundo: ubi ægrè inveniuntur tres ministri in omnibus consentientes, tantum valet* ἀυθάδεια *& singularitatis studium: quibus tanti Apostoli* ὁμοψηφία *cum alijs se longè minoribus pudorem incutere debebat. Semper enim locum habet illud Apostoli: Nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam facite, sed in humilitate superiores vos invicem arbitramini,* Phil. 2, 3. 2. *habemus exempla communis sive gaudij sive doloris in vicinis Ecclesijs, Decet enim in primis doctores Ecclesiæ affici supra contritione Ioseph, & fratribus succurrere consilio vel operâ, ubi necessitas postulat, vel ob successum felicem cum vicinis gaudere, eisque congratulari, exemplo Silvani & Timothei. Omnes enim particulares Ecclesiæ membra sunt unius corporis mystici sub uno capito Christo. Ideo commune debet gaudium &*

Observatio.

dolor esse, pro ut in membris corporis fieri solet, quod simile Paulus latius diduxit, 1. cor. 12, 14. seq.

Inscribitur hæc Epistola Ecclesiæ Thessalonicensium, quæ est in Deo patre, & Domino Jesu Christo v. 1. Ita vocat multitudinem eorum, qui per per verbum Apostoli ad fidem Christi conversi, patremq; in cœlis adepti erant: cum natura essent filij iræ Ephes. 2, 3. quos vocavit Deus ab idololatriâ gentilium ad agnitionem sui nominis, habet enim Ecclesia nomen ab evocando, seu à certo quodam cœtu segregando. Notanter autem vocat Ecclesiam in Deo Patre & Jesu Christo, ad discrimen synagogæ Iudaicæ, quæ Thessalonicæ erat valdè celebris. Ea etiam erat Ecclesia aliqua, sed non in Deo patre & Christo, sed contra ipsum, quia non in nomine Dei, sed Satanæ congregabantur, non ad propagationem, sed destructionem regni Christi.

Observatio. Observetur ergo hic nota veræ Ecclesiæ, quod nimirum sit congregatio fidelium in nomine Dei, h, e, à Deo facta per verbum, vivens juxta Dei voluntatem atq; nutum, ipsiq; soli fideliter serviens, & constanter confidens: Cui Ecclesiæ præsentiam suam promisit Christus Matth. 18. 20. In tali Ecclesia rectè colitur Deus, ibi focum & ignem suum habet, ibi nominis sui memoriale constituit, ibi Christi meritum vivit, rectè tractatur & applicatur, ideo Ecclesia in Deo & Christo Jesu esse, dicitur: vicissim Ecclesia malignantium est, ubi vel neq; de Deo neq; de Christi persona ac merito rectè docetur, vel Dei voluntas meritumq; Christi improbitate vitæ pedibus conculcatur. Fieri enim non potest, quin veram Dei & Christi agnitionem pia quoq; vita, si non apud omnes, (semper enim Zizania sunt admixta tritico) plerosq; tamen sequatur: quia malè vivitur, ubi de Deo non benè creditur inquit Augustinus lib. 5. de civ. Dei cap. 10. Ergo veram fidē

piam

piam quoq; vitã sequi credibile est. 2. Observetur testimoniũ trium personarum Trinitatis: quia Deus & Christus hic introducuntur, ut fundatores Ecclesiæ Thessalonicensium, à quibus Spiritus S. non potest excludi, quippe qui per Apostolum locutus est. Ejus autem est condere Ecclesiam, cujus est dare verbum & Sacramentũ, ex quibus nascitur Ecclesia: utrumq; proprium Dei munus est, qui hic secundum personas distinguitur, non in essentia divellitur, cum Deus & Christus Dominus seorsim nominatur. Huic Ecclesiæ gratiam à Deo Patre & Domino Jesu Christo precatur, usitato quidem voto, sed valde necessario. Semper enim opus habet Ecclesia gratiã Dei patris & pace Iesu Christi, alias non esset distincta à congregatione impiorum, qui extra gratiam Dei sunt, & pacem, quam Christus peperit, nihil curant. Ideo Christus Apostolis suis, qui tunc repræsentabant Ecclesiam veram, pacem suam relinquebat, tanquam infallibilem tesseram, qua discernebantur à mundo Joh. 14, 27. imò qua pace inimicitiam mundi contrahebant: Idcirco Christus pacem in ipso pressuræ mundi opponit Joh. 16, 33. Nam, ut Augustin: scribit (aut quicunq; libri illius autor est) in Quæst ex N.T. quæst. 92. Qui pacẽ suscipit Salvatoris, inimicitiã cõtrahet mũdi: niſi enim discordaverit cum diabolo, pacem non habebit cum Christo: nemo enim potest duobꝰ dominis servire, Christi pace munitus, omniũ adversariorum cõprimit tela.

Hactenus generale exordium Epistolæ: nunc ad rem ipsam accedit, atq; primum tres Cardinales Christianorum virtutes, Fidem, caritatem, Spem in Thessalonicensibus commendat v. 3. pro quibus Deo gratias agit, qui semina illa veræ pietatis in ipsis plantavit: preces quoq; se indesinenter ad Deum fundere pro ipsis scribit, ut nimirum, bonum illud opus, quod in ipsis incoavit, conservet, ne à fide deficiant aut in caritate

segnescant, sed in his præclaris virtutibus alijs Macedoniæ Ecclesijs facem præluceant, quod hactenus ab ipsis factum infratestatur vers. 7. Simili ferè Exordio utebatur ad Colossenses, pro quorum fide, unitate & patientia & gratias agebat, & precabatur, Col. 1, 3, 4, 5. Hic autem inprimis attendantur epitheta, quibus tres illas virtutes ornat. Fidem primo loco ponit, quia est fons bonorum operum, eamque vocat opus fidei non quasi respectu sui operis tantam commendationem & quasi primatum inter reliquas virtutes habeat; (eum enim à correlato suo Iesu Christo habet, quem quia apprehendit, ideo hominem fidelem Deoq; gratum facit) sed partim quia fides vera nunquam est otiosa, sed semper operatur, invocat Deum, confitetur nomen ejus, patientiam exercet in adversis, confidit Deo, animosum reddit hominem; partim quia fides est fons bonorum operum prius enim oportet hominem credere, quàm benè operetur, quidquid verò absq; fide est, peccatum est, Rom. 14, 13. & personam prius Deo gratam esse oportet, quam opera ejus grata fiant: absq; fide enim impossibile est, placere Deo, Heb. 11, 6. Ideo non dicitur fides operis, sed opus fidei. Alij ἔργον τῆς πίστεως idem esse putant, ac χάρισμα τῆς πίστεως sicut dona Spiritus Sancti dicuntur ejus opera. Sed Paulus hîc non originem, sed effectum virtutum harum cardinalium monstrare voluit. Fidem sequitur caritas, cui tribuit laborem. Caritas enim omnia suffert. 1. Cor. 13. quod sine labore ac molestiâ non est: non enim vivimus inter perfectos, sed inter infirmos homines, ubi monendo, corrigendo, condonando, juvando semper laborandum est. Notatur hîc natura & indoles veræ Caritatis Christianæ. Nam Caritas quæ non laborat, id est, quæ non multo conamine, etiam aliquâ cum molestiâ inservit proximo, inutilis est; vera autẽ caritas promptum paratumq;

reddit

reddit hominem ad qualiacunq; etiam officia, quæ ab ipso proficisci possunt, quin & animam pro fratre ponendã 1. Joh. 2, 16. ideo jubemur, non verbo neq; linguâ diligere, sed opere & veritate 1. Joh. 3, 18. Spei denicq; tribuit tolerantiam adversorum, quorum hæc vita plena est, quæ omnia superat spes piorum expectatione meliorîs boni & largæ retributionis promissæ in cœlo. Ideo de Mose scriptum, ipsum relictis thesauris Ægypti, improperium Christi sustinuisse, quia respexit in remunerationem Hebr. 11, 26.

Has virtutes ponit quasi in conspectum Dei, cum addit, ante Deum & Patrem nostrum, docens Deum esse inspectorem & remuneratorem omnium bonorum operum, qui fidelibq; suis benefacere potest, quia Deus est, & vult quia Pater.

Observemus hîc 1. Fidem Christianorum, quâ justificantur coram Deo, non esse ideam aliquam in mente, aut figmentum aliquod sine re, sed Apostolus noster vocat ἔργον πίστεως, opus fidei. Duplicitèr autem consideratur opus in fide: primum quatenus ipsa fides virtus est primi præcepti, & sic actio seu opus aliquod bonum: deinde quatenus bonorum operum quasi mater est, quæ à fidelibus proficiscuntur. Utroq; respectu distinguitur ab aliis operibus in lege præceptis. Nam alia opera, ut dilectio, patientia, beneficentia ex fide fluunt, & præstant aliquid Deo: fides autem accipit à Deo id quod in promissione Evangelii offertur: unde rectius passio quàm opus diceretur, in propriissimo suo officio considerata, quod est recipere Christum cum omni suo merito Joh. 1, 12. Justificamur enim fide quæ opus est, sed non quâ opus est, h, e, non tanquam merito, sed veluti medio ac instrumento, non efficiendo, sed applicando justitiam. Observatio 1.

2. Fidem individuos habere comites caritatem & patientiam. Vera namq; fides semper viva est, & operatur ad proxi- Observatio 2.

*mum, quem diligit homo fidelis, & omnibus pietatis officiis καθ δύναμιν prosequitur, sicut ipse dilectus est à Deo, quemadmodum scripum est: Carissimi si sic Deus dilexit nos, & nos debemus diligere invicem,* 1. Joh. 4, 11. *Hinc dicitur fides per caritatem esse* ἐνεργουμένη Gal. 5, 6. *non quidem ad justificationem hominis coram Deo, sed ad bona opera erga proximum: hinc Iacobus etiam inter fidem vivam & mortuam distinguit: fides non habens opera, mortua est in semetipsa: & sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Jac. 2, 17, 26. *Quemadmodum enim ex respiratione agnoscitur corpus vivere: sic ex operibus vera agnoscitur fides. Per calumniam ergo nobis affingitur à Bellarmino* lib. 4. de justif. cap. 1. *quasi existimemus, posse hominem salvari, etiamsi nulla bona opera nec mandata divina faciat. Nos ita non docemus, sed fidem cum operibus bonis semper conjungimus, in operando verò unicuiq; suam sphæram relinquimus. Fides enim sola est, quæ meritum Christi apprehendit, in qua apprehensione justitia nostra coram Deo existit: & opera bona vicissim sunt, quæ de fide testantur, quod vera atq; viva sit; illa facit justificationem; hæc sequuntur justificatum. Alter veræ fidei comes est, patientia. Fideles enim in mundo pressuram habent* Joh. 16, 33. *& persecutionem patiuntur,* 2. Tim. 3, 12. *hic ergo patientiâ opus est, ut voluntatem Dei facientes reportent promissionem* Heb. 10, 36. *Ideo Paulus pro Thessalonicensibus orat, ut dirigat Dominus corda ipsorum in caritate Dei & patientia Christi,* 2. Thessal 3, 5. *Hæ sunt ergo notæ fidelium, quam diu vivunt in mundo benè facere & malè audire, seu recta agere, & multa pati, quo in genere conformes sunt imagini Christi* Rom. 8, 9. *cui & aliquando conformabuntur in gloriâ* Col. 3, 4. 2. Tim. 2, 12.

3. *Observandum, Deum esse conscium omnium nostrarum*

*actio-*

*actionum & passionum; fiunt enim* coram Deo & Patre nostro, *ut Paulus loquitur. Quemadmodum ergo habent hoc nomine, quod sibi gratulentur verè pii, quod sciant, Deum numerasse omnes ipsorum virtutes, quin & lacrymas in uterum suum collegisse, quas largâ suo tempore compensabit retributione, etiam nil tale cogitantibus: ita vicissim terrori esse debet hypocritis, qui ficta pietate decipiunt alios, Deus autem est inspector cordium, & hypocrisin istam suo tempore manifestabit. Cave ergo, ne accesseris Deum duplici corde, nec fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labiis tuis, inquit Siracides* cap. 1, 27.

## PARAPHRASIS HUJUS PARTIS.

EGo Paulus Apostolus cũ Symmystis meis fidelissimis, Sylvano & Timotheo, Thessalonicensi Ecclesiæ, quæ unum agnoscit Deum in cœlis, qui est Pater Domini nostri Jesu Christi, gratuitum Dei favorem, & tranquillitatem conscientiæ precor. Quoties meas ad Deum preces fundo, grato animo recordor, quam benignè vobis Deus prospexerit, dum fide vivâ & nunquam otiosâ vos ornavit, caritate quoque sincera & officiosâ, ut & patientiâ verâ quæ spem suam habet in Deo Patre ac Domino nostro Jesu Christo, à quo liberationem expectat in adversis.

## QUÆSTIONES EX HAC PARTE CAPITIS.

### QUÆSTIO I.

Cum Apostolus scribat v. 2. se semper mentionem facere Thessalonicensium in precibus suis, quæritur, an etiam sanctorum defunctorum in precibus nostris rectè absq; peccato meminisse valeamus?

*Respons.*

*Resp. D. Paulus loquitur de sanctis viventibus, Ecclesiæ Thessalonicensis civibus, quorum necessitates in precibus nostris etiam nominatim Deo proponere licet. Sed ab his ad defunctos nostros amicos aut sanctos argumentari fas non est, quia non est eadem utrobiq; ratio. Illorum in precibus nostris mentionem absq; peccato facere semper possumus: in horum mentione ad errorem proclivis via est. Negari non potest, in primitiva Ecclesia post Apostolorum tempora sanctorum mentionem factam fuisse in sacris officiis, præsertim cum sacra celebraretur Eucharistia: sed ex illa consuetudine facta postea est idololatria, dum sancti illi, qui prius tantum ut membra veræ Ecclesiæ nominabantur, etiam invocabatur, quemadmodum in Papatu adhuc usitatum est. Sed hunc non fuisse finem istius nominationis, Augustinus testatur, qui* lib. 22. de Civ. Dei cap. 10. *scribit*: Martyres ad sacrificia cœnæ, sicut Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote, qui sacrificat, invocantur. *Alibi* Sanctos contristari scribit, si in ipsis spes ponatur: ideo nos à montibus, id est, à sanctis remittit ad Deum, qui fecit cœlum & terram lib. 20. Cont. Faustum cap. 21. *Et Maximo Madaurensi cultum martyrum objicienti Christianis, respondit* epist. 44. Scias à Christianis nullum coli mortuorum, nihil deniq; ut numen adorari, quod sit factum & conditum à Deo, sed unum ipsum Deum, qui fecit & condidit omnia. *In eandem sententiam scribit etiam Chrysostomus* homil. 12. in 1. ad Corinth. *Non opus patronis apud Deum, neq; multo discursu, sed licet solus sis, patronoq; careas, & per seipsum Deum preceris, omninò tamen voti compos eris. Hic ergo primus error est, cum ex no-*

*mina-*

*minatione sanctorum fit invocatio. Deinde erratur, cum defuncti nostri ideo in precibus nominantur, ut pro ipsorum necessitatibus in specie preces instituantur, aut liberatio à peccatis & peccatorum pœnis ipsis impetretur; quemadmodum in Papatu Sacrificulus in Missa defunctorum mentionem facit, ut peccata ipsorum expientur. In hunc finem veteres defunctorum in precibus suis non meminerunt, sed tantum, quia etiamnum post mortem erant veræ Ecclesiæ membra. Ita enim scribit Augustinus* lib. 20. de civ. Dei c. 9. Piorum animæ mortuorum non separantur ab Ecclesia, quæ etiamnum est regnum Christi, alioqui nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communione corporis Christi &c. Cur autem ista fiunt? quia fideles etiam defuncti membra ejus sunt. *Hoc sensu de matre quoq; sua scribit* lib. 9. Confess. cap. 13. *desiderasse ipsam mentionem sui ad altare fieri, cui nullius diei præteritione servierat. Interdum etiam ex pia sollicitudine pro suis orabant, ne peccata, quæ morientibus ipsis ex infirmitate adhærebant, ipsis imputentur, sed ex gratiâ propter Christum remittantur, non autem per Missarum sacrificia expientur: quo pacto Augustinus iterum l. d. de matre sua scribit:* Quanquam illa sic vixit, ut laudetur nomen suum in fide moribusq; ejus: non tamen audeo dicere, nullum verbum exijsse ab ore ejus contra præceptum tuum. Nunc itaque pro peccatis matris meæ deprecor te, exaudi me, per medicinam vulnerum tuorum, quæ pependit in cruce, & sedens ad dextram Dei interpellat pro nobis. *Ex his constat, quatenus mentionem pie defunctorum in precibus nostris fieri liceat vel non liceat. Non licet ut invocentur, aut ut ipsorum peccata precibus nostris expientur: licet autem, ut Deus ipsis sit propitius, nec peccato-*

*rum suorum amplius recordetur propter Christi meritum, & ut appareat, nos ex Christiana συμπαθείᾳ ipsis bene velle ac precari. Fuerunt enim (ut hoc de suo mihi largiatur D. Chemnitius* ex part. 3. Exam. fol. 92.) *Orationes pro mortuis non satisfactiones pro peccatis mortuorum, non redemtiones animarum ex igne Purgatorij: sed publicæ celebrationes, applicationes & obsignationes promissionum divinarum de remissione peccatorum, requie & salute piè defunctorum: fuerunt institutiones & exhortationes viventium: fuerunt consolationes & confirmationes lugentium, & fuerunt declarationes piarum affectionum animi erga defunctos. In hanc sententiam Apologia Augustanæ confessionis dicit:* nos non prohibere orationem pro mortuis. *Et Lutherus in Confessione sua dicit:* Pro mortuis, quia scriptura nihil meminit, existimo, non esse peccatum, ex libera devotione ita vel similiter orare, ut Deus animæ, si in tali statu sit, misereatur, utque satis sit, quando semel vel bis illud factum fuerit. Vigiliæ enim & Missæ pro animabus anniversariæ in Papatu prorsus inutilia sunt, imò sunt Diaboli nundinationes. *Hæc Lutherus.*

## QUÆSTIO II.

Tribuit Apostolus Paulus fidei opus v. 3. rectène hinc colligitur: Fides est opus: Nos justificamur fide: Ergo, justificamur opere?

*Rsp. Quo sensu fidei hic tribuatur ἔργον seu opus, in explicatione textus diximus, nempe, non quasi formalis ratio fidei consistat in opere, sed quia fides nunquam otiosa est, sed*

*semper*

semper operatur. Describuntur enim hoc in loco cardinales illæ virtutes; fides, caritas, spes, ab effectibus suis: fidei tribuitur ἔργον seu operatio, ideo Beza vertit efficacem fidem, caritati κόπος laboriositas, spei ὑπομονὴ patientia. Atq; sic non agitur hic de fide, quatenus justificat, sed quatenus in justificato efficax est, & operatur. Operatur autem diversimodè (1) erga Deum, dum pacatam reddit conscientiam, amorem erga Deum accendit, fiduciam facit accedendi ad Deum, obedientiam & perseverantiam in bono gignit. (2) erga proximum operatur concordiam & conjunctionem, animorum, fraternam dilectionem, &c: quæ virtutes non sunt in ijs, qui carent fide. (3) Erga seipsum operatur homo fidelis patientiam in ærumnis, & liberationem ab anxietate animi. Nam qui justificati sunt per fidem in Christum, pacem habent cum Deo Rom. 5, 1. (4) Erga hostes, victoriam diaboli & mundi, fides enim est, quæ vincit mundum, 1. Joh. 5, 4. Duabus igitur de causis fides appellatur ἔργον sive opus, partim respectu causæ efficientis, quia Deus eam in nobis operatur, à quo nobis datum est, ut credamus Phil. 1, 29. unde expresse appellatur ἔργον θεοῦ Joh. 6. 29. partim respectu effectuum, & sic in nostro textu fidelibus tribuitur ἔργον τῆς πίστεως, opus seu efficacia fidei. Respectu autem causæ formalis, seu, quatenus justificat, non est opus, sed mendica illa manus, quæ meritum Christi (in quo solo nostra consistit justitia) apprehendit. Quibus ita positis, facilis est ad argumentum responsio. Laborat enim ὁ σοφιστὴς terminorum. In Majore propositione fides consideratur in prædicamento qualitatis, tanquam opus: in Minore verò in prædicamento πρός τι, tanquam

*causa instrumentalis justificationis nostræ. Vt qualitas non justificat, sed ut relatio, habens respectum ad Christum, qui solus justificationis nostræ fundamentum est; quemadmodum manus mendici est membrum corporis, sed hoc respectu neminem ditat: verum quatenus donum oblatum accipit, seu, quod idem est, donum manu acceptum divitem facit: sic & Christus fide apprehensus justificat.*

## QUÆSTIO III.

Cum Paulus scribit: ante Deum & patrem nostrum v. 3. annon particula (καὶ) vel abundat, vel est ἐξηγητικὴ, significans idem ac, ID EST.

*Resp. Photiniani ad corrumpenda quædam scriptaræ dicta, excogitarunt regulam: Particula, Est, sæpenumero ἐξηγητικῶς ponitur & significat idem ac ID EST: quo effugio utitur Christoph. Ostorodus* part. 1. Contra Tradel. cap. 7. *in responsione ad dictum* Apocal. 22, 16. *ego sum radix & genus Davidis: & Moscorovius in catech. Rackov. latina pag. 200. in responsione ad dictum* Joh. 3, 5. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu &c. His exemplis adjungere fortè possent hoc, quod est in nostro textu, ante Deum & patrem, quasi sensus sit, ante Deum hoc est patrem. Nam qui verus Deus est, is ipse etiam pater appellatur,* Joh. 17, 1. *Sed regula illa Photinianorum nullum prorsus habet fundamentum, neq; exempla probatorum autorum reperiuntur, vel in sacris literis vel in profana literatura. Duo illa ab Adversarijs prolata nihil probant. Nam in* Apoc. 22, 16. *Si* Est *esset particula ἐξηγητικὴ, absurdum hoc emergeret, quasi radix & germen Davidis unum esset ac idem: quod omnino falsum,*

*nam*

*nam & pueri sciunt, germina à radice distincta esse. In* Joh. 3. 5, *vitiosa* ταυτολογία *fieret, quasi dixerit Christus, nos renasci debere ex Spiritu & spiritu, nam aqua ex Photinianorum opinione, idem esse dicitur ac spiritus: id quod opidò absurdum est. Quod textum nostrum attinet, exegesi nulla opus est. Nam Apostolus Deum & Patrem per copulativam* καὶ *conjungit, quia is, qui in essentia sua Deus, in persona suâ pater est: & sic Deus pater simul, seu Deus characteristicâ proprietate paternitatis insignitus.*

## PARS II.

Εἰδότες, ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ θεοῦ τὴν ἐκλογὴν ὑμῶν.

Scientes, fratres dilecti, à Deo electionem vestram.

Ὅτι τὸ εὐαγγέλιον ἡμῶν οὐκ ἐγενήθη εἰς ὑμᾶς ἐν λόγῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει, καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ, καὶ πληροφορίᾳ πολλῇ, καθὼς οἴδατε οἷοι ἐγενήθημεν ἐν ὑμῖν δι' ὑμᾶς.

5. Quoniam Evangelium nostrum fuit erga vos non per sermonem solum, verùm etiã per virtutem & per Spiritum sanctum perq; certitudinem multã, quemadmodum nostis quales fuerimus inter vos, vestra causa.

Καὶ ὑμεῖς μιμηταὶ ἡμῶν ἐγενήθητε καὶ τοῦ κυρίου, δεξάμενοι τὸν λόγον ἐν θλίψει πολλῇ, μετὰ χαρᾶς πνεύματος ἁγίου.

6. Et vos imitatores nostri facti fuistis & Domini, recipientes sermonem cum afflictione multa cum gaudio Spiritus sancti.

Ὥστε γενέσθαι ὑμᾶς τύπους πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν ἐν τῇ Μακεδονίᾳ καὶ τῇ Ἀχαΐᾳ.

7. Adeo ut fueritis exemplo omnibus credentibus in Macedonia & Achaia.

Ἀφ' ὑμῶν γὰρ ἐξήχηται ὁ λόγος τοῦ κυρίου, οὐ μόνον ἐν τῇ Μακεδονίᾳ καὶ Ἀχαΐᾳ, ἀλλὰ καὶ ἐν παντὶ τόπῳ

8. A vobis enim personuit sermo Domini, non solum in Macedonia & Achaia, verum etiam

ἡ πίστις ὑμῶν ἡ πρὸς τὸν Θεὸν ἐξελήλυθεν, ὥστε μὴ χρείαν ὑμᾶς ἔχειν λαλεῖν τι.

Αὐτοὶ γὰρ περὶ ἡμῶν ἀπαγγέλλουσιν, ὁποίαν εἴσοδον ἔσχομεν πρὸς ὑμᾶς καὶ πῶς ἐπεστρέψατε πρὸς τὸν Θεὸν ἀπὸ τῶν εἰδώλων, δουλεύειν Θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ.

Καὶ ἀναμένειν τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐκ τῶν οὐρανῶν, (ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν,) Ἰησοῦν τὸν ῥυόμενον ἡμᾶς ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης.

in omni loco fides vestra, quæ est in Deum, dimanavit, ut non sit nobis necesse loqui quicquam. 9. Siquidem ipsi de nobis annuntiant, qualem ingressum habuerimus ad vos, & quomodo conversi fueritis, ut servieritis Deo viventi & veraci. 10. Et expectaretis Filium ejus de cœlis (quem excitavit à mortuis) Jesum, qui liberat nos ab ira ventura.

*Hæc ergo fuerunt ea, quæ Paulus in Thessalonicensibus prædicavit, pro quibus etiam DEO gratias egit; Jam, ut in iis constanter perseverent, argumentis exquisitissimis hortatur. Propositio occultatur quidem, ita tamen ut in singulis argumentis involvatur, ex quorum vi penetrantissima facile colligere poterant, quid velit Apostolus. Primum argumentum petit ab ipsorum electione:* Scientes fratres dilecti, electionem vestram, *v. 4. q. d. quia certus sum, vos esse ex electorum numero, ideo non desino vos hortari, ut in bono perseveretis, nec ulla aliqua re vel à fide Christi, vel à vita Christiana vos dimoveri patiamini. Quod si enim faceretis, turpissimè à vobis me deceptum esse faterer, cum absque perseverantia in bono nemo ex electis esse possit. Constabat autem Paulo de electione ipsorum, ex fide, ex vocatione ad Ecclesiam, ex amore eorum erga Evangelium, & similibus κεφαλαίοις, de quibus* 2. Thessal. 2, 13. *sic scribit: Nos debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti in Deo, quod elegerit vos Deus primitias in salutem, in sancti-*

*ficatione*

ficatione spiritus & fide veritatis, in quem vocavit vos per Evangelium nostrum, in adquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi.

Ex hujusmodi ergo inditiis possumus judicare de aliorum electione ad vitam. Nam cum electio facta sit in Christo, ut essemus sancti & irreprehensibiles coram illo per caritatẽ, electos non nisi in Ecclesia quærere possumus, ubi cum apparet fides pietasq; hominis, caritas colligere jubet, ipsum in electorũ numero esse. Sciendum autẽ est, judicium de electione proximi esse geminũ, unum est veritatis, alterum caritatis. Illud Deo competit, & nunquã fallit: novit n. Deus qui sint sui 2. Tim. 2,19. hoc nobis, & multipliciter fallere potest, quia nõ possumus introspicere corda. Quia tamen caritas non est suspiciosa, ideo ubi hujusmodi externa signa apparent, de electione proximi non facilè dubitat, quemadmodum de Clemente & cæteris suis adjutoribus scribit Paulus, nomina ipsorum esse in libro vitæ Phil. 4,3. Deinde & hoc sciendum est, Electionis vocabulum esse ἀφ ὡρισμένως ἐν. Propriissimè sic dicti Electi secundũ sensum scripturæ, sunt, qui perseverant in bono usq; ad finem: nam electio apprehendit quod quærit Rom. 11,7. & quemadmodum Deus in tẽpore non nisi perseveraturos in fide salvat Matth. 10,22. Heb. 3,14. sic ab omni æternitate, non nisi quos credituros & in fide perseveraturos vidit, elegit, & salvare decrevit: quia decretum & executio decreti per eadem fiunt ὅμοια: & quos prædestinavit, hos etiam glorificavit Rom. 8. unde in scriptura, electi & salvandi pro æquipollentibus habentur Dan. 12,1. Apoc. 21,27. Impropriè verò & generali sensu dicũtur electi omnes qui fidem habent, & quamdiu eam habent: sunt enim ipsi quoq; filii Dei, habent Spiritum S. & spem vitæ æternæ: quo sensu Thessalonicenses suos Paulus vocat electos: Si verò per peccata contra conscientiam fidem & Spiritum S.

Observatio.

excu-

excutiunt, neq; ad penitentiam redeunt, ipsi quoq; ut spem vitæ æternæ, ita & electorum titulum amittunt, qui proprijs, qui finem fidei, h, e, salutem æternam consequuntur, competit.

[Discrimen hoc agnoscit scriptura Joh. 8. ubi Christus dicit ad Apostolos: Si vos manseritis in sermone meo, VERE discipuli mei eritis.]

*Secundum argumentum petit ab efficacia sui Evangelij apud ipsos.* Quia Evangelium nostrum, *ait*, non fuit apud vos in sermone tantum, sed & in virtute & in Spiritu S. & in plenitudine multâ, sicut scitis, quales fuerimus in vobis propter vos. *v. 5. Summa argumenti hujus est; Doctrinam meam divinis virtutibus cœlitus fuisse confirmatam, multumq; apud vos fructificasse, nostis, ita, ut hactenus Spiritu S. roborati crucem propterea alacri animo pertuleritis: ideò decet vos porrò hanc doctrinam amplecti, nec committere, ut quovis vel periculo vel aliâ causâ ab ea divellamini. Opponit autem Evangelium suum doctrinæ pseudoapostolicæ, quæ tantum sermone constabat, h. e. blandis verborum cincinnis ac lenocinijs & plausibilibus humanæ sapientiæ verbis, quibus isti doctores animos hominum demulcire & dementare studebant: Apostolica verò doctrina consistebat in virtute, in Spiritu S. in πληροφορία seu plenitudine. Hæc tria opponit nudo sermoni hominum. Per virtutem intelligit partim efficaciam verbi sui, quod penetravit auditorum animos, ut inardescerent ab eo, & singularem vim movendi in affectibus suis sentirent: partim etiam miracula, quibus doctrinam suam obsignarunt Apostoli: Sæpe enim usurpatur δυναμις in scriptura de virtute miraculosâ, ut* Matth. 7, 22. 11, 20, 21, Marc. 6, 2. 9, 39. Luc. 5, 17. &c. *Interdum virtus signorum & virtus Spiritus Sancti distin-*

guuntur

guntur, ut Rom 15, 19. Interdum Spiritus & δυναμις conjunguntur, ut 1. Cor. 2, 4. Luc. 1, 17. Per Spiritum S. intelligit, virtutem illam esse divinam, à Spiritu Dei accensam in ipsorum animis, qui regit linguas Apostolorum, & virtutes per ipsorum manus operatur: ideo Christus ad Apostolos dixit: non vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis, Matth. 10, 20. qui etiam in primitiva Apostolorum Ecclesia sæpe visibiliter fundebatur super eos, qui verbo auscultabant, ut Act. 8, 15. 10, 44. 15, 8. unde ad Hebr. 2, 4. scriptum est, contestatum esse Deum de doctrinâ Evangelij signis & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus S. distributionibus. Per πληροφορίαν, intelligit illam animi confidentiam, qua usi sunt Apostoli contra hostes Evangelij, quibus animosè contradixerunt, non timentes vel plagas vel exilia: cujusmodi πληροφορία Pauli nota quoq; erat in Macedoniâ, cum Philippis Evangelium etiam in Carcere prædicaret, propter quod & virgis cæsus & in vincula conjectus erat, Act. 16, 31. Hanc suam πληροφορίαν, & per gratiam Spiritus Sancti penetrantem efficaciam doctrinæ suæ in mentem vocat Thessalonicensibus, ut in ea constantissimè persistant, cum ipsorum causa hæc omnia fecerit Apostolus.

Discimus hic discrimen doctrinæ Evangelicæ & hæreticæ. Hæc in verbis consistit, h. e. in plausibilibus argumentis rationis, & inani loquentiâ sine spiritu & efficacia, ad externam tantum pompam comparata, neq; certas facere potest conscientias, ut firmo fundamento inhæreant, in tentationibus. Illa verò non consistit in verbis, sed in virtute Spiritus Sancti, qui per verbum suorum ministrorum operatur fidem, accendit amorem, donat patientiam, largitur vires in adversis, & spem vitæ æternæ in animis nostris obsignat. Idcirco Paulus παθανολογίαν, & garrulam quandam loquentiam à mi-

*nisterio verbi abesse voluit*, 2. Cor. 1, 4. Col. cap. 2, 4. *quia regnum Dei non consistit in sermone, sed in virtute*, 1. Cor. 4, 20. *Virtutem autem verbi divini agnoscimus ex præclaris ejus affectibus, cum cor auditorum repletur gaudio vero in Spiritu Sancto, cum sentit efficacem consolationem in ærumnis, πληροφ ejus fidei, in tentationibus, & gustum aliquem æternæ felicitatis, ad quæ omnia accedit studium veræ pietatis, & amor virtutis, ut & odium vitiorum, quod ubi deest, ibi nondum cum fructu verbum Evangelij auditum fuit: est enim Evangeliũ potentia Dei ad salutem omni credenti* Rom. 1. *& odor vitæ ad vitam in iis, qui salvi fiunt, odor verò mortis ad mortem in iis, qui pereunt* 2. Cor. 2, 16.

*Tertium Argumentum petitur à singulari pietate Thessalonicensium, qui hactenus obsequentes fuerunt Apostolo, ita ut aliis exemplum esse potuerint, turpe igitur esset, si ab ista sua pietate, quoquo modo territi deficerent. Argumentum hoc tractat usq; ad finem capitis, ubi pietatem ipsorum variis indiciis commendatam reddit, in hunc finem, ut hac laude ipsos in isto curriculo alacriores faciat. Primum scribit,* ipsos imitatores suos factos, & Domini. *Respicit ad id, quod paulò ante dixerat, scire Thessalonicenses, quales inter ipsos fuerit, h.e. quanta cum alacritate Evangelium prædicaverit, etiam ad persequutionem usq;: jam ipsos laudat, quod imitatores sui fuerint, Evangelium cum gaudio acceptantes, & tribulationem etiam hoc nomine patientes, quod ut porro faciant, hac ipsa commendatione hortatur.*

Observ. 1. *Meminerint hîc omnes pii, se in mores suorum doctorum tanquam in speculum intentos esse debere, unde petant, quod imitentur ipsi, quò referatur exhortatio Apostolica* Heb. 13, 7. *Et benè habet illa Ecclesia, cui hujusmodi doctores sunt, qui absq; scandalo vivunt, ut commodè aliis in exemplum proponi*

*queant.*

queant. Ideo vult scriptura Ecclesiæ ministros esse exempla gregi fidei suæ commisso in verbo, in conversatione, in fide, in caritate, in castitate, 1. Tim. 4, 12. 1. Pet. 5, 3. Videant autem Auditores, quid suis in doctoribus imitentur. Trium enim generum sunt opera sanctorum, quorum aliqua imitari non possumus, ut facta heroica, qualia sunt miracula in Apostolis: aliqua imitari non debemus, ut lapsus & exorbitantias carnis, quibus etiam sanctorum tentatur imbecillitas, aliqua imitari debemus, ut opera bona, quorum prototypon habemus in Christo omnium sanctorum sanctissimo, qui in scriptura nobis proponitur non tantum ut donum, factus à Deo patre nobis justicia, sanctificatio, sapientia & redemptio 1. Cor. 1, 30. verum etiam ut exemplum 1. Pet. 2, 21. Quatenus ergo sancti Christum Dominum suum imitantur, eatenus & ipsi nobis ad imitandum propositi sunt: idcirco D. Paulus scribit: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi 1. Cor. 11, 1.

Meminerint etiam veri imitatores Christi & Apostolorum, tribulationem rarò abesse ab Evangelio, quorum unum cum altero suscipiendum est, quod Paulus in Thessalonicensibus etiam laudat. Hoc enim fit ex singulari providentia Dei, ne terrena bona quæramus in Evangelio, & ut veram ejus naturam rectè agnoscamus. Nam Evangelii doctrina destruit opera Satanæ & mundi: ideo vicissim à mundo & Satana odio habetur, sicut Christus ad discipulos ait: si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus Johan. 16, 19. Hinc Paulus mundum sibi per Christum crucifixum esse scribit, & se mundo, Galat. 6, 14. Ad persequutiones ergo parati simus, si nobis Evangelium curæ cordi est: nam per hoc medium ejicitur Satan, qui sine tumultu non discedit. Observ. 2.

Observatio.

*Meminerint præterea, in tribulationibus non esse murmurandum adversus Deum, sed suscipiendæ sunt cum gaudio, quod Thessalonicenses fecisse scribit Paulus noster, & de Apostolis scriptum est, quod cum gaudio abierunt à conspectu concilij Hierosolymitani, quoniam digni habiti fuerint, pro nomine Iesu Contumeliam pati* Act. 5, 41. *Gaudium hoc oritur à Spiritu Sancto, qui est cum constantibus veritatis confessoribus, etiam in Carcere: qui testimonium nobis perhibet, quod etiam à mundo odio habiti sumus in gratia apud Deum, & æternæ vitæ candidati, quia non patimur ut fures aut latrones, sed propter nomen Dei, quæ adflictio luctum omnem vertit in gaudium, ut cum Paulo dicere queamus: gloriamur in afflictionibus, scientes, quod afflictio patientiam parit, patientia probationem, probatio verò spem* Rom. 5, 3. *quò referatur illud D. Petri* 1. Pet. 4, 15. *& D.* Jacobi, cap. 1, 2.

[*Differentia martyrum Christi & diaboli: 1. illi patiuntur propter verbum Evangelij quod amplexi sunt: hipropter hæreses aut scelera. 2. illi sustinent cum gaudio per Spiritum S. Act. 5. hi vel plane opprimuntur intormentis, vel desperant, vel gaudium simulant, ut laudem constantiæ & fortitudinis ab hominibus reportent.*]

*Tria à nobis exiguntur ut gaudium in tribulatione verum sit (1) consideratio voluntatis Dei, sine qua non cadit capillus de cap. Luc. 21. (2) nos similes fieri Christo & Apostolis Rom. 8. (3) finis earum est gloria cœlestis, sicut Christus per passiones ingressus est in gloriam Luc. 24.*

*Deinde Paulus ex imitatoribus suis facit exemplum aliorum. Scribit enim, Thessalonicenses* factos esse formam omnibus credentsbus in Macedoniâ & Achaiâ: ab ipsis enim egressum esse sermonem Domini, & non-

tantum

tantum in istis provincijs, verum etiam in omni loco insonuisse fidem ipsorum, ut non opus habeant suo testimnnio *v. 7. & 8. præclara hac laus est, qua ex Thessalonicensium Ecclesia solem quasi quendã facit, quo universus orbis Christianus fuit illustratus, vel potius sonoram aliquam tubam Evangelij exteros etiam advocantem.*

[ἐξήχηται est, quasi sonante clangore longe latiꝰ insonare außerschellen/reddidit Lutherus.

*Est hæc natura veræ fidei, quod non in occulto delitescit, sed instar ignis facile adurit non tantum propius asita, sed & longius remota, ideo de Romanis scribit Paulus, quod fides ipsorum annuncietur in toto mundo* Rom. 1, 8. *Afficit enim fidelium pietas, patientia & mansuetudo alios, qui de ea audierunt, ut & ipsi in fidem illam inquirant; & hæc est fidelium natura, ut quam plurimos fidei socios exoptent, ita horum voto atq; desiderio, illorum verò studio regnum Christi paulatim augetur. Hic etiam est fructus sinceræ Confessionis, & veræ patientiæ in adversis, quod multi alliciuntur, qui in cæcitate sua perijssent, si de fide ac patientia Sanctorum nihil ipsis constitisset. Fit hoc in primis in primarijs urbibus alicujus regionis, quæ si in fide sunt probè instructæ, facile in totam provinciam vera dimanare potest religio: quam ob causam Deus olim Hierosolymis in metropoli Iudeæ, publicum cultus divini exercitium habuit, ut ab hoc illustri loco splendor verbi sui ad alia etiam loca diffunderetur. Vera igitur fides non est, quæ libenter latet, & nẽ quidem explorata ad lucem venit, sed in simulando ac dissimulando laudem quærit, qualis olim Priscillimistarum & Rhetorianorum fides erat, quæ nec ijs, qui eam habent, nec alijs prodesse potest. Scriptura namq; utrumq; requirit, & cordis fiduciam, & oris Confes-* Observ. 1.

*sionem* Rom.10,10. *Hujusmodi fides facile innotescit alijs, & imitatores suos absq; labore invenit. Observetur autem hic simul verum objectum fidei, prædicat enim Paulus fidem Thessalonicensium in Deum v.8. in græco est* πίστις πρὸς τὸν θεὸν, *quod latinus interpres reddit, fides quæ ad Deum est: Sic in Epistola* ad Philem v.5. *dicitur,* πίστις πρὸν τὸν κύριον ἰησοῦν, & 2. Cor.3,4. πεποίθησις πρὸς τὸν θεὸν & 1. Joh.3.21. παρρησία πρὸς τὸν θεὸν; *quod alias scriptura vocat* πίστιν εἰς χριστὸν, Joh.3,16: 6,29. 14,12. *& in multis alijs locis. Quæ permutatio vocum docet, fiduciam tantum in Christum tanquam verum Deum esse collocandam, id enim evidenter notat præpositio* πρὸς. *De sanctis quidem etiam interdum legitur, quod crediderint homines in ipsos,* εἰς αὐτοὺς, *nusquam autem* πρὸς αὐτοὺς. *Ita scribitur* Exod.14,31. *Populus credidit in Iehova, & in Mose servo ejus, &* Exod.19,9. *Dominus ad Mosen ait, veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus ad te loquentem, & credat in te* (בְּךָ) *perpetuò. Sic* 2.Paral. 20,20. *credite in Dominum Deum vestrum, & securi eritis, & credite prophetis ejus* (בְּנְבִיאָיו) *& cuncta evenient prospera. Quibus locis abutuntur Esavitæ, ut probent etiam in sanctos haberi debere fidem, qua de re videatur Bellarm.* lib.1.de sanct. beatitud.cap.20. *sed ut alias rationes jam taceam, illa permutatio de Sanctis nō usurpatur in scriptura, quam de Deo supra ostendi: Idcirco cum in sanctos credere dicuntur homines, non notat fiduciam, sed adsensum tantum & obsequium, ut nimirum verbis ejus habeatur fides, & nullo modo vel de promissionibus vel de comminationibꝰ eorum dubitetur. Qui verò in Deū credit, omnem fiduciā in misericordia & omnipotentia ejꝰ ponit, quod ut sanctus fiat, pietas Christiana non permittit maledictꝰ enim qui cōfidit in homine, ac ponit Carnē brachiū suū,* Jer.17,5. *Satis etiā de secunda Laude Thessalonicensiū.*

*Tertiò*

*Tertiò laudat eos à testimonio aliorum fidelium, qui fidem ipsorum imitati fuerint, & conversionem prædicaverint*: Ipsi enim de nobis annuntiant, *inquit*, qualem introitum habuerimus ad vos, & quomodo conversi estis ad Deum à simulacris, servire Deo vivo & vero vers. 9. *q.d. antevertunt nos nominatione sua de vobis, si quando de Evangelij successu apud vos ad alios sermonem instituo. Ipsi omnia ordine sciunt, facientes initium à meo ad vos ingressu, pergunt ad concionum mearum profectum, & in conversionis fideiq; vestræ commendatione desinunt. Ita planè mea hoc in genere opera eis opus haud est: quia fama de vobis præclara me antevertit, quocunq; venero. Brevi autem compendio attingit præcipua quædam capita fidei Christianæ, ad quam sunt conversi. Primùm conversionem ipsam describit, quæ nihil aliud est, quàm aversio ab idolis & reversio ad Deum. Nondum enim vera est conversio, cum idola quidem abijciuntur, verus tamen Deus non colitur. Ita Iacob ad uxores suas dicebat: abijcite Deos alienos, qui in medio vestrum sunt, & mundamini &c. surgite ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo &c.* Genes. 35, 2. *Sic Salomon ad populum Israeliticum dicebat: Auferte Deos alienos de medio vestri, & dirigite corda vestra Deo.* 1. Samuel. 7. 3. *Vtitur autem Apostolus noster verbo activo* ἐπεστρέψατε, *convertistis, non q. Thessalonicenses de suo aliquid ad sui conversionem addere potuissent: Sed quia media conversionis, verbum nimirum Apostoli, quod alij repudiarunt, tam facile receperunt cũ gaudio.*

*Per idola autem intelligit Paulus, quidquid vero Deo in ratione cultus, vel opponitur vel apponitur, quia Deo gloriam suã nõ dat alteri,* Es. 42. *sive sint fictitij Dij gẽtiliũ, Iupiter, Mars, Saturnus &c. sive Sancti in cœlis: sive etiam falsæ opiniones de Deo. Quæ omnia removenda sunt, ut cõversio appareat vera.*

*Deinde*

*Deinde officium jam conversorum notatur, quod est servire Deo vivo & verò: duo enim includit vera conversio, veram Dei agnitionem, & rectum ejus cultum. Vocat autem* vivum & verum *Deum. His epithetis ornat Deum, quem idolis gentium opponit, quæ neq; vivunt, neq; veridij sunt: nam dij gentium dæmonia snnt;* Psal. 69, 5. *& idolum nihil est in mundo* 1. Cor. 8. 4. *Huic vero & vivo Deo servire eos ait, utens in græco verbo* δουλεύειν, *quod non tantum servire significat, seu mandata obtemperanter exequi, sed quando de Deo dicitur, religiose colere ac observare, quod qui faciunt, ei se totes dedunt atq; mancipant, cui servitium cultumque talem præstant. Tertiò, quis ille verus Deus sit, exponit, nimirum is,* qui habet Filium ab æterno genitum, & in tempore factum hominem, pro nobis passum mortuumque, à mortuis iterum resuscitatum, & è cœlis aliquando rediturum ad judicium, *unde à veris Dei cultoribus ut Salvator expectatur* Phil 3, 20. *Ita nimirum compendiosissimè complectitur doctrinam de persona officioq; Christi. Nam dum Filium Dei nominat, divinam ejus naturam exprimit, dum mortis & resurrectionis ejus meminit, humanam naturam officiumq; notat, dum* liberare *ipsum dicit* ab ira ventura, *officium ejus præcipuum indicat, propter quod in mundum venit, videlicet, ut moreretur propter peccata nostra, & resurgeret propter justitiam nostram* Rom. 4, 25. *nosq; ab omni malo liberatos, æterni gaudij redderet participes. Nam per iram venturam intelligit sententiam damnatoriam in magno illo diecritico, quæ omnes qui extra Christum sunt, à facie Dei relegabit, præcipiteq; dabit in ignem æternum: dum insuper è cœlis ipsum expectari scribit, ascensionem ejus in cœlos visibilem q; reditum ad judicium designat: cujus inspecie mentionem facere voluit, propter eos,*

*qui turbabant Thessalonicenses, quasi jam adesset dies Domini, ejusq; tempus & articulos adsignabant, de quibus infra* cap. 5, 1. *Hic in genere tantũ dicit, diem illum nondum adesse, sed adhuc* expectari futurum: *infra autẽ quomodo venturus sit, & quid ipsum tunc temporis remoratum fuerit, explicabit.*

*Discimus ex hoc textu 1. Conversionem gentium esse transitum à simulacris ad Deum. Præsupponit ergo aversionem à Deo, in qua nati sumus, ideo utraq; vox conjungitur* Jer. 3, 22. *Conuertimini filij aversi, & sanabo aversiones vestras. Aversio illa complectitur (1) horribilem cæcitatem in mente, summamq; repugnantiam. Cæcitas mentis ex eo apparet, quod neq; verum Deum agnoscunt, neq; mysteria Dei intelligunt, & quanquam aliquid de Deo ex operibus creationis eis innotuit, veritatem tamen Dei in injusticia detinuerunt: & cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se sapientes esse, stulti facti sunt: & mutaverunt gloriam Dei incorruptibilis in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum & serpentum* Rom. 1, 19. seqq. *Ideo dicuntur simulacris servijsse, & ijs, qui natura non sunt Dij* Gal. 4, 8. *quos scriptura ita depingit, quod sint argentum & aurum opera manuum hominũ, os habent, & non loquuntur, oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt, nares habent, & non odorantur, manus habent, & non palpant, pedes habent non & ambulant &c. Et quod mirandum, quò quis gentili umerat sapientior, eò ferè erat in religione superstitiosior: quam ob causam in primis Socratis & Platonis Philosophiam insectatur Eusebius* lib. 5. de præparat. Evang. cap. 8. *quorum ille per canem, per lapidem jurabat, & quidquid juraturo ad manus*

Observ. 1. De conversione hominis,

Psal. 115, 4. seqq. Psal. 135, 15. seqq. Esa. 44, 10.

 *venisset;*

*veniſſet; jamq; moriturus amicos rogavit, ut gallum gallinaceum, quem deberet Æſculapio, pro ſe offerrent: hic verò Delphium dæmonem paternum Græciæ interpretem nominavit, & divinis laudibus celebravit. Hæc erat ſtupenda mentis cæcitas in hominibus ſapientiſſimis. Repugnantia mentis ex eo agnoſcitur, quod verbum Dei pro ſtultitia habent, & rident; id quod Philoſophi Athenienſium teſtantur,* Act. 17, 18. *unde Paulus poſtea ſcripſit, verbum crucis pereuntibus eſſe ſtultitiam, & mundum in ſua ſapientia non cognoſcere Deum & animalem hominem non percipere ea, quæ ſunt Spiritus Dei, Stultitia enim eſt ei, & non poteſt intelligere* 1. Cor. 1, 18, 21. & cap. 2, 14. (2.) *Complectitur illa averſio immanem rebellionem adverſus Deum in voluntate: homo enim non renatus legi Dei non eſt ſubjectus, & nec poteſt ſubjici* Rom. 8, 7. *qui captivus tenetur laqueis Diaboli ad ipſius voluntatem,* 2. Tim. 2, 26. *unde cor ejus vocatur lapideum* Ezech. 36, 29. *& ipſe homo in peccatis mortuus* Eph. 2, 1. *imò ſervus peccati, & liber ad peccandum, ineptus autem ad benè operandum: unde Deus apud Ierem:* cap. 4, 22. *conqueritur: filij inſipientes & vecordes ſunt: ſapientes ſunt, ut faciant mala, benè autem facere neſciverunt: & Auguſt. ſcribit in Enchirid. cap. 30.* Liberaliter ſervit, qui ſui Domini voluntatem libenter facit: ac per hoc ad peccandum liber eſt, qui peccati ſervus eſt, *Hæc averſio mentis & voluntatis tollitur in converſione, ubi Spiritus Dei immutat corda hominum, cæcitatem aufert, lumen veræ agnitionis Dei accendit, delectationem legis operatur, vires benè agendi largitur, donat fidem & omnem ſufficientiam* 2. Tim. 2, 25. Phil. 1, 29. Eph. 2, 8. 2. Cor. 8, 5. *ideo David à Deo petit creationem novi cordis, & innovationem Spiritus S.* Pſal. 91. *Facit autem hoc ſpiritus Dei non per Enthuſiaſmos Anapabtiſti-*

cos

cos, sed per verbum, per quod ducit hominem ad sui agnitionem, accusat cor, & ad odium peccati adducit, vicissim autem illuminat & ad bonum aptum facit: unde verbum vocatur lucerna pedum nostrorum Psal. 119. & ministerium verbi est ministerium Spiritus, 2. Cor. 3, 8. & præcones verbi sunt Dei ministri 1. Cor. 3, 5. qui ministerialiter convertere dicuntur gentes, quia Spiritus S. ordinariè extra ipsorum ministerium nihil agit. Cujusmodi ministerium D. Pauli erat in convertendis variis gentibus, ad quod & vocatus erat; cujus vocationis formalia extant Act. 26, 18. Mitto te ad gentes, & populos, ut aperias oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum. Ex hac descriptione conversionis gentiliũ colligitur, quam insigne Dei beneficium ea sit, ad quod nihil de suo afferre potuerunt, ideo Paulus subinde, ut gratuitum Dei opus, prædicat, à quo est & velle & perficere Phil. 2, 13. & ut Deo pro tanto munere gratum animũ offerant, digneq; vocatione sua vivant, hortatur.

2. Notandum est, Deum fidelium, esse Deum verum & vivũ. Veritas Dei cognoscitur (1.) ex vera & divina ejus essentia, quæ in scriptura ita describitur, quod semper sit Psal. 102, 27, 28, & non mutetur Mal. 3, 6. unde & essentiali nomine Iehova solus appellatur, quod nulli creaturæ tribuitur. (2.) ex divinis operibus, ut ex opere creationis, quo opere verus Deus à dijs gentilium distinguitur, Jer. 10, 11. dii qui cœlũ & terrã non fecerunt, pereant de terra: ex opere redemtionis, ejus n. est redimere hominẽ, cujus creare, cum utrumq; divinã requirat potentiã: unde ipse Deus appellatur Salvator noster Esa. 35, 4. Esa. 12, 3: 19, 20. &c. ex opere conservationis omniũ, nam à quo sunt condita omnia, ineo etiã consistunt; & ad præceptum Dei suum servant ordinem. Sir. 38, 3. ideo omnia portare dicitur verbo virtutis suæ Hebr. 1, 3. &c. (3.) ex divino illo opere inter-

Observ. 2. De vero Deo.

*non quod genuit filium: ad quod Paulus etiam digitum intendit, v. 10. Ita enim verus Deus in verbo se revelavit, quod habeat filium, per quem ultimis temporibus nobiscum sit locutus* Heb. 1, 1. (4) *ex notitijs naturalibus, seu veris illis conceptibus natura notis, de Deo colendo, quo sensu gentes dicuntur veritatem Dei in injustitia detinere, quando Deum verum, neq; agnoscunt, neq; rectè colunt, sed naturalibus illis conceptibus ad voluptates suas abutuntur. Vita Dei cognoscitur partim ex eo, quòd est autor vitæ seu ipsa vita, quam habet in se ipso,* Joh. 5. 26. *partim quia viventium omnium vita est, quibus vitam dat, & conservat, ideo in ipso esse, vivere & moveri dicimur,* Act. 17, 18. *Partim, quod est ἀειζωὴ semper vivens, qui solus immortalitatem habet.* 1. Thess. 6, 16. *& hoc nomine κατ' ἐξοχὴν vivus appellatur: partim etiam quod ab ipso spiritualiter nostram vitam habemus. Spiritus enim ejus est, qui vivificat* Joh. 6, 63. *His ergo epithetis distinguitur à dijs alienis, sive sint idola gentium, sive aliud quid, ex quo homines sibi quendam quasi Deum faciunt, ut pecuniam, amicos, principes, & hujus generis alia, in quibus fiduciam cordis ponunt. Hæc enim omnia neq; sunt, neq; vivunt, h. e. nihil possunt, & cum opera eorum omnium maximè requiritur, cultores suos deserunt. Ideo idolum nihil esse dicitur in mundo,* 1. Cor. 8, 4. *aurum & argentum nihil est, quia non liberat in die iræ* Ezech. 7, 19. Soph. 1, 18. *filij hominum etiam nihil sunt* Psal. 62, 10. *Bonum ergo est, sperare in Deo vero & vivo: bonum est confidere in Domino, & non confidere in homine: bonum est sperare in Domino, & non sperare in principibus,* Psal. 118, 8, 9.

Observ. 3. *Observetur testimonium præcipuorum articulorum fidei de Christo, de duabus in ipso naturis: de ipsius morte & resurrectione: de adscensione in cœlos, de opere redemptionis*

per

*per ipsum peractæ, quia dicitur nos liberare ab irâ venturâ, de postremo ejus adventu ad judicium. Vnde colligimus, nihil esse in symbolo Apostolico, quod non Apostoli ipsi viva voce tradiderint. Etsi ergo symbolum ipsum non est ἔγγραφον, contenta tamen ejus sunt doctrina Apostolica, cui superfundata est Ecclesia* Eph. 2, 20.

4. *Nota verorum Christianorum est, expectare filium Dei è cœlis, h. e. novissimum ejus adventum: quæ verò expectamus, ea cum gaudio desideramus. Cum gaudio ergo & desiderio expectandus est dies Domini, quia tunc plena fiet liberatio ab omni malo, cui mundus hic immersus est: plena fiet restitutio filiorum Dei in hæreditatem suam partam in cœlis, justa fiet retributio pietatis, quæ sæpe in mundo adflictionem patitur. Neminem ergo piorum terreat adventus Christi ad judicium, sed cum de eo audimus, juxta Christi admonitionem, attollamus capita nostra, cum gaudio, quia redemtio nostra appropinquat,* Luc. 21, 28. *& cum Sancto Iohanne dicamus, Veni Domine Iesu, etiam veni citò* Apoc. 22, 21. *Observatio. 4.*

5. *Christus è cœlis venturus est, non tanquam ex loco quodam superno, sed quia ex inaccessibili sua luce proditurus, & se in illustri illo opere extremi judicij manifestaturus est: sicuti Deus de cœlo prospicere, & descendere dicitur, non quasi è longinquo aliquo loco ad nos videat, aut veniat; quia non est Deus à longè, sed propè* Psal. 119, 151. 145, 18. *Sed quia majestatem suam illustri aliquo facto declarat. Sic & Christus non ratione loci in cœlis esse dicitur, quia adscendit supra omnes cœlos* Eph. 4, 10. *penetravit cœlos* Heb. 4, 14. *& cœlis excelsior factus est,* Heb. 7, 26. *sed ratione status & conditionis. Sic etiam è cœlis venturus est, nõ locali transmutatione è supernis, sed glorioſa apparitione, semper mansurus in cœlo, in quod* *Observ. 5.*

*semel ingressus est. Proinde particulæ illæ de Christo, E cœlis.* 1. Thess. 1. *Vnde* Phil. 3. *Inde, in Symbolo Apostolico, non inferunt localem aliquem descensum corporis Christi: sed visibilem tantum Christi reditum ostendunt, qui invisibiliter implet cœlum & terram. Neq; enim visibilis ejus reditus tollit invisibilem ejus præsentiam in dextra Dei, qua implet omnia & in medio Ecclesiæ ambulat, etiam in medio inimicorum dominatur. In quam sententiam præclarè scripsit Ambrosius:* Licet ubique sis, & stans in medio nostrûm, non cerneris à nobis: erit tamen tempus, quando universa caro te adspiciet revertentem.

6. *Deus pater dicitur resuscitare filium à mortuis v. 10. & alibi.* Rom. 4, 24. Act. 2, 24. 3, 15. 10, 40. 2. Cor. 4, 14. Col. 2, 12, Ephes. 1, 4. Hebr. 13, 20. &c. *& tamen credimus, filium propria virtute resurrexisse, sicut dicit ad Iudæos* Joh. 2, 19. *solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, &* Joh. cap. 10, 18. *potestatem habeo ponendi animam meam & resumendi eam. Vnde Bernhardus scripsit:* reliquos omnes resuscitatos dicimus, solus Christus resurrexit, quia propria virtute prodijt è sepulchro. *Cùm verò hanc virtutem habuerit à patre, juxta divinam naturam, per generationem æternam, juxta humanam per unionem cum λόγῳ, ideo scriptura patrem resurrectionis hujus causam efficientem facit, nihilo decedente virtuti divinæ Christo communicatæ.*

Observ. 7.

7. *Per Christum habemus liberationem ab irâ venturâ h. e. æterna damnatione. Ipse enim peccata nostra, quibus iram Dei promeriti eramus, abstulit, justitiam ac salutem morte suâ adquisivit, unde propter peccata nostra traditus fuisse scribitur, & resurrexisse propter justitiam*

*nostram*

*noſtram*, Rom. 4, 25. *Extra hunc nullum eſt remedium adverſus iram Dei: Ideo qui credunt in Chriſtum, non veniunt in judicium, qui verò non credunt, jam judicati ſunt*, Joh. 3, 18. *Et hoc eſt præcipuum Chriſti officium, propter quod in mundum venit, ut nimirum animam ſuam daret redemtionis precium pro multis* Matth. cap. 20, 28. *propter quod & rediturus eſt ad judicium, ut nimirum fideles ſuos ſibi aſſociet, & ab irâ venturâ immunes ſecum æterni gaudij conſortes faciat.*

## PARAPHRASIS SECVNDÆ PARTIS.

CErtò perſuaſum habemus, fratres in Domino cariſsimi, vos ex electorum eſſe numero, nam doctrinam meam de Chriſto non verbis duntaxat vobis propoſui, verùm etiam virtute Spiritum S. confirmatam multum apud vos fructificaſſe, ipſimet ſcitis, adeò ut crucem propterea alacri animo pertuleritis. Ad meam enim quin & ad ipſius Domini Jeſu exemplum multum paſsi, excepiſtis doctrinam meam alacriter, gaudentes ex gratia Spiritus. Si, quod digni judicati fuiſtis, qui pro ea aliquid patiamini; ad quod veſtrum exemplum quaſi ad Speculum converſi Eccleſiæ cives in Macedonia & Achaia ſimilem concepere fervorem ob doctrinam Evangelij, quæ vobis ad ipſos non tantum, verum etiam ad alias provincias, tanquam ſplendor quidam prodijt, ita ut me etiam tacente veſtra fides paſsim ubique innotuerit: ubi jam prædicatur, quo cum ſucceſſu apud

vos docuerim, dumvos ab idololatria gentium, ad verumveri Dei cultum ejusdem conversos, magnoq; cum desiderio expectantes ultimum ad ventum Filij Dei, qui sua nos morte & resurrectione, ab ultima Dei ira, quæ in novissimo judicio sententiâ damnatoriâ promulgabitur, clementer liberavit.

## QUÆSTIONES EX HAC PARTE CAPITIS.

### QUÆSTIO I.

Cum Apostolus Paulus scribat v. 5. Evangelium nostrum non fuit in sermone tantum, sed & in virtute & Spiritu S. quæritur, an Evangelium seu verbum Dei etiam extra usum habeat virtutem illuminandi, convertendi & salvandi homines sibi insitam?

*Resp. Non desunt, qui affirmativam hujus quæstionis defendunt, existimantes, verbum Dei nativam in se habere vim producendi effectus spirituales, quæ in ipsa lateat, etiam extra usum, & quatenus adhuc membranis inscriptum est, quæ demum per prædicationem, lectionem & meditationem, tanquam per actum secundum sese exerat, quemadmodum semen etiam in horreò adhuc repositum, aut pharmacum ægroto nondum applicatum suam habet naturalem sibiq; insitam virtutem, illud quidem cibandi, hoc vero sanandi hominem. Hæc bono quidem studio ita disputantur à quibusdam, contra fanaticos, qui omnem verbo etiam prædicato adimunt*

efficaciam. Sed quod pace illorum dixerim, nimis deflectere videntur, ad alterum extremum, accidit q; ipsis idem quod frondatoribus, qui tenellam arborem rectificare volentes in alterum latus nimis incurvant. Hoc quidem liberali manu concedimus, verbum Dei etiam extra usum suum, nondum lectum, prædicatū, vel auditum, esse aptum ad producendos supernaturales effectus, quod de scriptis aut sermonibus prophanis dicere nō possum: sed quod ipsæ literæ & voces habeant in se naturalem illam virtutem effectus producendi spirituales, sicut semen in se habet virtutem producendi panem seu alimenta hominis, verisimile non est. Verùm quemadmodum verbo in usu suo constituto, h. e. dum prædicatur, auditur, legitur & consideratur, non est deneganda sua efficacia: est enim salutare illud organum, per quod Deus in nobis operatur fidem, aperit & illuminat corda, convertit & salvat, quod scriptura multis in locis docet Psal. 19, 8. Jer. 23, 29. Rom. cap. 1, 16. 10, 17. 1. Cor. 1, 21. 1. Tim. 3, 16. Iac. 1, 18. &c. ita extra usum, & quatenus in membranis tantum est exaratum, neq; prædicatur, neq; auditur, neq; legitur, neque consideratur, virtus aliqua intrinseca ei est tribuenda; talem enim virtutem nec scriptura verbo tribuit: quæ quotiescunq; de efficacia verbi testatur, de verbo in usu suo considerato loquitur, ut: ex auditu verbi fides est Rom. 10, 16. Evangelium (scil. à me prædicatum, ut mox præcedit: non me pudet Evangelij) virtus est ad salutem omni credenti, non simpliciter virtus appellatur, sed omni credenti, h. e. qui Evangelio rectè utuntur. Verba quæ locutus sum, inquit Christus, habent spiritum & vitam Ioh. 6, 63. In nostro quoq; textu Apostolus sermonem suum, virtutem & Spiritum Sanctum clare conjungit & sic de dictis cæteris: nusquam legitur aliquid de virtute verbi intrinseca extra usum.

*Imò in hunc finem Deus verbo suo dedit virtutem, non ut in literis lateret, sed ut in animis lectorum aut auditorum se exereret: non enim frustra hanc virtutem alligavit verbo. Quod si verbum Dei etiam extra legitimum suum usum virtutem divinam in se haberet, sequeretur, virtutem illam etiam esse in verbo, cum magi & veneficæ eo ad incantationes suas abutuntur, quod nemo piorum dixerit. Adde quod virtus & efficacia aliqua etiam extra usum inesse possit ijs duntaxat, quæ principaliter operantur: verbum autem Dei operatur tantum instrumentaliter, ideò vocatur potentia Dei* Rom. 1. *comparatur malleo* Jerem. 23. *& gladio* Eph. 6. Hebr. 4. *instrumenti autem vis omnis est in usu. Et hinc liquet, quid respondendum sit ad allata similia de semine & pharmaco. Hæc enim non instrumentaliter, sed principaliter operantur, ideò virtutem intrinsecam habere possunt, quæ se non semper actu secundo exerit: quod de verbo Dei dicere non possumus. Præterea vocatur verbum Dei* Luc. 3,15. *Vocatur etiam animæ pharmacon, sed hoc de verbo in legitimo suo usu dicitur: nam Christus in parabola, ubi verbum appellat semen, de verbo prædicato loquitur. D. Petrus* 1. Epist. 1. v. 23. *Conjungit semen incorruptibile, ex quo renati sumus, cum verbo per quod illa fit regeneratio: intelligit autem verbum prædicatum: sicut addit v. 25. hoc est autem verbum,* quod evangelizatum *est vobis. Adde quod semini & pharmaco vis sua inest naturaliter tanquam in subjecto: verbo autem Dei non est naturaliter, sed supernaturaliter ex promissione Dei: quæ causa est, quod semen & pharmacon virtutem suam naturalem in sese habere queant, etiam extra usum: Verbum Dei autem tantum, cum Spiritus sanctus per illud operatur, qui propter eam*

*verbo*

*verbo semper conjungitur, ut in nostro textu, & Esa. 59, 21. Spiritus sanctus autem verbo extra usum non adest, & ubi adest, non est otiosus, sed semper operatur, unde sequitur, virtutem Spiritus sancti extra legitimum usum verbo non adesse. In quam sententiam pulcrè scribit Brentius in Confeß. Würtenberg. cap. de Evangel. pag. 407.* Cum dicimus, Evangelium esse jucundam annunciationem de filio Dei, non loquimur de literis & syllabis, quibus verba Evangelij papyro continentur, vel voce recitantur, extra proprium legitimum & ordinarium suum usum. Etsi Evangelium idciro literis mandatum est, ut ex ijs tanquam ex penu suo tempore ad usum suum depromatur: tamen per se extra suum officium, nec est triste, nec jucundum, nec occidit, nec vivificat, sed loquimur de annunciatione Evangelii ut est in proprio, legitimo & ordinario suo officio ac usu, in quem divinitus est institutum. In historia Esther extat edictum, ut si quis vel vir, vel mulier non vocatus intraverit atrium regis interius, statim interficiatur, nisi fortè rex aureum sceptrum pro signo clementiæ eo porrexerit. Hoc sceptrum etsi erat ex auro architectatum, tamen per se vel in abusu collocatum, vel in cista inclusum, nullam cuipiam afferebat salutem, sed, si Rex ipsum manu sua apprehenderet, & intranti porrigeret, tum erat in legitimo suo usu, & attactum servabat intrantē, ne à satellitibus regis interficeretur. Sic & de Evangelio sentiendum est, quod, cum vel literis tantum continetur, vel etiam voce pronuntiatur, sed extra legitimum suum usum, per se non est efficax:

cum verò assumitur in eum usum, ad quam divinitus est institutum, & vel legitur, vel etiam annunciatur, vel etiam cogitatur legitima suâ ordinatione, tunc est verè cœleste organon, quo Spiritus Sanctus omnem salutem in electis suis operatur, adeoque verè est sceptrum illud, de quo Psalmus canit: Sceptrum virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, quo domineris in medio inimicorum tuorum.

## QUÆSTIO II.

Cum divus Paulus de conversione Thessalonicensium loquitur, v. 9. verba in græco textu ita habent, πῶς ἐπεστρέψατε πρὸς τὸν θεὸν &c. quomodo vos convertistis ad Deum: quæritur igitur, an homo possit seipsum ad Deum convertere, aut saltem sui conversionem ex viribus suis juvare?

*Resp. In conversione hominis non renati ad Deum, à causa efficiente excluſum est simpliciter, quidquid est in homine ex propriis viribus, propter summam naturæ nostra corruptionem, quæ hominem in spiritualibus prorsus fecit mortuum, in quo ne modiculum aut pusillum est reliquum, quòd se vel ad gratiam flectere, vel conversionem efficere, operari, aut cooperari possit. Vnde homo in sui conversione merè patiens est, qui neq; præparare sese potest ad adquirendam gratiam, quàm diu in statu corruptionis est, neq; adjuvare Dei operationem, sed simpliciter est, ut lutum in manu figuli* Ierem. 23. *quem Deus ex mera sua gratia transfert è*

*regno iræ in regnum gratiæ. Solus Spiritus Sanctus est unica causa conversionis nostræ, qui hominem invenit in peccatis mortuum, iræ filium* Eph. 2. *corde lapideo* Ezech. 36. *cervice ferrea, fronte ænea* Esa. 48. *aversum à Deo, inimicum Dei* Rom. 8. *pravum super omnia* Ier. 17. *& ut uno verbo dicam omnia, carnalem venditumq; sub peccato* Rom. 7. *Reperiuntur tamen loca in scriptura, quæ videntur aliquam in hoc opere tribuere actionem & συνέργειαν, ut cum jubemur nos convertere ad Deum* Zach. 1. *& facere nobis cor novum* Ezech. 18, 31. *Sic in nostro textu Paulus utitur activa voce ἐπιστρέψατε, convertistis, scil. vos ipsos. Sed in prioribus locis agitur de hominibus renatis, qui quotidianâ pœnitentia se convertunt ad Deum; & hi dicuntur συνεργοὶ θεῦ* 2. Cor. 6, 1. *cooperantur enim Spiritui Sancto, non tamen ex virtute propriâ, sed Dei, quemadmodum Paulus scribit* 1. Cor. 15. 10. *non ego laboravi, sed gratia* Dei, *quæ in me est. Interdum autem etiam non renati se convertere dicuntur, ut in nostro textu, non quasi vel modiculum aliquid ad sui conversionem facere, ad eam se præparare, aut Spiritui S. cooperari possint: Sed alijs de causis. Primum enim monere vult Spiritus S. nos non converti instar stipitis aut trunci, in quo nullus est motus aut sensus: sed Spiritus S. ex non volentibus facit volentes, novosq; excitat motus in corde, ut homo Spiritui S. obediat, cui antea resistebat. Dicitur aliàs hominem habere se in sui conversione instar trunci, quia ut truncus nullam habet aptitudinem activam ad statuam, quæ forte ex illo efformatur: ita homo convertendus non est aptus præparandi se ad gratiam, seu adjuvandi eam. Sed non convertitur ut truncus. Magna enim est diversitas inter truncum & hominem convertendum. Ille non habet aptitudinem passivam, h. e. non est subjectum conversionis habile: hic verò post sub-*

*Quare dicatur homo seipsum convertere.*

*jectum habile, imò non est alterius creaturæ conversio, quàm hominis. Truncus non potest resistere fabro, in se agenti, homo autem resistere potest Spiritui Sancto conversionem in ipsis operari volenti, quemadmodum Stephanus de Iudæis dicit, quod resistant Spiritui Sancto* Act. 7. 51. *& Christus de Hierusalem: quoties volui te congregare, sed noluisti* Matth. 23. *Truncus recipit actionem sine motu & sensu: voluntas verò hominis mota à Spiritu Sancto non ita recipit actionem Spiritus Sancti, sed incipit velle & operari, ita ut statim lucta difficilis oriatur inter carnem & Spiritum Sanctum. Hanc rationem etiam agnoscit Bellarminus qui* lib. 2. de gratia primi hominis cap. 6. *ad argumentum Pelagianorum à præceptis sumtum respondet:* Scripturæ, dum dehortantur homines ad conversionem, id monent, ut, cum à Deo vocantur & excitantur, non resistant Spiritui Sancto, juxta Psalmum: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare aures vestras &c. *Deinde utitur Deus præceptivis illis vocabulis, ut agnoscamus, quid ipse jure à nobis efflagitare possit; nos verò præstare non valeamus, ob summam naturæ nostræ depravationem, in cujus agnitionem & deplorationem nos hac ratione adducere voluit. Fieri enim non potest, ut homo seipsum convertat, cum autem convertere se jubetur, quanta sit ejus infirmitas, demum animadvertit. Tertiò* convertere etiam *se dicuntur, qui media conversionis non adspernantur, sed utuntur ijs, inprimis auditu verbi externo, qui etiam non renatis in scripturâ tribuitur* Amos 8, 11, 12. Marc. 6. 20. Act. 13. 7. &c. *Et Paulus noster dicit, Thessalonicenses se convertisse, quando Spiritui S. per verbum Apostolicum in ipsis agenti nõ restiterunt, sed per illud moti fuerunt, ut abijcerent idola, Deumque verum rectè agnoscerent:*

*quam agnitionem veri Dei, & odium idolorum in ipsis operatini divinæ non resistentibus Spiritus S. operabatur.*

## QUÆSTIO III.

Num idola, à quibus conversi dicuntur Thessalonicenses v. 9. etiam complectuntur imagines?

*Resp. Ita putat Zanchius in commentario super hunc locum, tom. 6. operum fol. 370.* Idoli nomine, *inquit*, in genere intelligitur, quidquid in religione extra Dei verbum ab hominibus confingitur. Omnia enim sunt figmenta cordis. Atque hæc sunt alia interna & in sola mente hærentia, ut falsæ de Deo opiniones: alia externa, ut imagines falsi cultus. *Verum scriptura etiam vocabulis distinguit idola & imagines: illa sunt εἴδωλα, hæ icones. Idola ad venerationem religiosam posita sunt, omnisq; animi Conceptus, qui creaturis quoquo modo divinitatem aliquam tribuit, idolum est: imagines autem tantum propter historiam aut ornatum fiunt: quod si autem imaginibus cultus aut reverentia aliqua religiosa exhibeatur, degenerant in idola. Ideo Deus in verbo idola semper prohibuit: Imagines autem etiam in templo suo fieri voluit. Distinguuntur igitur imagines ab idolis per religiosum cultum & venerationem: Ideo Carolus Magnus lib suo 4. pag. 18. scribit:* Nos imagines in basilicis positas idola non nuncupamus, sed ne idola nuncupentur, adorare & colere eas recusamus. *Imago genus est; idolum species: imago enim dum religiosè colitur, sive per adorationem, sive per religiosam animi devotionem, sive etiam per exter-*

Idola et Imagines differunt

*num*

*num ornatum, fit idolum: cum autem cultus ille cessat non amplius idolum, sed nihil aliud, quam imago est. Ideo in scriptura legimus, imagines olim ad cultum idololatricum adhibitas, non fuisse deturbatas, sed in rei memoriam vel propter historiam suo loco relictas, quemadmodum de ara ignoto Deo Athenis consecrata, & de imaginibus Castoris & Pollucis constat ex* Act. 17. 27, 28. *quæ aliquandiu ad idolatriam adhibitæ fuerunt, Postquam autem melior Apostoli institutio accessit, idololatria cessavit, imagines autem pristinum suum locum obtinuerunt: quæ res manifestè docet, imaginem & idolum esse duo distinctissima. Qua de re vide plura in libello meo Germanico de imaginibus cap. 1. & 2.*

## QUÆSTIO IV.

Quomodo Thessalonicenses jubentur Christum expectare è cœlis, cum tamen reditus ejus è cœlis tunc nondum instaret, ut in 2. Thess. 2. v. 2. docuit?

*Resp. 1. Expectatio filij* Dei *de cœlo significat (1) quamcunq; spem futurorum bonorum, quæ quidem Filius* Dei *nobis merito suo peperit, nondum autem plenè possidenda dedit, sed in cœlo tanquam in divite quodam repositorio deposuit. Hac ratione omnes fideles à primo Christi adventu expectarunt filium* Dei *de Cœlis, quia omnes spem vitæ & felicitatis æternæ habuerunt in ipso, quâ molestias crucis sublevare potuerunt. Quam ob causam spe salvi dicimur* Rom. 8. *& beatam spem expectare* Tit. 2. *Hoc ergo primum est, fideliter servire* Deo, *& hujus servitutis largam retributionem in spe & silentio multa cum cruce expectare è cœlestibus,*

Vita

*Vita enim nostra abscondita est in Deo cum Christo, cum autem Christus vita nostra revelatus fuerit, tunc videbimus eum in gloriâ* Col.3.(2) *expectatio filij Dei de cœlis notat ultimum ejus adventum ad judicium novissimum. Is tempore Thessalonicensium quidem nondum præ foribus erat, quia revelandus adhuc erat AntiChristus: expectare tamen eum jubentur, quia plena felicitas ante illum adventum speranda non erat. Quemadmodum ergo pij Patres primum Christi adventum anxiè desiderabant, etiamsi vita ipsorum beatum illud tempus non attingeret: ita Thessalonicensium ad fidem Christi conversorum officium erat, desiderare adventum Christi ultimum, qui liberationem à malis omnibus, & perfectam bonorum omnium communicationem simul afferebat. Etsi ergo adventus ille Christi ultimus tum nondum instabat: pietatis tamen erat, optare, ut maturaret, patientiæ verò Christianæ, moram & dilationem ejus æquo animo ferre: id quod Apostolus Paulus à novellis illis Christianis, tanquam verum veri Christianismi signum postulabat.*

## CAPUT II.

## ARGVMENTVM ET PARtitio Capitis.

*CVm præcedente Cap. v. 9. Apostolatus sui mentionem fecisset Paulus, in quo tam feliciter laboravit apud Thessalonicenses, ut & vicini populi industriam ejus cum grati animi significatione agnoscerent: ipse jam hoc in capite particulatim explicat, quid Thessalonicæ fecerit, & quibus in rebus stu-*

*diū industriamq; suam alijs probaverit, & quomodo à Thessalonicensibus exceptus fuerit: eaq; omnia in hunc finem facit, ut quæ Apostolus magna cum fide ipsis commiserit, ipsiq; summo cum gaudio acceperint, deinceps etiam fideliter custodire studeant. Est ergo hoc caput nihil aliud, quam descriptio boni & fidelis pastoris, ut & auditorum piorum, apud quos verbum prædicatum cum gaudio excipitur, & fructus fert cum patientia. Partes capitis tres sunt:*

In primâ Paulus commemorat, qua fide Thessalonicensibus Evangelium tradidit, usque ad v. 13.

In secundâ Thessalonicensium pietatem prædicat, à v. 13. usque ad 17.

In tertia desiderium suum invisendi ipsos exponit, à v. 17. usque ad finem.

## PRIMA PARS.

### *TEXTVS.*

Αὐτοὶ γὰρ οἴδατε, ἀδελφοὶ, τὴν εἴσοδον ἡμῶν τὴν πρὸς ὑμᾶς, ὅτι κενὴ γέγονεν.

1. NAM ipsi nostis, fratres, introitum nostrum ad vos, quod non fuerit inanis.

Ἀλλὰ καὶ προπαθόντες καὶ ὑβρισθέντες, καθὼς οἴδατε ἐν Φιλίπποις, ἐπαρρησιασάμεθα ἐν τῷ Θεῷ ἡμῶν, λαλῆσαι πρὸς ὑμᾶς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ ἐν πολλῷ ἀγῶνι.

2. Sed quod ante malis afflicti & contumelijs affecti, quemadmodum scitis Philippis, audacter, egerimus in Deo nostro, ad loquendum apud vos Evangelium in multo certamine.

Ἡ γὰρ παράκλησις ἡμῶν οὐκ ἐκ πλάνης, οὐδὲ ἐξ ἀκαθαρσίας, οὐδὲ ἐν δόλῳ.

3. Siquidem exhortatio noſtra non fuit ex impoſtura, neque ex inmunditia, neque cum dolo:

Ἀλλὰ καθὼς δεδοκιμάσμεθα ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πιστευθῆναι τὸ εὐαγγέλιον, οὕτω λαλοῦμεν, οὐχ ὡς ἀνθρώποις ἀρέσκοντες, ἀλλὰ τῷ Θεῷ τῷ δοκιμάζοντι τὰς καρδίας ἡμῶν.

4. Sed quemadmodum probati fueramus à Deo, ut nobis committeretur Evangelium, ut loquimur, non ut hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra.

Οὔτε γάρ ποτε ἐν λόγῳ κολακείας ἐγενήθημεν, καθὼς οἴδατε, οὔτε ἐν προφάσει πλεονεξίας, θεὸς μάρτυς:

5. Neque enim unquam per ſermonem adulationis verſati ſumus, quemadmodum noſtis, nec in occaſionem avaritiæ, Deo eſt teſtis.

Οὔτε ζητοῦντες ἐξ ἀνθρώπων δόξαν, οὔτε ἀφ' ὑμῶν, οὔτε ἀπ' ἄλλων.

6. Neque quæremtes ex hominibus gloriam, nec à vobis, nec ab aliis.

Δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι ὡς Χριστοῦ ἀπόστολοι: ἀλλ' ἐγενήθημεν ἤπιοι ἐν μέσῳ ὑμῶν, ὡς ἂν τροφὸς θάλπῃ τὰ ἑαυτῆς τέκνα.

7. Quum poſſemus in autoritate eſſe tanquam Apoſtoli Chriſti: ſed fuimus placidi in medio veſtri perinde ac ſi nutrix foveat ſuos filios.

Οὕτως ὁμειρόμενοι ὑμῶν, εὐδοκοῦμεν μεταδοῦναι ὑμῖν οὐ μόνον τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ καὶ τὰς ἑαυτῶν Ψυχάς, διότι ἀγαπητοὶ ἡμῖν γεγένησθε.

8. Sic affectu propenſi in vos, animo cupiebamus impertire vobis non ſolum Evangelium DEI, verum etiam noſtras ipſorum animas, propterea, quod chari nobis facti eſtis.

Μνημονεύετε γὰρ, ἀδελφοὶ, τὸν κόπον ἡμῶν καὶ τὸν μόχθον: νυκτὸς γὰρ καὶ ἡμέρας ἐργαζόμενοι, πρὸς τὸ μὴ ἐπιβαρῆσαί τινα ὑμῶν, ἐκηρύξαμεν εἰς ὑμᾶς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ.

9. Meminiſtis enim fratres, laboris noſtri ac ſudoris, nocte enim ac die opus facientes, ob id ne cui veſtrum eſſemus oneri, prædicavimus apud vos Evangelium Dei.

Ὑμεῖς μάρτυρες καὶ ὁ Θεὸς, ὡς ὁσίως, καὶ δικαίως, καὶ ἀμέμπτως ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν ἐγενήθημεν.

10. Vos teſtes eſtis & Deo, quam ſanctè & juſtè & inculpatè vobiſcum, qui credebatis, verſati fuerimus:

Καθάπερ οἴδατε, ὡς ἕνα ἕκαστον ὑμῶν [ὡς πατὴρ τέκνα ἑαυτοῦ.]

11. Quemadmodum noſtis, ut erga unumquenque veſtrum, [tanquam pater erga filios ſuos] fuerimus affecti.

Παρακαλοῦντες ὑμᾶς καὶ παραμυθούμενοι, καὶ μαρτυρόμενον, εἰς τὸ περιπατῆσαι ὑμᾶς ἀξίως τοῦ Θεοῦ τοῦ καλοῦντος ὑμᾶς εἰς τὴν ἑαυτοῦ βασιλείαν καὶ δόξαν.

12. Obſervantes vos, & conſolantes, & obteſtantes, ut ambularetis dignè Deo, qui vocaſſet vos in ſuum regnum ac gloriam.

PRoposítio primæ partis extat v. 1. *Non fruſtra ad vos veni, nec absq; fructu apud vos laboravi.* Nam & ipſi ſcitis, fratres, *inquit*, introitum noſtrum ad vos, quia non fuit inanis v. 1. *Supra dixerat, ſuum ad Theſſalonicenſes ingreſſum paſſim ubiq; innotuiſſe, quomodo ipſius operâ ab idolomania Ethnica ad fidem Chriſti fuerint converſi: hîc verò ad proprium ipſorum teſtimonium provocat, qui omnium optimè ſciant, qua occaſione ad ipſos venerit, & quam felici cum ſucceſſu ibi laboraverit. Utitur autem phraſi de Apoſtolatu ſuo, ſcripturæ propria, ubi proverbialiter*, ingredi *dicuntur, qui vel Eccleſiam vel Rempublicam*

*admini-*

*administraut, ut* Num. 4, 19. *Aaron & filij ingredientur, ipsiq; disponent opera singulorum: Et Moses successorem in officio à Domino petens, hujusmodi hominem petit, qui possit exire & intrare ante populum eumq; educere & introducere, h. e. qui possit eum regere* Num. 27, 17. *David egredi & ingredi coram Populo dicitur, cum tribunus militum esset factus* 1. Sam. 18, 13. *Et Dominꝰ Iesus inter discipulos suos egredi & ingredi scribitur* Act. 1, 21. *Et modo Pauli ministerium hic vocatur ingressus. De hoc ingressu scribit,* quod non fuerit inanis, *h. e. non sine benedictione Dei, nec sine singulari fructu, quod Thessalonicensium fides, spes atq; caritas, quam supra commendaverat, ostendit: vel nõ fuit inanis, h. e. nõ sine multo labore ac periculo, quod mihi quotidiè, ob seditiosos Iudæos, imminebat. Respicit enim ad historiã in* Actis cap. 17, 5. *descriptam, de qua supra in prolegomenis. In græco est vox κενὴ, quæ significat cessationem operationis & laboris, quo sensu usurpatur* 1. Cor. 15, 58. & Phil. 2, 16.

*Observ.*

*Meminerint ergo Ecclesiæ Doctores, se per legitimam vocationem ingredi ad Populum Dei, fidei suæ commissum, non ut ibi otientur, aut delitijs seculi fruantur, sed ut laborent & patiantur pro gloria Christi: quæ prima pastorum virtus est, prima quoq; ipsorum cura sit. Nam ingressus ipsorum non dicitur esse inanis: non subterfugere debent labores, & pericula, quibus ministerium verbi plenum est. Quod si fecerint, Deꝰ dabit exoptatos successus, ne & labor ille sit inanis, sed multiplicem fructum ferat, quemadmodum promisit Dominus: Electi mei non laborabunt frustra* Esa. 65, 23. *& verbum non redibit ad me vacuum* Esa. 55, 11. *Magnum autem affert gaudium fidelibus Ecclesiæ ministris, cum animadvertunt, ingressum suum non fuisse inanem, h. e. se & occasionem laborandi habuisse præclaram, ostiumq; amplum E-*

*vangelio suo apertum esse, & labores hosce suos non carere fructu, sicut vicissim vix majorem sentiunt dolorem, quam cum labores vocationis impediuntur, aut sine fructu singulari fiunt. Ideo Elias mortem exoptabat, cum videret Prophetas Domini occisos, & se tutò prædicare amplius non posse* 1. Reg. 19, 4. *Et Christus ipse mirabatur, se Nazarethi non posse virtutem ullam facere, propter summam hominum incredulitatem* Mar. 6, 5. *Quemadmodum enim mulier feliciter enixa infantem, non meminit dolorum partus, præ gaudio, quod homo in mundum natus est: vicissim autem ingeminantur dolores, cum pro homine monstrum inspératum prodiisse videt: ita omnis labor ministerij facilis est & absque dolore, si Ecclesiæ utilis est, & successu suo non caret: vicissim autem plenus metu & molestijs, si ob auditorum malitiam nihil proficitur, quemadmodum Paulus de Galatis scribit: metuo de vobis, ne frustra laboraverim erga vos* Gal. 4, 11. *aliter autem de Thessalonicensibus hic scribit, quod nimirum suus apud ipsos ingressus non fuerit inanis: quo nomine & sibi gaudet, & Christianis illis gratulatur.*

*Iam porrò ordine ostendit, quomodo suum apud Thessalonicenses ministerium plenum labore & salutari fructu fuerit: quæ confirmatio propositionis est. Primum probat hoc ex certaminibus, quæ pro Evangelio Christi ibi sustinuit, etiam tum cum vix periculum vitæ alibi evasisset. Ita enim scribit:* Sed ante passi & contumelijs affecti, sicut scitis, in Philippis, fiduciam habuimus, in Deo nostro, loquentes Evangelium Dei in multa solicitudine v. 2. *Aliarum suarum persecutionum obiter tantum meminit, quos alibi in compendium contraxit*

2. Cor.

2. Cor. 11, 24. seqq. *hic illius tantum mentionem in specie facit, quod ei paulò antequam ad Thessalonicenses veniret, acciderat, in vicina urbe, Philippis, ubi propter Evangelium prædicatum, & Diabolum è Pythonissa ejectum, virgis cæsus & in carcerem compactus fuit: ex quo cum Deus eum mirabiliter liberasset, ut Act. 16. legitur, non tamen desijt Evangelium prædicare etiam Thessalonicæ, etsi tunc quoq; non extra periculum esset, ut ex Act. 17. constat: ideo se* multa cum solicitudine, *in græco est,* ἐν πολλῷ ἀγῶνι *in multo certamine id fecisse scribit, magna tamen cum confidentiâ ac libertate, sperans, Deum sibi ibi etiam non defuturum.*

*Hæc est altera virtus boni pastoris, constantia in periculis. Nam qui fideliter suum officium faciunt, nunquam sunt sine certamine, quod vel cum hæreticis, vel cum falsis fratribus, vel etiam cum malitiosis alijs subeundum est, per quos si doctrinam labefactare, non potest Satan, calumnijs tamen famam eorum denigrare studet. Hic non sunt abijciendæ hastæ, nec propter aliquos malitiosos tota deserenda Ecclesia, quod delicatuli faciunt, qui, tum injurias nullas ferre possint, novas parochias quærunt, cum tamen ubique gratiam mundi & cribrationes Satanæ inveniant.* Observ.

*Occurrat autem hic exemplum Pauli, qui magno cum certamine Evangelium prædicavit, injurias, contumelias, vincula, virgas, mortem denig; ipsam perpessus, nec tamen de officio suo quidquam remisit: sed de se ipso scribit: In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur aporiamur, sed non destituimur, persecutionẽ patimur, sed nõ*

dere

derelinquimur, deijcimur, sed non perimus, 2. Cor. 4, 8. &c: exhibemus nosmetipsos sicut ministros Dei in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vinculis, in jejunijs, in castitate, in scientia &c. per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut seductores & veraces & 2. Cor. 6, 8. Et Timotheum suum hortatur: Labora ut bonus miles Iesu Christi &c. nam qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certaverit, 2. Tim. 2, 3. seqq.

*Secunda probatio petitur à puritate animi*: Exhortatio nostra, *inquit*, non de errore, neque de immunditia, neque in dolo v. 3. *exhortationem*, παράκλησιν, *vocat doctrinam suam, quæ potissimum consolatione efficaci & commonefactione necessariâ constabat: quæ duo aliàs vox* παράκλησεως *in specie notat.*

[παρακαλεῖν est 1. hortari. 2. solari. 3. defendere: opponitur autem apud plutarch. τῷ ἀποκαλεῖν, quod est, accusare & reprehendere.]

*In his omnibus scribit, se fuisse inculpatum, absq; ullo errore in doctrinâ, absq; impuritate invitâ aut sermone, absq; hypocrisi in conversatione: possunt hæc tria vocabula conjunctim ad doctrinam accommodari. Nam error in græco est* πλάνη, *impostura seu fallacia, & intelligitur ipsa doctrina erronea, ad decipiendum composita. Impuritas* ἀκαθαρσία *notat Spiritualem immunditiam, qua conspurcatur anima per venenatam doctrinã, qualis immundities est scorti Babylonici, cũ quo scortati sunt reges terræ* Apoc. 18, 9. *& Jezabelis, quæ se dicit prophetissam, & seducit servos Domini, ut fornicentur* Apoc. 2, 20. *Dolus notat hypocrisin & versutias in corruptione doctrinæ, ubi pseudodoctores contra conscientiam*

*persuadent*

*persuadent populo, quæ sciunt ei nec utilia esse, nec necessaria: quo sensu Elimas magus, quærens avertere proconsulem à fide, plenus omni dolo & omni versutia appellatur, quia invertebat vias Domini rectas.* Act. 13, 10.

[*Impostura ad substantiam doctrinæ, impuritas ad animi affectum, dolus ad modum agendi refertur.* Rom. 1, 24. ἀκαθαρσία *usurpatur de masculâ venere.*]

*Hæc ergo tertia ministrorum Ecclesiæ virtus est, integritas, seu puritas animi: ne sibi conscij sint ullius erroris in fide, ullius sceleris in vitâ, ne dolosè circumveniant incautos, obtrudentes errorem sub comminatione verborum loco veræ doctrinæ, ne parcant sceleratis, Sed acritèr eos reprehendãt, ne fiant participes scelerũ. Decet enim Ecclesiæ ministrum candor & sinceritas, sanctitas & integritas, quanta in hanc infirmitatem hominum cadere potest: neq; verbum ipsum admittit impostura, sed amat simplicitatem. Idcirco Paulus μεθοδείαν τῆς πλάνης in prætonibus verbi improbat* Eph. 4, 14. *& suam sinceritatem in docendo opponit cauponantibus verbum Domini* 2. Cor. 2, 17. *Contra hanc virtutem peccant (1.) qui hæresin suam occultant, & ore quamvis profitentur fidem, ne videantur à quoquam dissentire, quod Priscillianistæ olim fecerunt (2) qui sub phrasibus veræ Ecclesiæ doctrinam alienam propagant, loquentes cum pluribus, sentientes cum paucis, quemadmodum olim Bucerus suasit Petro Martyri, de quo Iosias, Similerus in vitâ Martyris: & Pelargus jam fatetur, se per 30. annos aliam intra animæ penetralia fovisse doctrinam, quam publicè professus est, se cum pluribus locutum, cum paucis verò sensisse,* antith. 20.

Observ.

[*Pelargi verba: pusillanimitas & studium pacis ut cum pluribus loquerer, cum paucis sentirem, effecerunt.*]

*Quorum vita non respondet doctrinæ, homines* δίψυχοι, *hypocritæ, dolosi, qui verba sua ad decipiendos alios componunt, sub specieq; amicitiæ alios supplantant incautos. Ab his vitijs caveant sibi Ecclesiæ ministri. Quemadmodum enim doctrina cœlestis est instar sinceri lactis* 1. Pet. 2, 2. *ita & doctores sinceritatem amare, & absq; dolo officium facere decet, memores, quod Dominus Deus sit inspector omnium consiliorum & actionum nostrarum, qui linguam mendacem abominatur* Prov. 6, 17.

*Tertia probatio petita est à fidelitate sui officij, in quo nihil fecit ad placitum hominum, sed in omnibus Dei gloriam quæsivit.* Sicut probati sumus Deo, *inquit*, ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur: non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra, v. 4. *In græco est* καθὼς δεδοκιμάσμεθα: *ubi verbum* δοκιμάζειν *idem est ac approbare, & dignum judicare, sicut* ἀδόκιμος *vocatur* 1. Cor. 9, 27. *qui judicio Dei ac hominum in officio suo fit reprobus.*

[δοκιμάζειν *interdum idem est, ac periculum facere, examinare ut infra cap.* 5. πάντα δὲ δοκιμάζετε, *interdum idem ac approbare*]

*Probatus autem est Apostolus Deo bifariam: primum cum ad Apostolatum vocaretur, ubi vas electum Dei appellatur* Act. 9, 15, *Deinde cum accepto spiritu sancto, & repletus sapientia, fidelis & idoneus Ecclesiæ doctor reperiretur, de qua probatione ipse loquitur* 1. Cor. 4, 4. *qui judicat me, Dominus est*, & 2. Cor. 3, 5. *sufficientia nostra à Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti. Huic ergo etiamnum placere studet, nil curans hominum applausum, qui & sæpe fallitur, & inconstans est: Deus autem neq; falli-*

*tur*

*tur, quia probat corda,* 1. Sam. 16, 7. Psal, 139, 23. 7. 10. *neq; mutatur, quia semper sibi constat,* Mal. 3, 6. *Ita Paulus officij sui fidelitatem descripsit: cui duo opponit vitia, adulationem & avaritiam, à quibus se procul abesse scribit, interposito juramento:* Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiæ, Deus testis est v. 5. *Solent hæc duo plerumque comitari eos, qui hominum favorem aucupantur. Tales enim palpum faciunt etiam manifestis peccatoribus, ut ventri suo velificentur. Quemadmodum enim veritas odium parit, ita assentatio amicitias. Ab his verò artibus se procul abfuisse Paulus asseverat, provocans partim ad Thessalonicensium, partim ad ipsius Dei testimonium.*

*Quarta ergo virtus Ecclesiæ ministri est fidelitas, quæ simplici studio facit, quod sui est muneris, tantum ut approbetur Deo, nil curans hominum favorem, in quorum gratiam nihil ab officio facit alienum. De hac virtute* Paulus *scribit* 1. Cor. 4, 2. *cum ministros Christi dispensatores mysteriorum Dei appellasset, hoc jam quæritur, inquit, in dispensatore, ut fidelis quis inveniatur:* & Gal. 1. v. 10, 11. *An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Opposita est hæc virtus duobus vitijs, adulationi & avaritiæ, quæ inprimis ordinem sacrum dehonestant. Nam assentatores ad multa auditorum scelera connivent, suoque silentio alienorum peccatorum reddunt se participes. Et hac ratione, dum hominum gratiam affectant, Dei favorem amittunt; qua de re vide* Ezech. 3, 18. *Pecuniæ quoque studium obcæcat oculos multorum, ne videant quæ reprehensionem merebantur, quod Dominus gravissimè castigat in prophetis illis qui violant Deum ob pugillum hordei, & fragmen panis, ut occidant animas, quæ* Observ.

*non moriuntur, & vivificent animas, quæ non vivunt,* Ezech. 13, 19, *Idcirco D. Petrus doctores Ecclesiarum hortatur, ne quid turpis lucri causa faciant, sed omnia ex animo* 1. Pet. 5, 2. *& inter requisita Presbyteri quoq; ponitur, ne sit turpis lucri cupidus,* 1. Tim. 3, 3. *Quomodo verò prophetæ olim de avaritia pseudodoctorum conquesti fuerint, videatur* Esai. 56, 11. Jerem. 6, 13. Mal. 1, 10. *Prohibita autem est non tantum* πλεονεξία, *cum quis nimis petax est: Sed &* πρόφασις τῆς πλεονεξίας, *cum stipendij tenuitas prætenditur, aut laborum & vigiliarum molestiæ, quæ compensatione quadam dignæ sint. Quibus artibus Monachi in Papatu viduarum domos devorarunt, prætendentes precationes longas, missas & vigilias, ut animæ defunctorum ex purgatorio liberentur, imitati hoc in genere pharisæos, quos Christus hoc nomine, ut hypocritas reprehendit* Matth. 23, 14.

*Porrò habemus etiam hic testimonium, licitum esse interdum rem seriam confirmare juramento, sicut Paulus ait, Deum esse testem, se ab avaritia & adulatione alienum esse. Etsi enim juxta Christi præceptum, sermo noster esse debet, est, est; non, non,* Matth. 5. 37. *facit tamen interdum obstinacia hominum, interdum rei gravitas, ut jurejurando affirmandum sit, quod simplici asseveratione adsensum non obtinuisset. Sic Deus ipse juramento nobis confirmavit promissiones gratiæ, quæ rationi aliàs videbantur impossibiles, ut hæredibus promissionum abundantius ostenderet immobilitatem consilij sui* Heb. 6, 17. *& Christus præcipua quædam dicta sua juramento obsignavit, ex veteri Hebræorum formulâ Amen, qua quid tanquam interposito jurejrando affirmatur, juxta illud* Esa. 65, 16. *Qui benedixerit sibi in terra, benedicet sibi in Deo Amen, & qui juraverit, jurabit in Deo Amen.*

*Amen*

[*Amvn est interdum approbantis ut Num. 5, 22. Deut. 27, 15. interdum optantis Psal. 41, 14. 1. Reg. 3, 36. Neh. 8, 6. interdum applicantis promissiones 1. Paral. 16, 36 Ier. 11, 5. interdum asseverantis, ut 2. Cor. 20.*]

*Formula jurandi Paulo usitata est, testis est mihi Deus* Rom. 1, 9. Pil. 1. 8. *& in nostro textu: vel: testem invoco Deum in animam meam* 2. Cor. 1, 23. *quibus verbis natura jurisjurandi exprimitur, quod tria continet,* (1.) φάσιν *seu asseverationem nudam rei* (2.) ἐμμαρτύρησιν *testimonium numinis divini, quod fallere nescit.* (3.) κατάραν *execrationem sui ipsius, aut vindictæ divinæ executionem, si jurans fallat. Talia juramenta Deo non sunt adversa, modo non fiant in alio, quam in Dei nomine: non fiant leviter, non in re levi, nec levi modo, absq; rei consideratione: non fiant coactè, non in rebus impiis aut inhonestis: talibus enim juramentis opposita est* ‖ *vox Christi, non jurabitis omninò: & hæc veri juramenti requisita conjunguntur* Jer. 4, 2. *Iurabis, vivit Dominus, in veritate (hæc excludit levitatem) in judicio (hoc excludit coactionem) in justitia, (hæc excludit rem illicitam) sed hæc de tertia probatione Pauli.* Natura jurisjurandi.

*Quartò probat studium sui ministerii à singulari humilitate.* Nec quærentes (*inquit*) ab hominibus gloriam, neq; à vobis, neq; ab alijs: quum possemus vobis oneri esse, ut Christi Apostoli v. 6. *Summa hæc humilitas est, qua quis etiam honorem aut præmia sibi debita non curat. Poterat utiq; Paulus etiã gloriam petere à suis auditoribus. sicut ad Tim. scribit: qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.* 1. Tim. 5, 17. *& necessaria vitæ alimenta, nam & Christus operarium mercede sua dignum judicavit* Matt. 10, 10. *quod jus suũ prolixè persequitur Apostolo* 1. Cor. 9, 4. *seqq. Sed in his noluit Thessalonicensibus oneri es-*

se: in græco est ἐν βάρει εἶναι: quæ phrasis duo significat, (1) in gravitate & autoritate, seu honorabilem esse, (2) gravem & onerosum esse, ut solent ij, qui ab alijs necessaria vitæ alimenta petunt. Priorem significationem agnoscit hoc loco ex veteribus Ambrosius, posteriorem Theodoretus & Hieronymus. Vtramq; exprimit Syriaca vox, quæ & gravem & honorabilem esse significat: & apprimè ad textum congruit utraq; significatio. Vtrumq; enim ostendere vult Apostolus, se & majori cum gravitate ac autoritate inter ipsos versari, & alimenta ab ipsis petere potuisse: sed se sponte de jure suo cessisse, quia nec gloriam quærat ab ipsis, neq; victum, sed labore manuum suarum sibi ipsi de necessarijs alimentis prospiciat, ut infra v. 9. declarat. 14.

Observat. Quinta hæc est virtus ministrorum verbi, verè se submittere, & de jure suo cedere. Debetur utique honor ministris Ecclesiæ propter ministerium Spiritus, cui serviant, & propter Dominum Iesum, cujus sunt vicarij. Nam si honorandi sunt corporum medici, teste Siracide cap. 38, 1. quanto major honor debetur medicis animarum? Ideo Christus ad discipulos suos ait: Qui vos recipit, me recipit, & qui vos spernit, me spernit Matth. 10, 40. Luc. 10, 16. aliena tamen esse debet à ministris Christi ambitio, qui honorem nec ambire aut exigere debent neglectum, nec spernere oblatum: in omnibus autem quærant gloriam Dei à quo missi sunt, qui & ipsos vicissim honorabit, & existimationem ipsorum contra malevolos tuebitur: sicut dixit Dominus: honorantes me honorabo 1. Sam 2, 30. & Christus ait: ego gloriam meam non quæro; est qui quærat, & judicet Joh. 8, 50.

*Quinta probatio petitur à mansuetudine & lenitate, qua usus est in conversatione cum ipsis:* Sed factisumus parvuli in medio vestri, tanquam si nutrix foveat filios suos; ita desiderantes vos cupidè volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis. v. 7, 8. *Pertinent quidem hæc verba ad v. 6. tanquam probatio, quod Paulus ab omni avaritia & ambitione apud Thessalonicenses abstinuerit; quia summa cum modestia & lenitate animi inter ipsos vixerit, bona potius promovens, quàm occasionem præbens damno; esse tamen simul potest novum argumentum, quo suam in ministerio fidelitatem commendat. Ait autem, se factum esse parvulum, νήπιον, quæ vox ex antiquis scholijs irrepsit in textum; rectius legitur ἤπιοι, blandi, mites, leues, suaves & quieti. Hoc enim vult Paulus se in medio ipsorum ideſt in conspectu omnium moribus non asperis fuisse, sed facilem & benignum, sicut nutrix erga suos solet esse fœtus: cujus similitudinis tria facit membra.* (1) *nutrix fovet (θάλπει) fœtum suum, h.e. calore suo fulcit, suaviter se ei applicat, pectori apponit, in ulnis portat, & omnino cavet, nequid adversi eis accidat: ita & Paulus fovit Thessalonicenses suos, præcavens ipsorum mala, & nihil magis in votis habens, quam ut semper eis bene sit* (2) *nutrix desiderat absentes quoq; liberos suos videre, sicubi non semper cohabitare eis potest: sic & Paulus cum interdum propter opificij sui labores, quorum versu sequente meminit, abesset ab Ecclesia: ἱμειρόμενοι tamen erat, h.e. maximè cupidus videndi eã.* (3.) *nutrix parata est etiam sanguine proprio nutrire liberos ex ardentissimo amoris affectu: sic & Paulus scribit se εὐδοκεῖν, seu magna cum voluptate voluisse Thessalonicensibus, quos impensè amaverat, & Evangelium tradere, & vitã pro*

*ipsis*

ipsis effundere, si ex usu ipsorum foret. Hoc ergo materno affectu, quo in natura non est major, exprimere voluit Paulus lenitatem & benignitatem suam erga Thessalonicenses; quo simili utitur etiam ad Galatas cap. 4, 19.

Observat. Sexta ergò hæc est virtus ministrorum verbi, Ecclesiam suam tenerrimè amare, quod fit, cum & absentis cura habetur, ne quid detrimenti capiat, incommoda ejus præcavere, verbo Dei fideliter pascere, & vel proprio periculo, si opus sit, pacem ac tranquillitatem ejus redimere. Hoc animo fuit Paulus erga Thessalonicenses; eodem fuit erga Corinthios 2. Cor. 12, 15. eodem erga Philippenses Phil. 2, 17. pro quibus vitam profundere & instar victimæ immolari vult, modò ipsi in fide Christi proficiant. Notandum hoc est contra eos, qui vix admoti ad regimen Ecclesiæ, imperiosi fiunt, asperi & intractabiles, quibus inculcandum esset illud Siracidæ cap. 32, 1. Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto quasi unus ex illis. Sit autem ejusmodi amor non verbalis tantum, sed cum εὐδοκίᾳ conjunctus, sicut Paulus scribit εὐδοκοῦμεν μεταδοῦναι ὑμῖν τὰς ἑαυτῶν ψυχάς. Magna ergò cum promptitudine unusquisq; expendere debet labores officij sui, non cum tædio, sed cum voluptate prædicare, hoc est, impertiri Evangelium: væ enim mihi, si non Evangelisavero, inquit 1. Cor. 9, 16. magna etiam alacritate pericula subeunda sunt pro Ecclesia, hoc est animam ponere pro ovibus, quam Christus notam boni pastoris esse dixit, Joh. 10, 11. Quæ omnia non spe præmij alicujus aut gloriæ, sed ex impenso amore erga Ecclesiam fidei nostræ commissam, tanquam spiritualem fœtum fieri debent. Qui amor si est reciprocus, hoc est, ex parte Ecclesiæ quoq; ardens, præludium est vitæ æternæ, ubi nulla erit animorum disjunctio, sed perpetuum mutuorum officiorum certamen.

Sextam probationem suppeditat Pauli continuus labor,

quo

*quo victum quæsivit, ne gravaret Ecclesiam sui alimentatione.* Memores enim estis fratres, laboris nostri & fatigationis: nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei v. 9. *Duplicem laborem sibi tribuit: unum vocat κόπον, alterum μόχθον. Κόπος est labor cũ sollicitudine & curâ conjunctus; μόχθος huic curæ superaddit defatigationem corporis. Illum de Spirituali labore, qui consistebat in prædicatione Evangelij; hunc de manuario labore scenopegiæ intelligimus, quam artem Paulum novisse, constat ex Act:* cap. 18, 13. *Utriq; labori sedulò incumbebat, die ac nocte. Nam cum interdiu prædicasset, noctu manuario suo opificio victum quæsivit: utrobiq; inserviebat Thessalonicensibus: nam spirituali labore salutem ipsorum promovebat; manuario illo, sumptibus ipsorum parcebat. Idem fecit apud Ephesios toto triennio* Act. 20, 31, 33. *& apud Corinthios* 1. Cor. 9, 18. 2. cor. 11, 7.

*Magna fuit hæc fides Apostoli in suo munere, quæ vobis septimam virtutem ministri Evangelici monstrat, ἀυταρκειαν nimirum, ne suo nomini quoquo modo Ecclesia gravetur. Etsi enim minister verbi sumtibus Ecclesiæ alendus est, à qua etiam Stipendium suum jure petere potest, id quod Paulus* 1. cor. 9. *prolixè persequitur: sua tamen sorte contentus esse debet, non singulis annis novam petere accessionem stipendij, nec alijs quasi exactionibus Ecclesiam gravare, quo pacto facilè odium contrahere, & ministerij sui fructum intercipere potest. Omnia enim quæ cursum Evangelij præpedire possunt, vitanda sunt Ecclesiæ ministro: cui etiam labor ac sollicitudo in suo munere hic commendatur. Ideo enim Paulus ipse suorum in Apostolatu laborum præco est & hic & in* 1. Cor. 15, 10. *quia non otio & desidiâ, sed laboribus ac*

*vigilijs promovetur regnũ Christi. Commendatur etiam hic labor manuarius, cujus non pudere debet eos, qui in eo vitæ genere sunt divinitus constituti, ut non alia quam ista ratione victum sibi suisq; parare possint. Habent hi in consortio suo tantum Apostolum. Faciant ergo quod sui est muneris, fideliter, & successum petant à Deo, dicentes cum Mose: opera manuum nostrarum dirige super nos* Psal. 90, 17. Nam

Nullius est felix conatus & utilis unquam,
Si non consilium detq; juvetq; Deus.

*Septimò probat Paulus fidelitatem suo in ministerio à vitæ innocentiâ:* Vos testes estis, & Deus, inquit, quam sanctè & justè & sine querela vobis qui credidistis, fuimus v. 10. *Magna hæc sunt elogia, in quibus ne quid superbius de seipso dicere videatur Paulus, ad duos provocat testes omni exceptione majores, nimirum ad Deum, propter internos cordis affectus, & ad Ecclesiam Thessalonicensium, propter externam conversationem. Talis autem fuit ijs qui credidêrunt, & de vita sua rectè judicare poterant, nam adversarij ejus indignum etiam putabant qui viveret* Act. 22, 22. *Fidelibus ergo vixit sanctè, quò ad Deum; justè, quo ad proximum; ac inculpatè, quò ad utrumq; Fideles enim omniũ rectissimè de ipso judicare poterant, & exemplum vivendi ab ipso petere.*

*Octava hæc ministrorum virtus est, inculpata videlicet vita, quanta in hac imbecillitate esse potest. Ideo inter requisita verorum Episcoporum ponitur, ut ministerium fidei habeant in conscientia pura, & ministrent nullum crimen habentes* 1. Tim. 3, 9, 10. *& alibi jubentur esse exemplum fidelium, in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate* 1. Tim. 4, 12. *cujusmodi vita docentis plus ædificat, quam doctrina. Tria autem requiruntur hic à ministro verbi, quæ vi-*

tam

tam faciunt laudabilem: (1) sanctitas, quæ complectitur virtutes primæ tabulæ, ut veram notitiam Dei, serium timorem Dei, ardentem invocationem nominis divini, fidem, spem & similia (2) justitia, complectens virtutes secundæ tabulæ, & facit, ut cuiq; quod suum est, tribuamus reverentiam, honorem, obsequium, servitia denicq; nostra, cui ea debentur (3) inculpata vita, complectitur utramque tabulam, pietatem erga Deum & dilectionem erga proximum. Hoc enim demum conjunctim facit hominem inculpatum, qualis prædicatur Zacharias & Elisabeth Luc. 1, 6. Nam qui proximo quidem inserviunt, Deum verò odio habent, quis eos laude dignos putet? Vicissim si quis ait se diligere Deum, & odit fratrem suum, mendax est; qui enim non diligit fratrem, quem videt, Deum, quẽ non videt, quomodo potest diligere. 1. Joh. 4, 20. Idcirco integritati vitæ ita studendum est, ut Deus & Ecclesia ejus testis esse possit, si quando à malevolis in dubium vocatur. Dei testimonium sentit unusquisq; in sua conscientia: Ecclesiæ verò ex approbatione rectè judicantium, semper ergo Ecclesiæ minister conscientiam bonam & honestam famam conservare studeat, ita malevolorum linguas facilè contemnere potest.

Octava probatio consistit in paterna institutione. Sicut scitis, ait, qualiter unumquemq; vestrum, sicut pater filios suos, deprecantes vos & consolantes testificati sumus &c. v. 11. Non imperiosè egit cum ipsis, sed paterno cum affectu erga unumquemq; singulos ita curans, ac si solos curaret. Suavissimis his similitudinibus à στοργαῖς maternis & paternis erga liberos suos mirificè commovit animos Thessalonicensium, qui cum fervorem atque studium Pauli sibi in memoriam vocarent, mirum si non in lachrymas soluti fuerint. Tria autem sunt, in quibus paternum affectum eis pro-

bavit (1.) παραλύντες, inquit, in exhortationibus & obsecrationibus serijs, (nam παραλεῖν & exhortari & obsecrare significat) quibus excitabantur segnioves & cessantes. (2.) παραμυθέμενοι; in consolationibus, & blandis alloquijs, quibus indigent afflicti. Apostolus igitur, ubicunq; videbat afflictos, hos blandè alloquebatur, & solatijs efficacissimis reficiebat (3.) μαρτυρόμενοι, in obtestationibus, ut dignè Deo ambulent, qui vocavit ipsos in regnum suum & gloriam v. 12. Complectitur hæc μαρτυρία non simplicem tantum exhortationem, sed & testificationem de judicijs Dei horribilibus certò secuturis eos qui pijs admonitionibus non obtemperant. Ideo autem obtestatus eos est ad dignè ambulandum Deo, quia vocavit eos Deus in regnum suum & gloriam, h. e. non tantum cum extranei essent, advocavit eos, ut essent consortes regni, quod omnibus, qui natura sunt filij iræ accidit, quando ad Ecclesiam vocantur: verum etiam in illo suo regno consortes gloriæ fecit. Sunt enim Omnes electi conformes filio Dei Rom, 8, 29. cum quo sedent in cœlestibus Eph. 2, 6. ut cum ipso regnent, 2. Tim. 2, 13. Quo infelicior ergo erat ipsorum conditio, cum adhuc foris essent, & quò major ea dignitas vocationis est, eò cautius vivendum, ne quid contra vocationem tam præclaram & honorificam fiat.

Est ergò hic nona ministrorum verbi virtus, cura nempe singulorum auditorum, cum paterno affectu, qui ad exhortationes, consolationes & obtestationes afferri debet. Nihil enim hic fieri debet pro imperio, nihil ἐκ προσωπολημψίας, sed omnia ex animo, & cum serio voto, utinam nemo pereat! Sunt enim ministri Ecclesiarum patres animarum. ecquis verò pater non singulis ac universis suis liberis æternùm benè esse cupiat? Est autem summa exhortationum Ecclesiastica-

rum

*rum, ut vel gratiam adoptionis in verbo nobis oblatam recipiamus, quam exhortationem Paulus urget* 2. Cor. 5, 19. *vel ut gratia illâ, imò Deo ipso dignè ambulemus, h.e. ut filios Dei & confratres regni Christi decet, juxta admonitionem Domini: sancti estote, quia ego sanctus sum,* Lev. 19, 44. *estote perfecti, sicut pater vester in cœlis perfectus est* Matth. 5, 48. *Non ergo digni sunt Deo qui diabolicis suggestionibus obediunt, quia nullum est Deo commercium cum Diabolo; qui lites & dissidia serunt, quia Deus est caritas; qui mendacijs, dolis, ac fraudibus alios circumveniunt, quia Deus est veritas, qui deniq; profanè impieq; vivunt, quia Deus ipsa est sanctitas.*

## PARAPHRASIS PARTIS I. IN CAP 2.

NOn ignoratis, carissimi meam apud vos conversationem non caruisse fructu: Sed cum per vincula Philippensia (quæ vos non latent) animosior factus essem, multa cum cura ac sollicitudine, etiam apud vos Evangelium docui, fretus auxilio Dei, cujus præsentiam jam antè perceperam. Scio enim quod doctrina mea nec erronea sit, nec immunda, neq; fallax aut dolosa: sed quemadmodū Deo simplicitas mea placuit, cū me ad Apostolatū vocaret: ita eadem cum simplicitate doceo, etiamsi hominibus non placeam, modò sit aliquid in me, quod non displiceat Deo, qui scrutator est cordium nostrorum. Nunquam enim studui (ut probè nostis) vobis palpum facere, nec per avaritiam bonis vestris vos defraudare, (quo in genere Deum testem invoco) nec

gloriolam aliquam vel â vobis vel ab alijs aucupari: cũ enim vobis molestꝰ esse possem, & ut Christi Apostolus alimenta â vobis petere, non feci, sed magna cum lenitate inter vos vixi, & instar nutricis vos tractavi, quin & cupidissimus salutis vestræ nõ tantum doctrinam Evangelij vobis fideliter tradidi, sed & animam meam pro vobis exposuissem, si ea ratione salus vestra juvari potuisset, Quam ob causam, uti meministis, diu noctuq; manibus meis victum mihi necessarium quæsivi, ne vos mei causa quidquam expenderetis, ob Evangelium Christi, quod vobis prædicavi. Ad ipsius Dei & vestrum testimoniũ provocare audeo, quod vitam inter vos egi sanctam, justam ac inculpatam, quoad ejus fieri potuit, vosq; paterni planè affectus ad simile pietatis studium exhortatus sum, ne quam maculam aduratis evangelio, sed vos ad regnum gratiæ & gloriæ Christi incontaminatos reservetis.

## QUÆSTIONES EX HAC PARTE CAPITIS.

### QUÆSTIO I.

Scribit Apostolus v. 3. Exhortatio (seu doctrina) nostra non fuit apud vos in dolo: quomodo verò congruit hoc cum eo, quod 2. Cor. 12, 16. scripsit, cum essem astutus, dolo vos cepi.

*Resp. Dolus & fraudulentia ab Ecclesiæ doctoribus quam longissimè abesse debent, & nemo neq; violentiâ, neque blan-*

*ditijs*

*ditijs aut mendacijs ad agnitionẽ veritatis adducendus est: talis enim Conversio non solet esse diuturna. Malè ergo faciunt Romanenses, qui falsâ opinione meritorum suos ad studium bonorum operum exhortantur, fictitijsq; mendacijs sanctorum cultum & honorem promovent, sine dolo enim & mendacijs prædicari potest verbum Dei* Sir. 34, 8.

*Quod autem ad Corinthios scribit: cum astutus essem, dolo vos cepi, id non ex sua facit sententia, sed per mimesin verba Adversariorum recitat, qui objcere ei potuerunt, quod quidem præsens ipse gratis apud Corinthios docuerit, absens autem per alios eos expilarit: quod in sequentibus versiculis statim refutat, quia videlicet neminem ad ipsos miserit, præter Lucam, Barnabam & Titum, quorum omnium candor & integritas in vniversa Christi Ecclesia nota fuit, ita ut ne suspicio quidem in ipsos alicujus expilationis cadere potuerit.*

## QUÆSTIO II.

Si Paulus non quærit gloriam ab hominibus, neq; à Thessalonicensibus, neq; ab alijs, uti v. 6. loquitur: cur ergo in sequentibus ita gloriatur, quod ipsis non fuerit oneri, quod instar matris eos foverit v. 7. quod animam suam pro ipsis tradere voluerit v. 8. quod eos non gravaverit v. 9. quod sanctè justè, & sine querela apud ipsos fuerit v. 9.

*Resp. Minister Ecclesiæ aucupari non debet gloriam apud homines, ita ut de his ob dona & labores suos laudari cupiat. Nihil enim habet à se ipso, neque potest quidquam sine assistente Dei gratia, cui omnis gloria soli debetur juxta illud*

*Psal. 115.*

*Psal. 115.* Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Idcirco Paulus de se scribit: si hominibus placere vellem, Deo placere non possem, Gal. 1, 10. & alibi: quid habes quod non accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. Cor. 4, 7. Indecorum igitur est, dona & labores suos gloriosè inculcare alijs, propriasq; decantare laudes, quod ignominiam & contemtum citius parit, quàm gloriam: ideo Christus quoq; fatetur se non quærere gloriam suam, honorari autem à Patre Joh. 8. Qui ergo gloriari vult, glorietur in Domino, 1. Cor. 1, 31. h. e. in vera animi humilitate agnoscat, se ministrum esse Domini, ad hoc munus non idoneum, sed ex gratia Dei vocatum, ut annunciando Evangelium gloriam Dei & salutem aliorum promoveat. ¶ Fieri tamen potest, ut quis laborum ac donorum suorum præco esse cogatur, primum propter auditores suos, si forte doctorum suorum fuerint immemores, & erga ipsos ingrati, tunc modesta commemoratio laborum fieri potest, ut agnoscant, quanta Deus beneficia per ministros Ecclesiæ contulerit, & de ministris ejus benè mereri studeant: velut alij videant quasi in speculo, quænam virtutes fidelem animæ pastorem deceant: quam ob causam Apostolus Paulus hic suorum laborum & passionum catalogum instituit. Deinde fieri hoc potest propter calumniatores, qui famæ & existimationi doctorum detrahunt, & autoritatem eorum apud auditores eorum imminuunt, quorum gratia modesta commemoratio laborum est necessaria, ne auditores ob calumnias Adversariorum à doctoribus suis absterreantur. Vult enim Deus existimationem suorum ministrorum contra linguas virulentas eorum, qui contemtu aliorum sibi famam quærunt, tueri. Et hoc modo Paulus ad Corinthios scribit, propter pseudoapostolos: Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis

gloriandi

*gloriandi pro nobis, ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur & non in corde* 2. Cor. 5, 12. *Vbi duplicem facit gloriationem: una est in facie, quæ hypocritarum est, qui suiipsius miratores sunt, & præcones ad alios, licet conscientia eorum reclamet: altera fit in corde, hæc est vera gloriatio, quæ testimonio conscientiæ propriæ, & aliorum recte sentientium respondet: illa nemo piorum utitur; hac interdum certis in casibus uti licet, ut modo explicatum fuit.*

## QUÆSTIO III.

Quomodo Paulus de se scribere potest, se Sanctè justè, & sine querela vixisse apud Thessalonicenses, v. 10. Cum tamen nemo dicere possit, mundum est cor meum, purus sum à peccato? proverb. 20, 9.

*Resp. Verba Pauli non intelligenda sunt de undiquaq; perfectâ & absolutâ sanctitate ac justitiâ, quæ etiam in oculis Dei consistere possit. Ita enim nullus hominum sanctè justè & inculpatè vivere potest in hoc mundo, ubi non est justus in terris, qui non peccet,* 1. Reg. 8, 46. Eccl. 7, 21. *& solus ille, qui sanctissimus omnium vocatur* Dan. 9. *hanc prærogativam habet. Sed loquitur de sanctitate vitæ suæ comparatè, & quantum in hac imbecillitate carnis esse potest, ubi nemini vel culpandi vel calumniandi doctrinam aut vitam ejus occasio datur, quo pacto D. Paulus Episcopum esse vult irreprehensibilem,* ἀνεπίλημπτον καὶ ἀνέγκλητον 1. Tim. 3, 2. Tit. 1, 6. *qui absque scandalo vivat, & suspicionem etiam mali vitet. Eodem sensu etiam de Zacharia & Elisabetha legitur, quod justi fuerint coram Deo, incedentes in omnibus*

*mandatis & justificationibus Domini sine querela* Luc. 1, 2. *Augustinus distinguit inter crimen seu culpam & peccatum, crimen est grave piaculum, quod alios offendit, peccatum est vitium, quod etiam sanctis adhæret. Vacare culpa magnum est solatium, & hoc in primis ministrorum verbi est; vitijs vacare in hac infirmitate carnis nemo potest.*

Crimē ſ. culpa ſ. vitiū. & peccatū diſt.

Nam vitijs nemo sine nascitur, optimus ille est,
Qui minimis urgetur,

*ut Horat. canit*, lib. 1. Satyr. 13. *& Augustinus scribit* lib. 14. de civ. Dei cap. 9. Nunc verò satis benè vivitur si sine crimine; sine peccato autem, qui se vivere existimat, non id agit, ut peccatum non habeat, sed ut veniam non accipiat. *Voluit ergo Paulus istis verbis se exemplum proponere talis Episcopi, qualem ipse ad Timotheum & Titum descripsit, quem vult Chrysostomus habere vitam immaculatam & compositam, ut omnes in illum, & ejus vitam veluti in exemplar aliquod excellens intueantur, cum quibus verbis Theophylactus, tanquam epitomator Chrysostomi in comment. prior. epist. ad Timoth. planè consentit.*

## PARS SECVNDA.

### TEXTVS.

Διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς εὐχαριστοῦμεν τῷ Θεῷ ἀδιαλείπτως, ὅτι παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν τοῦ Θεοῦ, ἐδέξασθε οὐ λόγον ἀνθρώπων, ἀλλὰ (καθώς ἐστιν ἀληθῶς) λόγον

13. QUapropter & nos gratias agimus Deo indesinenter, quod quum acceperitis sermonem à nobis, quo Deum discebatis, accepistis non sermonem hominum, sed (sicut

Θεοῦ

Θεοῦ, ὃς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν.

erat verè) sermonem Dei, qui & agit in vobis credentibus.

Ὑμεῖς γὰρ μιμηταὶ ἐγενήθητε, ἀδελφοὶ, τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ τῶν οὐσῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὅτι ταὐτὰ ἐπάθετε καὶ ὑμεῖς ὑπὸ τῶν ἰδίων συμφυλετῶν, καθὼς καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων.

14. Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa, in Christo Jesu, quod eadem passi sitis & vos à proprijs contribulibus, quemadmodum & ipsi à Judæis.

Τῶν καὶ τὸν Κύριον ἀποκτεινάντων Ἰησοῦν, καὶ τοὺς ἰδίους προφήτας, καὶ ἡμᾶς ἐκδιωξάντων, καὶ Θεῷ μὴ ἀρεσκόντων, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐναντίων.

15. Qui ut & Dominum occiderunt Jesum, & proprios Prophetas, ita & nos persequuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus adversantur.

Κωλυόντων ἡμᾶς, τοῖς ἔθνεσι λαλῆσαι ἵνα σωθῶσιν, εἰς τὸ ἀναπλῆρωσαι αὐτῶν τὰς ἁμαρτίας πάντοτε· ἔφθασε δὲ ἐπ' αὐτοὺς ἡ ὀργὴ εἰς τέλος.

16. Qui obsistunt nobis ne loquamur Gentibus, quo salvi fiant, ut expleant sua peccata semper: pervenit autem in illos ira in finem.

*POstquam suam in Apostolatu fidelitatem argumentis benè multis probatam dedit Apostolus: jam Thessalonicensium quoq; studium ac fervorem, quo hanc doctrinam exceperunt, & patientiam, qua persecutiones eo nomine sustinuerunt, prædicat, in hunc finem, ut & inde constaret, suum ad ipsos ingressum non fuisse vanum, sicut supra v. 2. dixerat. Initium facit ab alacritate ipsorum*

*in excipiendo Evangelio.* Ideo & nos, *inquit*, gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepistis à nobis verbum auditum Dei, accepistis, non ut verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis *v.* 13. *Infert hunc versiculum ex præcedenti, particula ratiocinativa* διὰ τοῦτο, *quia nimirum vocati estis ad regnum & gloriam Dei; ideo operæ pretium est, hoc nomine Deo gratias agere, quod non tantum vos facere decet; sed & nos id facimus, qui videmus nostrum ad vos ingressum non fuisse inanem, sed magno cum fructu Evangelium apud vos fuisse prædicatum.*

Observ. *Semper enim benedictioni Dei, non hominum vigiliis aut laboribus acceptus est ferendus felix Evangelij successus. Nihil enim absq; Deo valet lingua docentis, & Paulo plantante, Apollo rigante, Deus est, qui dat incrementum* 1. Cor. 3, 6. *à quo solo etiam laborum benedictio petenda est: quo nomine ministerium Apostolicum à pseudoapostolis & mercenarijs discernitur. qui hominum captant gloriam, labores suos jactant, & si quid commodè egerunt, cristas erigunt, suis vigilijs, prudentiæ, ac industriæ adscribunt, divinæ benedictionis penitus obliti.*

*Fructum sui Evangelij apud Thessalonicenses in hoc versu exprimit triplicem:* (1) *quod verbum Apostoli exceperunt, ita nimirum, ut examinarent illud an ἀνάλογον esset scripturis, sicut* Act. 17, 11. *explicatur: quod multæ aliæ gentes non fecerunt, quæ respuerunt verbum, & ludibrio habuerunt, quemadmodum Athenis factum est,* Act. 17, 18. (2) *quod exceperunt ut verbum Dei, licet ab homine prædicatum, agnoscentes Dei virtutem in ministerio* (3) *quod fidem ex verbo audito acceperint: ait enim, verbum illud operari in ipsis, qui crediderunt. Referendum enim est relativum ὃς non*

*ad Deum,*

*ad Deum, sed sermonem seu λόγον, ut ostendit particula ὃς καὶ ἐνεργεῖται, qui & operatur in vobis, q.d. non tantum prædicavi vobis verbum Dei, sed & ita prædicavi, ut illud operetur in vobis fidem.*

Observ.

*Individuo nexu hic conjunguntur verbum Dei, & verbum Apostolorum, aliorumq; Ecclesiæ doctorum, ita ut unum alterius definitionem accipiat. Nam Deus non immediatè nobis loquitur, sed per os sanctorum suorum prophetarum* Luc. 1,70. *unde & Christus, auditis Apostolis suis se audiri affirmat* Luc. 10, 16. *Impium ergo est, verbum in Ecclesia prædicatum vocare sonum evanescentem in aere, & nihil operantem: nam si ipsius Dei verbum est, divinam quoque habebit efficaciam: Dei enim sermo vocatur vivus & efficax, & penetrantior quovis gladio ancipiti, pertingens usq; ad divisionem animi simul ac spiritus, compagum ac medullarum &c.* Hebr. 4, 12. *Hinc fit, quod ex auditu hujus verbi novi excitantur motus in corde, ex peccatoribus fiunt justi, ex incredulis credentes: accenditur odium peccati, amor virtutis, desiderium vitæ æternæ &c. & qui hujusmodi motus in corde non sentit, nondum cum fructu verbum prædicatum audivit. Facessant ergo hic sacramentariorum ludibria, qui cum in scriptura legunt, verbum prædicatum operari fidem & salutem, id non interpretantur aliter, quam quod verbum ministri habeat tantum vim res illas significandi, de quibus dicitur, ut Beza scripsit* Resp. 2. ad colloq. Mompelg. pag. 115. *& Grynæus* in disp. Heidelb. th. 6. ait, *ministerio externo ejus cohonestandi ergo, phrasi sacramentali, effectum ministerij interni tribui. Hac enim ratione verbo vis illa adimitur, quam ei tribuit scriptura, ubi dicitur virtus Dei ad salutem omni credenti, verbum vitæ & ordinarium efficax organum Spiritus Sancti. Cum autem verbum, quod in Ecclesia auditur,*

sit verbum Dei, sequitur, traditiones hominum prædicandas non esse, multò minus ijs conscientias gravandas. Nam quod caret mandato & institutione Dei, ad id homo in rebus fidei non est obligatus: ideo Deus mandatis hominum frustra coli dicitur Matth. 15, 9.

Observ. 2.

Animadvertimus etiam hîc ordinem beneficiorum Dei, quo electos suos ad regnum gloriæ adducit (1.) vocat eos ad Ecclesiam, extra quam non est salus, de quo v. 12, (2.) mittit ad ipsos Apostolos seu fideles doctores, qui non sua placita, sed Dei sermonem purè proponunt de quo v. 13. (3.) aperit aures & largitur gratiam ad audiendum verbum cum attentione & alacritate, de quo Paulus in eod. versu, & Lydiæ cor dicitur divinitus apertum Act. 16, 11. ut attenderet illis, quæ à Paulo dicebantur. (4.) dat spiritum discretionis, ut verbum audiatur non ut sermo hominum, sed ut sermo Dei, aliàs nunquam illud debitâ cum reverentiâ amplectentur. (5.) donat eis fidem per verbum auditum, sine qua omnis prædicatio verbi inutilis est, de quo agitur inprimis Rom. 10, 13. seqq. qua fide custoditur verbum in corde tempore tribulationis, ubi qui fidem ex auditu non perceperunt verbum abijciunt. Hinc David Psal. 119. Lex tua in medio cordis mei & Christus apud illos semen verbi divini in bonam terram cecidisse ait, qui in corde bono verbum retinent, & fructum afferunt in patientia Luc. 8, 15. Ita Paulus initium, medium & finem salutis nostræ soli Deo adscribit, ne habeat homo ulla ex parte, in quo glorietur. Et hi sunt tres fructus Evangelij apud Thessalonicenses prædicati, in v. 13.

Luc. 24. aperuit Christus discipulis scripturas.

Quartum addit v. 14. quod nimirum cum patientia custodierint verbum prædicatum, propter quod & persecutio-

nem

*nem passi sunt, ad exemplum aliarum Ecclesiarum:* Vos enim imitatores facti estis fratres, ait, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa in Christo Jesu, quod eadem passi sitis & vos à propriis contribulibus, quemadmodum & ipsi à Judæis v. 14. *Confert Thessalonicenses, quò ad persecutiones, cum Ecclesijs Iudaicis. In ipsa persecutione paritatem constituit, in persequutoribus autem disparitatem. Thessalonicensium persequutores erant ipsorum contribules, cives nimirum seditiosi, qui audita concione Pauli & plebem & principes civitatis concitarunt, trahentes etiam Iasonem & quosdam fratres ad principes civitatis* Act. 17, 6, 7, 8. *Ecclesiarum Iudaicarum persequutores erant Iudæi increduli, Pontifices in primis ac scribæ cum universo synedrio Hierosolymitano, quemadmodum ex Actis* cap. 3, 4, 5. 7. 8. *constat. Exaggeratur ergo persequutio Thessalonicensium, quod à domesticis facta.*

*Semper enim gravius est malum, quod à notis & amicis oritur, quam quod ab inimicis: idcirco Christus, cum gravitatem malitiæ sub finem mundi descripturus esset, dixit: inimici hominis domestici ejus* Matth. 10, 36. *Facilius sufferimus injurias apertorum hostium, quam insidias contribulium: quapropter & laudabilior ibi est constantia, ubi major est periculorum violentia: & quos propinquiores nobis scimus, horum odia semper sunt acerbiora, quam alienorum; quò refer querelam* Psalmi 55, 13. seqq. *Nota autem quod hic & Iudæorũ & gentiũ Ecclesia crucis communione unitur. Una enim est Ecclesia ex utroq; populo collecta,* Joh. 10, 16. *quã & temporibus & locis dissitam unitas fidei, & professionis, unitas vitæ ac salutis, unitas viæ ad vitam, unitas mediatoris, unitas cultus divini, unitas denique crucis & calamitatum conjungit. Et hæc quoq; pars est communionis sanctorum, quam in*

*Obserr.*

*Symbolo*

*Symbolo profitemur: qua Christus unius ovilis oviculas notavit, qua notâ in sanctorum & Apostolorum ac martyrum consortium provehimur.*

*Ne quem verò moveat, quod Ecclesiæ in Iudæa collectæ à Iudæis persequutionem patiantur, ab illo nimirum populo, qui non tantum ipsis sanguine junctus, sed & sanctitate privilegijs q̃ multis divinitus præclaris erat: idcirco jam in specie injurias Iudæorum recenset, ut de malitia hujus populi exactius constet.* 1. *Injurij fuerunt in Dominum Iesum, quem occiderunt* v. 15. *exaggeratio malitiæ duplex est, prima est, quod Iesum fontem illum salutis non modò non audiverunt sed & occiderunt, tradentes eum in manus inimicorum: altera, quod Iesum Dominum occiderunt, Dominum nimirum gloriæ, Dominum suum, Dominum omnium rerum, quod & D. Petrus ipsis objicit* Actor. 3, 14. *autorem vitæ interfeciſtis* (2) *Injurij fuerunt in prophetas proprios, eos nimirum, qui è sua gente erant, & peculiariter ad ipsos missi, id quod Christus eis objecit* Matth. 23, 37. *& Stephanus* Act. 7, 52. (3) *Iujurij fuerunt in Apostolum Paulum,* & nos, *inquit, exegerunt, è suis nimirum synagogis & oppidis: id quod nuper apud Thessalonicenses ipsi acciderat,* Act. 17, 10. *& apud Berrhoenses* v. 14. *antea etiam Damasci* Act. 9, 23. seqq. (4) *Injurij in Deum,* cui non placent, *quia cultum verè divinum mutarunt in decreta hominum, in superstitionem & curiositatem: quæ omnia sunt abominatio Domino, qui frustra colitur mandatis hominum* Matth. 15, 19. (5.) *Injurij in omnes homines,* omnibus enim adversantur, *dum ipsi in regnum Dei introire nolebant, nec alios ingredi sinebant.* Matth. 23, 13. (6) *Injurij denique in gentes, quibus Evangelium salutis prædicari prohibebant, ut salvarentur. Immiscebant enim doctrinæ Evangelij legem in negotio salutis, ex qua mixtura nemo sal-*

*vari poterat, vel ex sola lege salutem petebant, quam hac ratione nemo potest consequi, ideò Paulus expressè scribit* Gal. 5, 2. *Ecce ego Paulus scribo vobis, si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit: & evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini, à gratiâ excidistis. Ex his exemplis malitiæ Iudaicæ, quasi per inductionem infert Paulus:* implere Judæos peccata sua. *Semper enim tales fuerunt: semper restiterunt Spiritui Sancto, durâ cervice, incircumcisis cordibus & auribus* Act. 7, 51. *implentes mensuram patrum suorum* Matth. 23, 32. *Idcirco pœnas tantæ malitiæ debitas subsecutas indicat:* pervenit enim ira Dei super illos usque in finem. *Per Dei iram ultionem divinam intelligit, quæ tandem Iudæos obruit, cum templum exscinderetur, ipsique in reprobum sensum traditi pellerentur in perpetuum exilium, & suo tempore tormenta sequentur infernalia, nullo unquam tempore finienda. De utroque enim illud,* usque in finem, *accipi potest, & de finali Iudæorum excidio, & de sempiterno eorundem exitio.*

[*Ira Dei 1. decretum Dei æternum de ulciscendis injurijs sibi & Ecclesiæ illatis: 2. adversus peccata, 3. ipsam ultionem quæ vel temporalis est vel æterna.*]

*Hac ergo ratione inveteratam Iudæorum malitiam describere voluit Apostolus, ut constaret de vera causa persequutionum Evangelij, quam pseudoapostoli doctrinæ Pauli imputabant, Paulus verò eam à se declinat, & in veros suos autores transfert, de quorum malitiâ & Christus & Stephanus, & Prophetæ veteres conquesti sunt* Matth. 23, 37. Act. 7, 52, Jer. cap. 7, 25, 26. *Simul autem efficacissimè consolatur suos ab exemplo Christi, Prophetarum & Apostolorum, qui & ipsi persequutionem passi sunt, suoque sanguine doctrinam Evangelij obsignarunt: à quorum sancto consortio se non*

*putent esse alienos, sed imitatores potius eorum fiant, qui fide ac patientia hæreditarunt promissionem* Hebr. 6, 12. *Confirmat etiam veritatem doctrinæ suæ, quæ tot martyrum, quin & ipsius Christi sanguine obsignata est. Quo argumento autor Epistolæ ad Hebræos quoq; utitur, cum nubem testium (ut vocat) ex V. T. proposuisset* cap. 11.

*Hic ergo est geminus usus hujus loci. 1.* παραινετικὸς, *ut crucem & persecutionem tanquam individuos Evangelij comites patienter feramus. siquidem ne Christus quidem & Apostoli ab hac sorte fuerunt exemti. Beatos autem illos, qui cum Christo patiuntur, hi etiam aliquando cum ipso glorificabuntur.* 2. Tim. 2. v. 12. *Idcirco ad Christi exemplum inprimis remittitmur,* Heb. 12, 3. *recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigare mini animis deficientes: nondum enim usque ad sanguinem restitistis &c. 2.* διδακτικὸς: *quod Doctrina Apostolorum & Christi vera sit & divinitus inspirata, quia tot persequutionibus est obnoxia, tot martyrum etiam sanguine nobilitata, & tamen adhuc inconcussa. Mirum autem est, in confirmationem doctrinæ cedere id, quod evertere eam penitus debebat. Mundus enim, dum adversatur confessoribus veritatis, omnes conatus suos atque studia eò intendit, ut extirpetur regnum Christi, & Evangelium alto silentio sepeliatur. Sed Deus hoc ipso confirmat regnum suum, & ex sanguine martyrum sigillum Evangelij facit, ita ut non minus persequendo quam docendo propagetur. Fieri enim non potest, ut in Concordiam redigantur mundus & regnum Christi, quo vincitur mundus: sed perpetua inter ista duo pugna est & persequutio. Christi regnum persequitur mundum, & vicissim persequutionem patitur à mun-*

do, ita ut D. Paulus scribat, sibi per Christum mundum esse crucifixum, & se mundo Gal. 6, 14. Vnde sequitur, quod, quæ doctrina absq; sui interitu maximas persequutiones patitur in mundo, ea regno Christi sit quam proxima, imò ipsum illud regnũ Christi, cui se opponit mundus. Certum autẽ est, doctrinam nostram de Christo unico mediatore generis humani, & de sola fide justificante maximis esse persecutionibus obnoxiam, ideò & Paulus scribit, Pseudoapostolos eam adversari, aliamq; ei opponere, tantum ut persecutionem crucis Christi non perferant Gal. 6, 12. Hoc nimirum est admirabile Dei consilium, qui, quod internecionem Ecclesiæ adferre poterat, in salutem ejus convertere novit: Omnia enim bonis in bonum Rom. 8, 28.

Habemus autem hoc in textu aliud insuper κεφάλαιον, doctrinam Apostolicam esse divinitus inspiratam, quia nimirum est talis doctrina, qua salvamur v. 16, id quod neq; degentium superstitionibus, neq; de Philosophorum placitis, neq; de pseudoapostolorum aut aliorum hæreticorum dogmatibus affirmari potest. Nihil horum quidquam ad salutem confert. Solum autem Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti Rom. 1, 16. odor vitæ ad vitam 2. Cor. 2, 16. verbum vitæ Joh. 6, 68. Hæc enim doctrina sola rectè describit salutem nostram, & monstrat viam ad eam, & proponit Dei consilium de ijs, qui salutis hujus certè fiunt participes. Quidquid ergo extra doctrinam Evangelij de salute nostra quæritur, frustraneum est: & quidquid vicissim in eo fundatur, id contra omnes tentationes de salute, quin & contra portas inferorum consistit. Observ. 2.

Præterea monemur hoc textu, etiam eos non placere Deo, qui ex ignorantia peccant. Nam de Iudæis persequentibus Christum scribit Paulus, quod non placeant Deo, Observ. 3.

*de quibus alibi tamen dicit, quod id per ignorantiam fecerint* 1. Cor. 2, 8. *quod ipsum Petrus etiam testatur* Act. 3, 17. *habuerunt enim Zelum legis, sed absq; scientia* Rom. 10, 2. *Non ergo extenuanda sunt peccata ignorantiæ: quia omne peccatum est transgressio legis, & ex hinc maledicto dignum, & Deo nullum placere potest peccatum: qui nullam vult iniquitatem, sed odit peccata, & quicunq; faciunt ea. Caveamus ergo nobis etiam à minimis, nisi gratia Dei excidere, & odium ejus incurrere velimus.*

*Videmus autem hic, quomodo peccatores, exemplo Iudæorum semper in pejus ruant, nisi maturè desistant. Quotidiè enim peccando mensuram tandem peccatorum implent, qua impletâ, nihil certius ipsis expectandum est, quàm ira Dei puniens scelera. Hoc autem fit, cum animus semper libidine peccandi expletur, nullæ comminationes, nec cohortationes curantur, sed plenis habenis carni indulgetur: quod illi faciunt, quos Deus in justam pœnam antegressorum peccatorum tradidit in reprobum sensum, ut faciant, quæ non conveniunt* Rom. 1, 28. *Cum ergo hic proximus gradus sit ad interitum, maturè patiamur nos peccatis revocari, resistentes peccato, ne regnet in mortali nostro corpore* Rom. 6, 12. *nihil enim æquè officit saluti hominum, quam procrastinata pœnitentia: quo referatur locus* Sir. 5, 8. & cap. 8, 22. *Exemplum habemus in Iudæis, qui cum antea ob peccata sua traditi fuerint in manus Assyriorum & Babyloniorum, in gratiam tamen cum Deo redierunt, cum maturè pœnituissent: postquam autem persequutionibus suis Christo & Apostolis molesti esse non destiterunt, jam in æternum Deum habent iratum, ut Paulus noster docet* v. 16. *& Christus* Matth. 23, 38. *Hinc alia resultat doctrina, desperatam videlicet esse totalem Iudæorum conversionem: quia ira Dei super illos in finem,* v. 16. *Reli-*

*quijs quidem Iudæorum ſpem ſalutis fecit Apoſtolus* Rom.11, 5. *quæ impletur in ijs, qui ſubinde particulatim adfidē Chriſti convertuntur: Sed de totius populi reſtitutione in integrum, nullam habemus ſcripturam. Eſt enim populus abjectus à facie Dei, ſuper quo ſanguis Chriſti, quam malitioſe effuderunt, manebit usq; in finem: ideo Daniel* cap.12.2 *illum tantum populum ſalvatum iri ſcribit, qui inventus fuerit ſcriptus in libro vitæ, quem locum Theodoretus de Iudæis interpretatur, & in* Apocal.7,4. *dicuntur* 144000. *ſignati ex omni tribu Iſrael, & ſingulis tribubus* 12000. *Quod ergo Paulus* Rom.11,26. *ſcribit: Omnis Iſrael ſalvabitur, id reſtringendum eſt ad maximam partem Iudæorum, quæ reſpectu reliquorum non converſorum, quandam quaſi univerſalitatem conſtituit: qualis autem & quanta illa ſit futura, ſoli Deo notum eſt. Facta autem hæc abjectio populi Iudaici juſto Dei judicio, Deus enim nemini iraſcitur, præſertim usq; in finem, niſi graviſſimè fuerit offenſus. ¶Quæ res quemadmodum nos abſterrere debet à peccatis, ita viciſſim conſolationem affert afflictis & perſecutionem patientibus, Deus enim non ſemper dabit afflictionem juſto, neq; malitiam affligentium relinquet impunitam. Iuſtum enim eſt apud Deum, reddere ijs, qui affligunt pios, afflictionem, & contrà afflictis relaxationem cum revelabitur Dominus Ieſus de cælo* 2. Theſal.1,6.

## PARAPHRASIS PARTIS SECUNDÆ.

CUm ergò vocati ſitis â Deo ad regnum gratiæ & gloriæ, æquum eſt, ut nos omnes gratias agamus Deo, quod verbū Dei non more aliarum gentium, reſpuiſtis, ſed excepiſtis, nō ut doctrinam humanā

sed divinam, ex qua fidem hausistis, operante Deo per verbum. Ideo ad imitationem aliarum Ecclesiarum quæ sunt in Iudæa, magna cum patientia in persecutionibus probastis fidem vestram injuriam passi non tantum ab extraneis incredulis, Iudæis, sed & à popularibus vestris. Neq; mirum est, Iudæos persecutores fuisse Ecclesiæ, cum Christum ipsum Dominum suum & Prophetas Domini ad mortem usque persecuti fuerint: me quoq; civitatibus suis ejecerunt, homines & Deo ipsi & alijs infesti, non ferentes Evangelium, quod ipsi recipere nolunt prædicari gentibus, quo pacto mensuram impietatis suæ abundè replent, accepturi pœnas exitiales, pro ut impietate sua sunt pro meriti.

## QUÆSTIONES EX HAC PARTE CAPITIS.

### QUÆSTIO I.

Quo sensu verbum Apostoli Pauli vocatur non hominum, sed verè DEI verbum.

*Resp. Magnum hoc est elogium verbi ab Apostolis prædicati, quod non hominum, sed Dei verbum est, non honoris tantum causa, non significativè aut metaphoricè, sed verè, ut D. Paulus loquitur. Nomen hoc non habet à sono, qui percipitur auribus: is enim fragilis est, & in aere*

eva-

evanescit: sed ab ipso Deo, qui verbum cum spiritu suo in Apostolis & Prophetis suis conjungit Esa, 59,21. Vox quidem audiebatur humana, sed ea vox erat vehiculum verbi Divini. Deus enim est doctrinæ Apostolicæ autor, qui eâ os sanctorum suorum ministrorum implevit, quemadmodum de Paulo in conversione ejus legitur, quod impletus fuerit Spiritu Sancto Act. 9, 17. & de Prophetis in genere dicit Zacharias, quod Spiritus Sanctus locutus sit per os Sanctorum Prophetarum Luc. 1. Deus ipse dicitur posuisse verba sua in ore Prophetæ Esa. 59. 21.

Præterea Deus verbum Apostolorum & prophetarum facit efficax ac vivum in cordibus auditorum: ideo credunt homines per verbum ejus Ioh. 17, 20. qui effectus non est humani verbi, sed ipsius Dei opus Ioh. 6. 29. Quæ res scripta Prophetica & Apostolica facit canonica & authentica, quia sunt θεόπνευστα, siquidem Evangelium, quod præconiaverunt, postea per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum fidei nostræ futurum, dicente Irenæ. lib. 3. cap. 21.

## QUÆSTIO II.

Num de alijs etiam Ecclesiæ doctoribus, qui non sunt Apostoli, dicere possum, quod verbum ipsorum non hominum verbum sit, sed verè verbum Dei?

Resp. Maxime: quam diu talia proferunt, quæ cum verbis Apostolorum congruunt. Nam ver-

bum

*bum Dei ab Apostolis & alijs orthodoxis Evangelij ministris prædicatum, specie non differt. Idcirco etiam Timotheus, qui non fuit Apostolus, sed Apostolorum discipulus, tamen per verbum suum salvare dicitur & se, & qui se audiunt* 1. Tim. 4. *Tam præclarus autem effectus verbo hominum tribui nequit, sed solius Dei est: Et hinc dependet omnis reverentia, quæ debetur ministerio, non à personis ministrorum, sed ab earum officio, Ipsi enim homines sunt, & sibiipsis prædicant: Officium autem Dei est, qui per verbum ipsorum nobis ad cor loquitur. Quamprimum autem affectibus suis abripiuntur transversum, & res privatas officio elenctico immiscent, aut placita hominum tradunt, aut placentia prædicant, aut simili quoquo modo in docendo exorbitant, tunc non Dei verbum, sed sua commenta prædicant, ac proinde non sunt audiendi, donec affectus deponant privatos, & per Spiritum S. prius semetipsos doceri patientur. Non enim omnia sunt à Spiritu Dei, quæ loquuntur illi, qui habent officium Spiritus: quemadmodum nec Apostoli non semper loquebantur verbum Dei, sed interdum hominum verbum, quod & in reprehensionem Christi incurrebat, ut cum Petrus loquenti Christo de futura sua passione, resistebat,* Matth. 16, 22, 23.

## QVÆSTIO III.

Scribit Apostolus v. 16. venisse super Judæos iram Dei usque ad finem: nunquid ergo de universali Judæorum conversione desperatum est?

*Resp. Sunt hodie non tantum Chiliastæ, sed ex priscis & recentioribus Theologis non nulli, qui universalem omnium Iudæorum conversionem ante novissimum diem creduntinixi*

nixi quibusdã locis scripturæ, qui hoc innuere vidẽtur, ut quod Os. 3, 4, 5. legitur: Dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & principe, sine sacrificio, & sine altari, & post hæc revertentur & quærent Dominũ Deum suum, & David regem suum, & reverenter colent Dominum, & bonitatem ejus, in novissimo dierum. Et Amos 9, 14. Convertam captivitatem populi mei Israel, & ædificabunt urbes desolatas, ac inhabitabunt, & plantabo eos super humum suam, & non evehentur ultra. Similia vide Mich. 2, 2. 4, 6. Soph. 3, 10. Malach. 4, 5. Huc etiam accommodant illud Apostoli Rom. 11, 25, 26. Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, ut non sitis inter vos ipsos sapientes, quia cæcitas ex parte contigit Israeli, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem Iacob. Sed talis universalis omnium ac singulorum Judæorum conversio & salus expectanda non est. Nam Paulus noster iram Dei pervenire in illos, ait, usq; in finem, propter gravissima ipsorum scelera, præsertim quod Dominum Iesum crucifixerunt, & proprios Prophetas persecuti sunt, & Evangelium gentibus annunciari prohibuerunt, ipsi non intrantes regnum cœlorum, & alijs ingredi vetantes, quas rationes Apostolus noster annotavit v. 15, 16. Deinde etiam media conversionis suæ pertinaciter contemnunt, Christum & Beatam ejus Matrem adhuc in Synagogis suis blasphemare pergunt, & liberos suos à teneris, quod dicitur, unguiculis, ad similes blasphemias assuefaciunt. Accedit insuper triplex eorum maledictio, una generalis est Deut. 27, 15. altera propria & spontanea est, quam sibi ipsis attraxerunt tempore passionis Christi, clamantes: Sanguis ejus sit super nos & filios nostros Matth. 27, 25. tertia est Christi per os Davidis prolata Psal. 109, 17. seqq. dilexit maledictionem, & veniet ei; noluit

benedictionem, & elongabitur ab eo. &c. Deniq; tempora gentium durabunt usq; ad finem mundi Luc. 21, 24, 25. ergo Ierusalem nunquam à Iudæis recuperabitur, sed à gentibus semper occupabitur. Quod autem vaticinia Propbetarum attinet, ea non de universali Iudæorum conversione agunt, sed partim de liberatione ipsorum è captivtate Babylonica, ubi Ierusalem iterum ædificata, & populus patriæ suæ restitutus fuit; partim etiam de ædificatione Ecclesiæ inter gentes per prædicationem Evangelij, quibus etiam Iudæos aliquos intermixti erunt; id quod jam per universalem prædicationem Evangelij in toto mundo Completum est. Quod autem locum ex Epistola Rom. 11. attinet, non dubitamus quin de singulari aliqua multitudine Iudæorum ante finem mundi ad Ecclesiæ gremium adducendorum ibi agatur; de qua Paulus synecdochicè loquitur: Omnis Israel salvus erit. Vt enim plenitudo gentium, quæ intravit, non notat absolutam universalitatem omnium ac singularum gentium: ita etiam per omnem Israelem non notantur singuli Iudæi, sed insignis quædam & notabilis Iudaici populi multitudo. Quando autem singularis illa Iudæorum conversio futura sit, non exactè novimus:

Scriptura enim non expresse tempus notat, neque necesse est, ut omnes convertendi simul & semel convertantur, sed qui subinde convertuntur, & præsertim in ijs locis, ubi Iudæorum major est frequentia, ut in Græcia & alibi locorum, multitudinem non contemnendam constituunt: quemadmodum nec gentes (quarum plenitudinem ingressuram scribit Apostolus) omnes simul ac semel ad Ecclesiam accesserunt.

# PARS TERTIA.

## TEXTVS.

Ἡμεῖς δὲ, ἀδελφοὶ, ἀπορφανισθέντες ἀφ' ὑμῶν πρὸς καιρὸν ὥρας, προσώπῳ οὐ καρδίᾳ, περισσοτέρως ἐσπουδάσαμεν τὸ πρόσωπον ὑμῶν ἰδεῖν ἐν πολλῇ ἐπιθυμίᾳ.

Διὸ ἠθελήσαμεν ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, [ἐγὼ μὲν Παῦλος] καὶ ἅπαξ καὶ δίς, καὶ ἐνέκοψεν ἡμᾶς ὁ σατανᾶς.

Τίς γὰρ ἡμῶν ἐλπὶς ἢ χαρὰ, ἢ στέφανος καυχήσεως; ἢ οὐχὶ καὶ ὑμεῖς ἔμπροσθεν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐν τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ;

Ὑμεῖς γάρ ἐστε ἡ δόξα ἡμῶν καὶ ἡ χαρά.

17. CÆterum nos, fratres, orbati vobis ad ſpatium temporis, aſpectu, non corde, vehementius ſtuduimus videre faciem veſtram, cum multo deſiderio.

18. Quapropter voluimus venire ad vos, (ego quidem Paulus,) ſemel & iterum: & obſtitit nobis Satanas:

16. Nam quæ eſt noſtra ſpes aut gaudium, aut corona gloriationis? an non & vos in conſpectu Domini noſtri Jeſu Chriſti in ejus adventu?

20. Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.

*QVæ hactenus habuimus, ad conſolationem Theſſalonicenſium ſuis in perſequutionibus pertinent: jam verò ne eos in tantis afflictionibus deſeruiſſe videatur, deſiderium ſuum ipſos inviſendi exponit, & quid eum hactenus impediverit, oſtendit.* Nos autem fratres, *inquit*, deſolati â vobis ad tempus horæ aſpectu non corde: abundantius feſtinavimus faciē veſtrā videre,

cum multo desiderio v. 17. *Primùm desiderium suum indicat videndi ipsos, quod inde ortum, quod, cum apud ipsos esset, subito & quasi horæ momento ex oculis ipsorum ereptus esset, propter insidias nimirum, imò & manifestum impetum eorum, qui doctrinam ejus ferre non poterant, qua de causa nocturno tempore Beræam discedere cogebatur* Act. 17, 10. *De hoc suo discessu utitur vocabulo valde emphatico,* ἀπορφανισθέντες ἀφ' ὑμῶν, *ceu orphani à vobis disjuncti, quasi parens à liberis suis abreptus fui, quod tantò majus desiderium videndi ipsos in animo suo accendere poterat. Quod & in eo declarat, quod adspectu, non corde ab eis discesserit, animo semper inter ipsos versans, & de eo propterea sollicitus, quomodo & corpore ipsis redderetur.*

Observ. *Boni pastoris est ægrè divelli ab ovibus suis, & si maximè ob temporum injuriam fieri aliter nequit, cordis tamen affectu semper eis præsentem esse, quod fit, cum preces pro Ecclesia funduntur, cum adflicti & pastoribus fidis orbati solatio eriguntur, cum denique consilia suppeditantur salutaria ex malis illis evadendi. Hac ratione semper manent conjunctissimi, corporibus licet disjuncti: idque Paulum in singulis ferè Ecclesijs à se plantatis fecisse, Epistolæ ejus passim testantur, & ipse se de omnibus Ecclesijs quotidianam habere sollicitudinem scribit* 2. Cor. 11, 28.

*Deinde propositum suum ex illo desiderio ortum indicat:* Quoniam voluimus venire ad vos (ego quidem Paulus) & semel atque iterum, sed impedivit nos Satanas v. 18. *In plurali loquitur, quasi de adventu plurium, quia Silas unà cum ipso discesserat Beræam: ipse vero in primis itineri se jam accinxit semel atque iterum, sed obstitit Satan, qui conatus illos præclaros Apostoli impedivit, injiciendo remoram aliquam, vel excitando tempestatem, (ut Thomas*

*expli-*

explicat vel instigando Iudæos, ut ipsum in itinere caperent, quod cum rescisceret fortè Paulus, iter illud de die in diem distulit: qua pacto iter ejus ad Romanos quoq; præpeditum fuisse scribit, Rom. 1, 13. & Act. 23, 13. plures quam quadraginta viri jurarunt, se non gustaturos panem prius quàm Paulum discerperent: quod instinctu Satanæ factum non est dubium. Simile quid in hoc quoque itinere contingere potuit.

Observandum autem est, sanctos in optimis suis studijs ac conatibus diversimodè impediri posse. Interdum impedimentum est à Deo, qui crucem & adflictiones immittit, quæ aliquam pietati moram injicere videntur: Sed hoc facit Deus, ut sancti in fide ac pietate magis magisq; exerceantur, & posteri exemplum patientiæ habeant, ut exemplum Iobi & Tobiæ testatur. Iob. 2. & Tob. 2. Nonnunquam impedit Deus honestos conatus, differendo eos in tempus aliud, quia jam fortè minus erat commodum, sunt enim commoditates temporum Deo notiores, quam nobis: quo pacto Paulo prohibuit Spiritus, ne iret in Phrygiam aut Galatiam, neq; in Bithyniam, Prius enim Macedonensius succurrendum erat Act. 16. De hujusmodi impedimentis divinitus immissis scribit Salomon Prov. 16. v. 9. Cor hominis disponit viam suam, sed à Domino diriguntur gressus ejus. Nonnunquam parcit Deus ministris suis, & ab instituto aliquo, ne subeant periculum, revocat, quia expedit, ipsos in salutem aliorum vivere, quemadmodum Paulum in principio statim Apostolatus sui, cum Damasci docere vellet, inde eripuit, ne in manus furiosorum Iudæorum, incideret Act. 9, 25. Interdum impedimentum est à Satana, qui, quod regno suo detrimentum afferre videt, quibuscunq; modis potest, removere studet, quemadmodum templi Hierosolymitani instaurationem, post captivita- Observ.

*tem Babylonicam per quosdam malevolos Iudæorum impedire conabatur* Esa. 4, 1. Nehem. 6, 1. *& in aula Cyri princeps Persarum restitisse legitur archangelo Gabrieli* Dan. 10, 13. *h. e. Diabolus sana consilia impedijt. Permittit talia Deus, ne omnia nostræ committamus prudentiæ, sed consilium petamus à Domino, & in ejus manus omnia nostra resignemus, dicentes cum Iacobo, si Deus voluerit, faciemus hoc & hoc* Jacob. 4. 15. *Resistamus etiam Diabolo, ut fugiat à nobis* Iac. 4. 7. *Orantes Dominum, ut Satanam sub pedibus nostris citò conterat Rom.* 16, 20.

*Addit autem Paulus rationem, cur tantoperè ipsos invisere gestiat:* Nam quæ est nostra spes, *ait*, aut gaudium, aut corona gloriationis? annon & vos in conspectu Domini nostri Iesu Christi in ejus adventu. Vos enim estis gloria nostra & gaudium v. 19. *Plena sunt verba dulcissimorum affectuum. Ita enim agit cum suis Thessalonicensibus, ac mater cum liberis, quos corculum, solatium, & decus suum nominat præ gaudio. Ita Paulus spirituali lætitiâ plenus Thessalonicenses vocat spem suam, quia eorum testimonio in adventu Domini ad judicium gloriari se posse confidit: vocat* gaudium suum, *quia obedientes semper & constantes apud ipsos habuit auditores: vocat* Coronam *suam, quia fide atque constantiâ suâ sunt ornamentum sui ministerij, excitantes gaudium in cœlo apud angelos, & in omnibus Ecclesijs Iesu Christi, quæ de hujusmodi fidei socijs habent, quod sibi gratulentur. Longè sublimiore ratione de Christo dicitur, quod sit spes nostra* Col. 1, 27. 1. Tim. 1, 1. *& gaudium nostrum, in quo solo gloriandum. In Christo enim omnem fiduciam nostram collocamus, ab ipso etiam solo habemus, quod in tribulationi-*

*bus*

*bus nostris gaudere, & contra insultus hostium gloriari possumus. Sancti autem & fideles faciunt nobis materiam spei & gaudij in novissimo die, quia sunt testes fidei ac vitæ nostræ, inprimis autem doctorum Ecclesiæ gloria, qui hoc quasi trophæo & monumento laborum ac certaminum suorum tripudiare possunt in judicio Christi. Et huc pertinet illud de filio probo* Sir. 30. *qui docet filium, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur. Sicut filius indisciplinatus dicitur confusio Satris* Sir. 22. *ita sapiens dicitur gloria Patris.*

Observ.

*In genere autem hic observetur, quemlibet piorum semper in conspectu habere debere Dominum Iesum venientem ad judicium. Coram ipso enim sistemur omnes* Rom. 14, 10. 2. Cor. 5, 10. *qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium* 1. Cor. 4, 5. *Tremendum illud erit judicium, cujus memoria peccandi licentiam imminuere debebat; secundum illud: memorare novissima, & nunquam peccabis* Sir. 7, 40. *Gratum autem & exoptatum est pijs, non tantum, quia tunc ipsorum appropinquat redemtio* Luc. 21. 28. *verum etiam quia gaudium & corona ipsis tunc parata est: quæ constat partim testimonio fidelium, de pietate nostra; qua de causa jubemur amicos facere ex mammona iniquitatis, ut cum defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula.* Luc. 16, 9. *Partim testimonio ipsius Christi, quod redditurus est operibus piorum in facie totius mundi* Matth. 25, 35. *Partim etiam æternâ felicitate atque gloria, quæ parata est in cœlis omnibus legitimè certantibus, de quo Paulus* 2. Tim. 4, 8. *Hæc est illa corona gloriæ, quæ testificatur, debellatum esse*

*mundum*

*mundum, & superatas omnes difficultates seculi, quam affectare magnus est ad pietatem stimulus: quò referantur dicta* 2. Tim. 2, 5. Apoc. 3, 11.

## PARAPHRASIS PARTIS TERTIAE.

QUod ad me attinet, charissimi, quia, cum vobiscum essem, conversatione vestra diu frui non potui, subito ob insidias hostium meorum ex oculis vestris ereptus, eò ardentius concepi desiderium videndi vos, quos ex oculis saltem, minimè autem ex animo meo dimisi. Quapropter ego cum itinerum meorum socio in visere vos cupiebam9; sed remoram iniecit Satan, qui semper honestis meis conatibus est infensior. Ecquid enim præter vos suavius me delectare posset? Vos obsequio vestro meum fuistis gaudium: Vos constantiâ vestrâ ornamentum & corona ministerij mei fuistis, propter vos gloriari & triumphare possum in conspectu Iesu Christi, rationem mei muneris aliquando â me postulaturi.

# CAPUT III.
## ARGVMENTVM ET PARTITIO Capitis.

*COhæret hoc caput cum ijs, quæ sub finem præcedentis de suo visendi ipsos desiderio dixerat. Illud enim desiderium non fuisse vulgare, probat, tum ex eo, quod Timotheum ad ipsos miserit, scisitatum an persecutionibus sui Apostoli in fide nonnihil fuerint turbati: tum, quod eo nuncio, quod omnia adhuc rectè haberent, ita fuerit affectus, ut vix verba inveniat, quibus Deo pro tanto beneficio gratias agat: tum etiam, quod ardentissimas pro incremento fidei ipsorum preces ad Deum fundit. Iuxta hæc tria probationis fundamenta, tres constituimus partes capitis.*

In prima narratur missio Timothei ad Thessalonicenses; & in quem finem id factum, indicatur usque ad v. 6.

In secunda gaudium ejus narratur, quod exoptato illo nuntio de felici statu Thessalonicensium conceperat, usque ad v. 12.

In tertia preces adduntur, pro suo ad ipsos adventu, & confirmatione ipsorum in fide, usq; ad adventum Christi: usque ad finem.

# PARS PRIMA

## TEXTVS.

Διὸ μηκέτι στέγοντες ἐδοκήσαμεν καταλειφθῆναι ἐν Ἀθήναις μόνοι.

Καὶ ἐπέμψαμεν Τιμόθεον τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν, καὶ διάκονον τοῦ Θεοῦ, καὶ συνεργὸν ἡμῶν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ, εἰς τὸ στηρίξαι ὑμᾶς, καὶ παρακαλέσαι ὑμᾶς περὶ τῆς πίστεως ὑμῶν.

Τὸ μηδένα σαίνεσθαι ἐν ταῖς θλίψεσι ταύταις: αὐτοὶ γὰρ οἴδατε ὅτι εἰς τοῦτο κείμεθα.

Καὶ γὰρ ὅτε πρὸς ὑμᾶς ἦμεν, προελέγομεν ὑμῖν, ὅτι μέλομεν θλίβεσθαι, καθὼς καὶ ἐγένετο, καὶ οἴδατε.

Διὰ τοῦτο κἀγὼ μηκέτι στέγων ἔπεμψα εἰς τὸ γνῶναι τὴν πίστιν ὑμῶν, μή πως ἐπείρασεν ὑμᾶς ὁ πειράζων, καὶ εἰς κενὸν γένηται ὁ κόπος ἡμῶν.

1. PRoinde quum non amplius ferremus, visum est nobis ut Athenis resideremus soli.

2. Ac misimus Timotheum fratrem nostrum, ac ministrum Dei, & adiutorem operis nostri in Evangelio Christi, ut confirmaret vos & consolaretur vos de fide vestra:

3. Ne quisquam turbaretur in afflictionibus his: nam ipsi nostis in hunc usum positos esse.

4. Etenim quum apud vos essemus, prædicebamus vobis *fore* ut afflictionem pateremur: quemadmodum & evenit, & nostis.

4. Quapropter & ego non amplius ferens, misi ad hoc, ut cognoscerem fidem vestram: ne quo pacto tentasset vos ille qui tentat, & inanis factus esset labor noster.

PAulò ante dixerat, *se magnopere desiderasse videre Thessalonicenses: jam quid fecerit, ut desiderium illud quoquomodo expleatur, indicat.* Propter quod non sustinentes amplius, ait, placuit nobis remanere

Athenes.

Athenis soli v. 1. *Non sustinuit amplius desiderium illud visendi ipsos: ideò quod ipsi non licuit, per alium expedivit, carere malens dulcissimo vitæ socio, quam ut Ecclesiæ illius statum ignoraret. Solus enim mansit Athenis, quo deductus fuit à fratribus, exorto à Iudæis tumultu* Act. 17, 15. *Hinc Timotheum misit Thessalonicam, ut & Ecclesiam illam in fide confirmaret, & conditionem ejus, quam in ista συρράξει relinquebat dubiam, cognosceret.*

*Decet hoc fidelem patrem & pastorem Ecclesiæ, ut magnâ cum molestiâ ferat, sicubi in curanda suorũ salute impeditur à Satana: & ut hoc impedimentum etiam aliquo suo cum damno compensetur, studeat. Magis enim ipsi curæ sit Ecclesiæ salus, quam propria. Quam ob causam Paulus alibi impendi vult pro Ecclesia* 2. Cor. 12, 15. *hic autem carissimo amico carere vult, tantum ut consulatur Thessalonicensibus. Exigit hunc amorem ab omnibus Christiana caritas, quæ non quærit, quæ sua sunt* 1. Cor. 12. 5. *Propria autem virtus est eorum, qui præsunt alijs, qui suo etiam aliquo cum incommodo, aliorum quærunt commoda: & hoc est, cum sollicitudine alijs præesse, quod Paulus requirit* Rom. 12. 8. Observ. 2.

*Commendat autem hunc legatum suum partim à confessione ejus, partim à ministerio, partim à fine suarum expeditionum, non tantum ut ei facilius fidem haberent, verum etiam, ut suum erga ipsos amorem indicaret, qui tantum virum illuc ablegarat*: Et misimus Timotheum fratrem nostrum, *inquit*, & ministrum Dei in Evangelio Christi ad confirmandos vos & exhortãdos pro fide vestra v. 2. *Quatuor modis in scripturis Fratres dicuntur, inquit Hieronymus: Natura, Gente, cognatione, & affectu. Fratrem ergo suum vocat Paulus Timotheũ affectu, quia*

*eum non tantum impensè amabat, sed & in fide socium habebat. Ministrum Dei vocat in Evangelio Christi, quia comes itinerum Paulinorum fuit*, Act. 16, 3. *&* συνεργὸς *Pauli* Rom. 16, 21. *quem postea Ephesi reliquit, ut esset inspector doctrinæ & Dei Ecclesiæ gubernator* 1. Tim. 1, 3. *Finis istius missionis geminus est:* 1. confirmatio *Thessalonicensium in fide: quæ facilè vacillare poterat in istis persecutionibus Apostoli. Ideo scribit, Timotheum confirmasse ipsos,* ut nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus v. 3. *In græco est verbum* σαίνεσθαι *quod de canibus aut lupis caudam vel ex terrore vel ex adulatione moventibus usurpatur. De caudarum canum & luporum motu utitur hac voce Homer odyss.* κ. *Notat ergo Apostolus motum animi in quamvis partem, quod est hominum inconstantium, & tandem plane à vero deficientium. Ne ergo in persecutionibus tanti Apostoli à veritate agnita Thessalonicenses dimoverentur, vel ex terrore & formidine similis fortunæ, vel ex adulatione pseudoapostolorum, quorum doctrina tot adversitatibus non erat exposita, vehementer sollicitus erat Paulus, qui & laborat periculum hoc ab ipsis avertere duabus rationibus*: (1) quia ad hoc positi sumus, *quod vel de Paulo solo, vel in communi de Christianis omnibus intelligi potest. In hoc enim omnes, ne quidem Apostolis exceptis, positi sumus h. e. divinitus vocati atq; constituti, ut persequutionem patiamur: de Paulo legitur* Act. 9. 16. *ego ostendam ei, quanta oporteat eum pati pro nomine meo: de reliquis Christianis* Act. 14, 21. Phil. 1, 29. (2) *quia hoc sæpè eis prædixit:* Nam cum apud vos essemus, ait, prædicebamus vobis, passuros nos tribulationes, sicut & factum est, & scitis. *v.* 4. *Tela prævisa minus nocent, & quæ prædicuntur mala, mitius afficiunt, quam quæ ex insperato contingunt:*

*ideo*

*ideo hanc etiam ob causam persequutionibus suis ab agnita veritate se dimoveri non patiantur. Alter finis istius missionis erat cognitio fidei eorum.* Propterea & ego, ait, amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram, ne fortè tentaverit vos ille qui tentat, & inanis fiat labor noster v. 5.

*Eadem ferè repetit, quæ supra v. 1. habuimus: Se nimirum desiderium res ipsorum cognoscendi ferre amplius non potuisse, eamque ob causam Timotheum ablegasse sciscitatum, an in fide sint adhuc constantes, siquidem non ignoret, quid Diabolus tentet apud fideles, quomodo fidem ipsorum labefactare, & sic labores piorum doctorum irritos reddere studeat. Multum enim laboraverat Paulus, in plantandâ Ecclesiâ illâ: contumelias Iudæorum perpessus erat, monendo, consolando, hortando, obtestando officium suum fideliter fecerat, & ne gravaretur Ecclesia, manibus suis victum quæsitaverat; quæ omnia à Diabolo unâ operâ perderentur, si defecissent ipsi à fide: quæ sanè res Apostolo materiam impensè dolendi suppeditasset.*

*Varia sunt in hoc textu, quæ observationem merentur: nos summa tantum rerum vestigia legemus.* 1. *Testimonium divinitatis Christi habemus v. 2. ubi Timotheus vocatur minister & συνεργὸς in Evangelio Christi: unde sic concludimus: Timotheus est minister Dei. Est autem minister Christi, quia est συνεργὸς Pauli in Evangelio Christi. Ergo Christus est Deus: quæ observatio est Theodoreti in hoc textu.* Observ. 1.

2. *Quod Paulus Timotheum, licet discipulum suum tantoperè commendat, propter idem, quod cum ipso administrabat ministerium, admonentur doctores verbi, mutuam commendationem ipsos decere, etiamsi alter alterum donis, ætate,*

& meritis antecellat: idq; non ut palpent se invicem, sed ut ædificent Ecclesiam. Prodest enim ista commendatio ad conciliandam junioribus autoritatem, quæ quò major est, eo amplior ad Ecclesiam redundatur utilitas, Diliguntur enim impensius, & audiuntur libentius, quorum studia & labores alijs in eodem munere συνεργοῖς approbantur.

3. Fides in Sanctis moveri, turbari, quin & planè excidere & amitti potest, quod exemplum Thessalonicensium testatur v. 3. Docet hoc conditio regenerationis nostræ, quæ non est ex omni parte perfecta: luctatur enim caro cum spiritu, eumque sæpe subjugat: docent hoc exhortationes scripturæ, ne gratiam Dei in vacuum recipiamus 2. Cor. 6, 1, sed teneamus, quod habemus, ne quis coronam nobis auferat Apoc. 3, 11. Docet Apostoli metus, de se ipso, ne fortè alios docendo ipse fiat reprobus 1. Cor. 9, 27. & de alijs, ne corrumpantur sensus ipsorum, & à simplicitate, quæ est in Christo excidant 2. cor. 11, 3. docent exempla, quoq; eorum qui fidem amiserunt tempore periculi, ut Petrus negando Christum, discipuli reliqui fugiendo Matth. 26. Demadis deserentis Paulum Matth. 26, 2. Tim. 4. 10. docet denique parabola Christi de semine exarescente in fundo petricoso Matth. 13, 20. Luc. 8, 6.

4. Sanctos in hoc positos esse scribit Apostolus, ut tribulationes patiantur, cum quo & aliæ scripturæ consentiunt, ut Rom. 8. 29. Act. 14, 21. 2. Tim. 3, 12. Ideo Christus ait, dispono vobis regnum, sicut pater mihi disposuit, Luc. 22, 29. ita enim dispositum fuit filio, ut per passionem intraret in gloriam Luc. 24, 26. Et Siracides hortatur omnes fideles Dei servos, ut se maturè præparent ad tentationem Sir, 2, 1. Est autem hæc doctrina carni quidem ingrata, in sese tamen solatio plena, quod afflictionem habemus in mundo non casu, sed juxta voluntatem Domini, quæ omnia mutare potest, & quæ

diligen-

diligentibus Deum omnia convertit in bonum Rom. 8. 28. Patienter ergo feramus, quod à Deo est impositum, cujus voluntati nemo resistere potest: memoresq; simus illius moniti Eccles. 7. 15. In die bona fruere bonis, & malam diem præcave. sicut enim hanc, sic & illam fecit Dominus, ut non inveniat homo coram eo justas querimonias.

5. Prædictiones prophetarum & Apostolorum de rebus futuris, cum implentur, certiores nos faciunt de eorum doctrinâ, quod sit divinitus inspirata. Quam ob causam Paulus noster ex prædictione persequutionum, ejusq; impletione, non tantum crucem ipsam Thessalonicensibus tolerabiliorem, verum etiam doctrinam suam licet multis tribulationibus pressam, certiorem facere voluit. Est enim non creatæ, sed divinæ virtutis, futura certò prædicere: Ideo Deus hac ipsa nota noscendi res venturas sibi gloriam Deitatis vendicat, dijs gentium verò derogat Esa. 44, 7. Et hoc etiam est κεφάλαιον certitudinis scripturæ Biblicæ, quod in ea tam multa sunt de rebus venturis vaticinia, quæ postea evidentissimus rerum eventus comprobavit: unde scripturam esse θεόπνευστον firmissimè colligitur, cum futura certò scire & prædicere tantum ejus sit, qui sempiternæ sapientiæ oculo universa coram intuetur.

6. Cum Apostolo Paulo, qui tamen intertium usque cœlum conscenderat, res Thessalonicensium ignotæ fuerint, ita ut per alium eas cognoscere necesse fuerit, apparet, etiam sanctissimos viros spirituq; Prophetico & Apostolico ornatos multa latere in rebus humanis. Ita Samuel Propheta ignorabat, quem nam ex filijs Jsai Dominus elegisset regem, 1, Sam. 6. cap. 16, 7. Elias ignorabat septem illa millia, quæ Dominus sibi reservaverat 1. Reg. 19, 18. Elisæus ignorabat, quomodo cum Sunamitide ageretur 2. Reg. 4, 13. Et quam multa latuerunt Apostolos etiam post visibilem Spiritus San-

cti effusionem? Id quod singulari Dei consilio factum, ne ultra sortem humanam eos extollamus, & agnoscentes infirmitatem tantorum virorum, nostram quoq; imbecillitatem moderatius feramus, contenti ea mensura Spiritus Sancti, quam cuiq; dedit Dominus, & desiderantes cœlestem nostram patriam, ubi perfecta erit omnis notitia nostra. Nunc enim cognosco ex parte, ait Paulus, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. 1. Cor. 13, 12.

7. Proprium nomen Satanæ est ὁ πειράζων, Tentator: ita enim appellatur hic v. 5. & Matth. 4, 3. Tentare autem in scriptura duobus potissimum modis usurpatur. Vel enim est rei alicujus experimentum facere, quemadmodum Abraham tentatus fuit oblatione filij sui Gen. 22, 1. ut fides ejus redderetur illustrior, hominibus etiam innotesceret. Quæ tentatio Deo tribuitur: Diabolus enim hoc pacto neminem tentat, qui tantum vult, ut hominis perfidia & iniquitas innotescat, & homo æternum pereat. Vel est tentare idem, ac ad peccatum instigare, fidem labefactare, promissione Dei in dubium vocare, & animum omninò à Deo avertere. Talis tentatio tantum est à Diabolo, Deus enim neminem tentat ad malum Jac. 1, 13. Diabolus autem est primus ille tentator ad pœnam, qui cum peccata homini persuasit, primus est, qui peccatori in judicio Dei hoc nomine actionem intendit, ideo vocatur accusator noster die ac nocte Apoc. 12, 10. qui, ut hoc de suo mihi largiatur Basilius in regul. fusius disputatis interrogat. 2. assiduè nunc suis nos artificijs circumvenire immediatis istius illecebris inescans, omni conatu efficere studet, ut datorum nobis à Deo beneficiorum, Deiq; ipsius memoriam ex animis nostris revellat: is ubi hinc migraverimus, cum animarum nostrarum exitio nobis insultans, vehementissimeq; insectans, contemtionem Domini nostram contume-

lio-

*liosè exprobabit, contumaciaq; ac defectione ab ipso nostra gloriandi materia adversus illum utitur: quod videlicet, cum nos ipse neq; crearit, neq; pro nobis mortem subierit, sibi tamen spretis contemtisq; Dei præceptis, obsequentes habuerit. Hæc Basilius. Causæ autem, cur Deus Diabolo hanc potestatem homines tentandi permittat, hæ sunt potissimum: (1) Conformatio Christi; hujus enim imagini nos conformes esse scripsit Apostolus* Rom. 8, 29. *Fuit autem & ipse tentatus* Matth. 4, 3. Hebr. 20, 18. & *quidem per omnia* Hebr. 4, 15. *ideo pios de tentationibus ejus aliquid sentire convenit:* Tob. 12, 13. Jac. 1, 12. *Hinc est illud Hieronymi ad Eustochium: Escæ Diaboli electæ sunt, Iob subvertere cupit: & devorato Iuda cribrandi Apostolos expetit potestatem (2) agnitio Diaboli: qui enim hunc hostem non rectè novit, nunquam legitimè cum eo certabit, & precum & aliorum exercitiorum pietatis oblivisetur: vexatio autem dat intellectum* Esa. 28, 19. *& crebri insultus Satanæ faciunt cautos & vigilantes, ne supplantemur à tentatore. Hinc Augustin. in* Psal. 61. *Tantum permittitur tentare tentator, quantū tibi prodest, ut exerceāris, ut proberis, ut qui te nesciebat, à te ipso inveniaris. (2) virium nostrarum exploratio. Plerumq; enim insolentiores sunt homines extra tentationis periculum, multumq; virium sibi pollicentur, qui tamen sunt infirmissimi: in cribrationibus autem Satanæ demum imbecillitatem suam agnoscunt, & ad Deum pro incremento fidei viriumq; ingemiscunt, quo referatur locus* Psal. 30, 7. *(4.) proximi ædificatio. Ideo namq; tentantur pij, ut tentationes aliorum ferre, ipsis succurrere, & exemplo suo prodesse possint: nam non tentatus qualia scit* Sir. 34, 11. *Et de Tobia scriptum est, hanc tentationem ideo Deus permisit evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & Sancti Iob.* Tob. 2, 12.

(5.) *Piorum humiliatio: nam extra tentationes facile intumescit caro, ob singularia Dei dona: ideo Divus Paulus de se scribit, se sensisse stimulum in carne, angelum Satanæ, qui se colaphiset, ne magnitudo revelationum extollat ipsum 2. Cor. 12, 7.*

## PARAPHRASIS HVIVS PARTIS.

PRoinde ut desiderio meo quoquo modo satisfacerem, ego solus Athenis subsistens misi Timotheum dulcissimum meum comitẽ, fratrem ac collegam fidelissimum, qui vestram in vobis fidem corroboraret, ne in istis persecutionibus meis perturbemini, & pusillanimes fiatis: probè enim scitis, divinitus me ad passiones pro Evangelio Christi destinatum esse: Ipse quoq; vobis hanc fortunam meam prædixi coram, me propter Christum multa passurum, quemadmodum & factum est. Volui etiam Ecclesiæ vestræ statum simul perlegatum meum cognoscere, & an in fide sitis adhuc constantes satis. scio enim quantoperè laboret Satan, ut ad fidem conversos, â latere Christi iterum divellat, eaq; ratione omnem meum laborem atq; curam, quam in convertendis vobis adhibui, irritam faciat.

## QUÆSTIONES EX HAC PARTE CAPITIS.

### QVÆSTIO I.

Quorsum opus est stabilitione fidei, de qua Paulus scribit v. 2. cum tamen metuendum non sit, ne quis fide sua excidat, de qua Iudas scribit

in Epistola sua v. 3. fidem sanctis semel esse traditam?

*Resp. Quod fides piorum & infirmari & auferri prorsus possit, testatur* (1) *scriptura, quando Apostolus scribit: exhortamur vos, ne gratiam Dei in vacuum accipiatis, 2. Cor. 6, 1. de conversis Galatis scribit: nisi maturè pedem referant, fore ut gratia Dei excidant, & Christus eis nihil prosit. Evacuatâ autem gratia Dei, etiam fides perit, quæ sine illa esse nequit, ac sine qua Christus nihil prodest. Sic Paulus de gentibus conversis & in locum rejectorum Iudæorum receptis scribit* Rom. 11. *Ne efferaris animo, sed timeas. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide, ne quà fiat, ut nec tibi parcat. Ecce igitur bonitatem ac severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem; in te verò bonitatem, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excinderis. Sic Heb. 6. legitur de illuminatis, qui participes facti sunt spiritus Sancti, gustaveruntque bonum Dei verbum, & virtutes venturi seculi, eos non tantum illo beneficio privari, verum etiam ita excidere, ut ad pœnitentiam non renoventur amplius: quin & Paulus ipse metuit, ne fortè alios docendo ipse reprobus fiat* 1. Cor. 9. *Filius Dei quoq; hortatur: Tene, quod habes, ne quis auferat coronam tuam* Apoc. 2. *Testimonia hæc satis clara sunt, quod renati gratia Dei excidere, fidem & spiritum Sanctum amittere possint. Idem testantur exempla fidelium, qui fidem amiserunt, ut Aaron per idololatriam* Exod. 32, *qualis enim fides esse potest in ijs, qui idola colunt? David per adulterium & homicidium: non enim agnoscimus fideles adulteros, ut Pontificij; & homicida non habet vitam æternam (neque fidem) in se manentem* 1. Joh. 3. *In hanc sententiam B. Lutherus scribit in libro Cont. regem Angliæ tom. 2. Ienens. fol. 144.*

Qui credit, non potest adulterium vel peccatum aliud committere, quemadmodum Joh. ait, Nam verbum Dei, à quo dependet omnipotens Dei virtus, quæ sustentat ipsum, excitat. Si verò labitur & peccat, jam certè fides est amissa, & ubi infidelitas est, ibi & fructus ejus, adulterium, homicidium, odium &c. *Eam ob causam semper confirmatione fidei opus est, ne vel scandala mundi, aut persecutiones hostium eũ turbent, aut per pericula alia infirmetur aut prorsus excidat. Quod autem locum ex epistola Iudæ attinet, afferunt quidem Calviniani eum ad probandum, quasi quis circa fidem semel acceptam, nunquam naufragium facere possit: sed absq; ratione hoc dicunt. Nam Apostolus Iudas non loquitur de fide salvifica, sed de doctrina Christiana, quæ fides appellatur* Rom. 1, 12. Gal. 3, 14. *Neq; docet Iudas etiam hanc fidem amitti non posse, sed contrarium potius. Iubet enim pios se mutuò juvare, ne quis auferat eis Evangelium, quod multi partim impiâ doctrinâ, partim impurâ vitâ tentant. Hanc fidem ait sanctis semel traditam, quia Iudas minimè novam doctrinam proposuit, sed jam antè ab Apostolis prædicatam repetijt.*

## QUÆSTIO II.

Cur D. Paulus non vult Thessalonicenses moveri intribulationibus Ecclesiæ, v. 3. nunquid Stoica ipsi placet ἀπάθεια?

*Resp. Hæc non est mens Apostoli, qui aliàs vult nos necessitatibus sanctorum compati, & flere cum flentibus* Rom. 12, 13, 15. *sed loquitur de mutatione in religione, quam procul abesse vult à sanctis, propter varias Ecclesiæ calamitates, quæ*

eiam

*etiam cordatum emasculare, possent, nisi Deus ipsum animaret, & in fide confirmaret. Vtitur autem verbo σάινεσθαι, quod idem est, ac ταράττεσθαι, θορυβεῖσθαι, κινεῖσθαι ut Oecumenius interpretatur, & usurpatur de canibus ac lupis præ terrore caudam remulcentibus, cum fuerint territi, sicuti Virgilius scribit lib. II. Æncid:*

Occiso pastore, lupus, magnoq; juvenco
Conscius audacis facti caudamq; remulcens
Subjecit pavimentum utero.

*Est movere se in quamvis partem, sicut canes aut lupi caudam movere solent, quemadmodum in explicatione textus audivimus. Talis fluctuatio aut commotio, quæ animum territum reddat incertum de doctrinâ & religione sua in periculis, non decet Christianum, quia datum est nobis à Christo, non solum ut credamus, sed ut etiam pro illo patiamur.* Phil. 1, 20. *Fides & constantia hominis omnium maximè agnoscitur in publicis Ecclesiæ calamitatibus. Quemadmodum enim ignis probat aurum & argentum; ita homines acceptabiles in camino tribulationis* Sir. 2, 5. *Ita in Ecclesia canimus:*

Es wil durchs Creutz beweret sein/
Da wird erkant sein Krafft vnd schein/
Vnd leucht starck in die Lande.

*Communis hæc est Prophetia in scripturâ, quam Paulus generali aphorismo complectitur:* 2. Tim. 3. *Omne, qui piè vivere volunt, in Christo Jesu, persecutionem patientur. Hoc in textu rationem ejus addit: Ipsi enim scitis, inquiens, quod ad hoc positi simus: nimirum ad sustinendas persecutio-*

*nes multas: quod Sancti fatentur, ut* Job. cap. 16, 13. *posuit (Deus) me sibi q. in signum, seu in scopum, ad quem tela sua dirigat & David* Psal. 66, 12. *posuisti tribulationes in dorso, nostro (scil. sicut onus grave) imposuisti homines super capita nostra. In quam sententiam Chrysostomus super textum nostrum scribit :* Sic simus milites Christi, si patientiæ armis induamur. Sic simus martyres Christi, si diabolum vincamus: si enim pateris & sustines, fugiet Diabolus.

## QVÆSTIO III.

Quî fit, quod D. Paulus, qui tam multa occulta abditaque novit, Thessalonicensium statum ignoravit, ita ut ad explorandum eum Timotheum illuc miserit v. 5.

*Resp. Etiam illis Sanctis, qui donum vaticinandi habuerunt, non semper omnia fuerunt cognita, neq; enim agebant aut loquebantur ex naturali quadem facultate, sed ex virtute divina, quæ modo eis aderat, modo etiam ad tempus recesserat. Sic Elias ignorabat, Deum sibi reservasse septem millia, eorum, qui genua coram Baal non curvaverant,* 1. Reg. 19, 18. *Elisæus fatetur, Dominum celasse sibi, quod mulieri, hospitæ suæ aliquid triste accidisset* 2. Reg. 4, 27. *Samuel etiam ignorabat, quemnam ex filijs Iesse Dominus in locum Saulis elegerat* 1. Sam. 16, 16, 7. *Facit hoc Deus duplicem ob causam.* 1. *ne ipsi Sancti viri sibi aliquid super humanam conditionem tribuerent. (omnia enim semper scire solius Dei est) (2. )ne alij eos supra conditionem hominum eveherent:*

quas

*quas causas D. Paulus de se allegat 2. Cor. 12, 6. 7. ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me: & ne magnitudo revelationum extollat me &c.*

## SECVNDA PARS

### TEXTVS.

Ἄρτι δὲ ἐλθόντος Τιμοθέου πρὸς ἡμᾶς ἀφ' ὑμῶν, καὶ εὐαγγελισαμένου ἡμῖν τὴν πίστιν καὶ τὴν ἀγάπην ὑμῶν, καὶ ὅτι ἔχετε μνείαν ἡμῶν ἀγαθὴν πάντοτε, ἐπιποθοῦντες ἡμᾶς ἰδεῖν, καθάπερ καὶ ἡμεῖς ὑμᾶς.

6. NUper autem quum veniſſet Timotheus ad nos à vobis, & annunciaſſet nobis fidem, ac dilectionem veſtram, & quod habeatis memoriam noſtri bonam ſemper, deſiderantes nos videre, quemadmodum nos quoque vos:

Διὰ τοῦτο παρεκλήθημεν, ἀδελφοί, ἐφ' ὑμῖν ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει καὶ ἀνάγκῃ ἡμῶν διὰ τῆς ὑμῶν πίστεως.

7. Idcirco conſolationem adcepimus, fratres, per vos, ſupra omni afflictione & neceſſitate noſtra per veſtram fidem:

Ὅτι νῦν ζῶμεν, ἐὰν ὑμεῖς στήκητε ἐν Κυρίῳ.

8. Quoniam nunc vivimus, ſi vos ſtatis in Domino.

Τίνα γὰρ εὐχαριστίαν δυνάμεθα τῷ Θεῷ ἀνταποδοῦναι περὶ ὑμῶν, ἐπὶ πάσῃ τῇ χαρᾷ ᾗ χαίρομεν δι' ὑμᾶς ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν.

9. Quam enim gratiam actionem poſſumus Deo rependere de vobis, ſuper omni gaudio, quo gaudemus propter vos in conſpectu Dei noſtri.

Νυκτὸς καὶ ἡμέρας ὑπερεκπερισσοῦ δεόμενοι εἰς τὸ ἰδεῖν ὑμῶν τὸ πρόσωπον, καὶ καταρτίσαι τὰ ὑστερήματα τῆς πίστεως ὑμῶν.

10. Nocteac die ſupra modum orantes ut videamus veſtram faciem, & ſuppleamus quæ deſunt fidei veſtræ?

Αὐτὸς δὲ ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ ἡμῶν, καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς

11. Ipſe vero Deus & Pater noſter, & Dominus noſter Je-

χριστὸς κατευθύναι τὴν ὁδὸν ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς.

sus Christus dirigat viam nostram ad vos.

Ὑμᾶς δὲ ὁ Κύριος πλεονάσαι καὶ περισσεύσαι τῇ ἀγάπῃ εἰς ἀλλήλους καὶ εἰς πάντας, καθάπερ καὶ ἡμεῖς εἰς ὑμᾶς.

12. Vos autem Dominus abundantes & exuberantes faciat mutua inter vos charitate, & in omnes, quemadmodum & nos in vos:

Εἰς τὸ στηρίξαι ὑμῶν τὰς καρδίας ἀμέμπτους ἐν ἁγιωσύνῃ, ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν, ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ μετὰ πάντων τῶν ἁγίων αὐτοῦ.

13. Vt confirmet corda vestra, irreprehensibilia in sanctimonia coram Deo & Patre nostro, in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus.

*IN hac parte exponitur, quis fuerit effectus missionis illius Timothei ad Thessalonicenses, nempe singularis exhilaratio Pauli, quam indicat v. 7.* Ideo consolationem accepimus, fratres, in vobis, in omni necessitate & tribulatione nostra per fidem nostram. *Paternus planè elucet hic adfectus in Paulo, qui summam recreationis suæ partem, ponit in felicitate suorum discipulorum.* Nam cum ex gratiosa Dei præsentiâ, ex familiari conversatione cum suavissimis amicis, ex bonitate quoq; causæ suæ suavissimè exhilarari potuisset: his omnibus Thessalonicensium suorum prosperitatem anteponit.

Observ. *Hoc enim est ingenium omnium piorum, de felici successu Evangelij magis gaudere, quàm de rebus alijs omnibus. Quemadmodum enim solliciti sunt, ne propter afflictiones Evangelium odisse incipiant, ita maximo perè gaudent, quod per multas tribulationes in regnum cœlorum ire pergunt. Discamus ergo hîc, unde omnium efficacissimum solatium in nostris tribulationibus petendum sit. Quærant hoc alij in*

delitijs

*delitijs mundanis, in tranquilla sorte suorum, in assistentia multorum amicorum : Pij omnium maximè exhilarantur flore Ecclesiæ, qua salvâ & ipsi salvi sunt, & ærumnarum suarum facilè obliviscuntur : quemadmodum vicissim nulla re magis consternantur, quàm Ecclesiæ detrimento, quod exemplo Heli constat, qui accepto nuntio de capta arca fœderis, mortem oppetebat* 1. Sam. 4, 18. *& de Imperatore Theodosio magno scripsit Ambrosius in Orat. funebri:* Dilexi virum, qui cum jam corpore solveretur, magis de statu Ecclesiarum quam de suis periculis angebatur. *Verè hoc quoque fecit Paulus noster, qui proinde præsentissimum solatium non aliunde hausit, quam ex prospero Ecclesiæ Thessalonicensis statu.*

*Duo autem in specie exprimuntur, quorum nomine tantoperè recreatus fuerit suis in tribulationibus, de quibus v.* 6. Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annunciante nobis fidem & caritatem vestram, & quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut & nos quoque vos. *Primum est incrementum fidei & caritatis : alterum desiderium visendi Paulum. Illud ostendit, doctrinam Pauli apud ipsos non fuisse absq; fructu : finis enim ejus est fides in Deum & dilectio in proximum. Hoc docet ipsos admonitionum Paulinarum esse studiosos, ipsiusq; Apostoli observantissimos, & pro salute ejus orare : quæ omnia sunt q. summa capita religionis Christianæ, de quibus rectè utitur voce* εὐαγγελίζομαι : *ait enim, Timotheũ fuisse* εὐαγγελισάμενον *de his. Paulo enim nuntius ille de Thessalonicensium statu admodum erat gratus & exoptatus.* Observ.

*Optima hæc est harmonia in auribus Dei & piorum hominum, si rectè docetur de Christo, & doctrina illa dextrè per-*

cipitur, ita ut desiderium doctoris absentis in animis auditorum relinquatur: hoc est Evangelium reciprocum, quod annuntiant Doctores, & vicissim annuntiatur ipsis de auditoribus. Minuit hoc omne tædium, quod in labore isto utrobiq; obrepere potest. Ideo vult Apostolus, nos memores esse præpositorum nostrorum, qui nobis locuti sunt verbum Dei Heb. 13, 7. Summa autem ingratitudo est, eorum qui præclaram Ecclesiæ operam navarunt fideliter docendo, quin & liberando eam à superstitionibus, erroribus & periculis, non tantum obliviſci, verum etiam eis obloqui & famæ eorum detrectare, quam ingratitudinem Deus tandem subtractione virorum tam præclarorum punire solet, ut vel carentia ipsorum pretiositatem æstimemus: quo pertinent minæ Domini Esa. 3, 2.

Discamus etiam hic, memoriam nobis parare bonam. Nam levitatis est, nihil curare, quid de nobis sentiant vel loquantur absentes, cum & scriptura piè defunctis honestam apud posteros memoriam promittat Sir. 44, 14. Apoc. 14, 13. Paranda autem est memoria nostra rebus licitis ac honestis: nam qui more tyrannorum, aut ad exemplum Herostrati, qui templum Ephesiorum incendit, famam memoriamq; sibi parant, cum ignominia semper vivunt: justi verò memoria est cum laudibus, & nomen impiorum putrescet proverb. 10, 7.

Exaggerat autem Paulus suam illam recreationem ex felici Thessalonicensium statu perceptam, tribus modis: primum dum ait, vitam suam in ipsorum salute consistere: Quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino v. 8. In Domino stare, est in vera fide, ex gratia Domini consistere. Est ergo constantia fidelium vita Pauli, & vicissim defectio ipsorum mors ejus.

Eo

*Eo animo sunt omnes fideles Ecclesiæ Doctores: quemadmodum Elias in persequutione Baalitica mori maluit, quam videre diutius Ecclesiæ vastationem populiq; defectionem, ex qu[o] illum veri Dei cultorem restare putabat*, 1. Reg. 19, 4. *Ita Paulus se schismate Ecclesiæ Corinthiacæ infirmari prorsus scribit* 2. Cor. 11, 29. *In eo ergo incumbant auditores, ne fides ipsorum sit* παράκαιρος, *sed depositum sacrum fideliter custodiant, & contra portas inferorum defendant: ita vitam suorum doctorum prorogabunt: cum vicissim, desidia suâ & levitate in religionis negotio mortem ipsis accelerent.*

*Altera exaggeratio est in eo, quod ne quidem verborum satis invenire potest, quibus Deo pro felicitate illa Thessalonicensium gratias agat*: Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere, ait, pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum? v. 9. *Gaudio gaudere Hebraismus est, sicut veniendo venire, moriendo mori, & notat vehementiam pariter & certitudinem gaudij. Ex hoc tam impenso gaudio oriebatur gratiarum actio, pro auditorum suorum in fide constantia; quemadmodum gaudium erat magnum; ita & verbis se ferè destitui, ait, quibus Deo pro tanto beneficio gratias agat.*

*Decet hoc ministros verbi, ut pro fide & constantia suorum auditorum gratias agant Deo, quod Paulus in principio omnium suarum epistolarum facere solet. Est enim indicium, quod nihil suo labori aut industriæ tribuant, sed omnia benedictioni Dei adscribant, dicentes cum regio Psalte: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, Psal. 115, 1. *Deus enim est, qui verbo suo dat virtutem, ne vacuum ad se redeat. Deus est qui flectit animos ad assentiendũ,* Observ.

*& largitur robur, ut tentationum scopulos animosè superemus. Deus est, qui, quod cepit in nobis, bonum opus confirmat, & cujus virtute custodimur ad salutem: ipse enim dat & velle & perficere: quo nomine ei soli laus & gloria debetur.*

*Tertia exaggeratio est, quod indesinenter suum ad ipsos reditum à Deo precatur, quo ipsos in fide magis magisque confirmet:* Nocte ac die, *inquit*, orantes abundantius, ut videamus faciem vestram, & compleamus ea, quæ desunt fidei vestræ. v. 10. *Duo precatur, 1. ut faciem ipsorum videat, de quo etiam supra cap. 2. v. 17. egerat. 2. ut fidem ipsorum coram confirmet. Etsi enim id literis etiam præstari potest, majorem tamen habet ἐργειαν viva vox, & præsentem se multa correcturum sperabat, quæ fortasse ipsi in seipsis non animadverterant. Cum autem suum ad ipsos reditum per Satanam impeditum fuisse dixerit* cap. 2. v. 18. *jam Satanæ viribus opponit preces suas, easq; & frequentes (nam ὑπερεκπερισσῶς oravit) quæ vox nõ tam abundantiam precum, quam ardentem animi affectum notat.*

Observ. *Monemur igitur nostrum esse imperfectionem fidei & sanctitatis nostræ libenter agnoscere, corrigere, & ad perfectionem contendere. Nam si Ecclesia tam celebris, cujus fides in toto mundo prædicata fuit, nondum undique perfecta erat, multo minus id nobis tribuere possumus. Intolerabilis ergo superbia est Monachorum in Papatu, qui perfectorum titulum sibi rapiunt, quia opera supererogationis jactitant, cum tamen multa passim desint multis in theoriâ & praxi Christiana. Vnde omnes opus habemus, ut cum Thessalonicensibus confirmemur in fide, cum Apostolis augmentum fidei petamus, & cum Paulo nostro ad perfectionem tendamus* Phil. 3, 13. *Et hæc quidem optima est Christianorum in hac vita perfectio, suam agnoscere imperfectionem.*

PARA-

## PARAPHRASIS HVIVS PARTIS.

Magnoperè autem recreatus sum per Timotheum, in tribulatione mea, quam propter fidem Evangelij patior, postquam audivi fidem in vobis subinde crescere, & per charitatem operari, vosque pari desiderio me visendi mecum certare. In hoc enim consistit vita gaudiumque nostrum, si vos Dei beneficio in veritate constanter permanere percipimus. Neque verò Deo pro dignitate tanti beneficij satis gratias agere possumus, usque adeò effusum est cor meum præ lætitia tam exoptati nuncij. Vnde & indesinenter ardentissimas preces ad Deum effundo, ut me dignum faciat videndi vos & stabiliendi fidem vestram.

## QVÆSTIO VNICA EX HAC PARTE CAPITIS.

Cum Paulus hic tantoperè desideret coràm confirmare & supplere, quæ desunt fidei Thessalonicensium, dubitare aliquis possit quo sensu supra fidem ipsorum adeò commendârit, tanquam celeberrimam in omni loco? cap. 1, 8.

*Resp. Sciendum est, commendationem fidei, quæ extat primo capite, pertinere potissimum ad facilitatem illam, quod non diu restiterunt prædicationi Pauli, sed citò eam receperunt, ita ut mox in tota illa vicinia increbresceret, quo nomine*

*præ alijs gentibus laudem merebantur: deinde etiam ad fiduciam illam pertinent, quam posuerunt in Christo recens prædicato, quem aliæ gentes adhuc persequebantur. Defectum autem patiebatur fides ipsorum partim in materia, partim in forma. In materia seu quantitate deerat ipsis nonnullorum articulorum cognitio, ut de fine seculi, de adventu Domini, & de ordine resurrectionis; In forma seu qualitate deerat ipsis fructus fidei, multa enim adhuc erant in ista Ecclesia scandala, quibus obscurabatur fides, deerat etiam fervor & vigor ille fidei, qui in confessione tempore periculi omnium maximè eminet. Vtrobique laborabat Paulus, ut ad perfectionem veniret fides ipsorum, h. e. ut in omnibus scitu necessarijs rectè essent instructi, & ad reddendam fidei rationem intrepidè parati. Non enim semper æquè firma fides est, sed habet suos gradus, ita ut & sanctissimi opus habeant precari cum discipulis: Domine adauge nobis fidem Luc. 17. Quod augmentum cum Deus per ministros suos expediat, rectè optat Paulus καταρτισαι, h. e. omnibus numeris fidem Thessalonicensium perfectam reddere. Metaphora sumta est ab ædificijs, in quibus opera artificis omnia solide compacta sunt; ita & Paulus ædificium illud præclarum Ecclesiæ Thessalonicensis, importunitate Adversariorum, quibus cedere cogebatur, nimis citò abruptum, absolvere cupiebat, sublatis illis ὑστερήμασι fidei, de quibus modò diximus. Possumus autem ea quoq; commendare, & alijs anteferre, quæ nondum omnibus numeris sunt perfecta.*

## TERTIA PARS.

*Sequuntur jam preces Apostoli, pro se & Thessalonicensibus fusæ, quibus primam partem hujus epistolæ finit. Suo nomine felicem ad ipsos reditum precatur.* Ipse autem Deus & Pater noster, & Dominus noster Jesus Christus dirigat viam nostram *ad vos v.* 11. *Duobus membris hic versiculus absolvitur. In primo est objectum precum, seu is, ad quem sunt directæ in altero materia precum. Preces suas ad Deum dirigit, cujus duas exprimit personas, Patrem & Dominum nostrũ Iesum Christũ, non dirimens eas in naturâ, sed distinguens proprietate & officio. Prima enim persona & Deus & Pater est, Pater partim filij sui dilecti, quẽ ab æterno genuit* Psal. 2, 7. *Partim noster Pater, quos in filio illo suo dilexit* Eph. 1, 6. *unde & fratres filij appellamur* Psal. 22, 23. Joh. 20, 17. *Est autẽ Pater filij sui, non per ἀνθρωποπάθειαν, sed proprijssimè, quia nomen paternitatis à Deo ad homines defluxit* Eph. 3, 15. *Pater noster est per ἀνθρωποπάθειαν: nam, ut Pater miseretur filiorum, ita Deus nostri* Psal. 103. *Hinc Athanas. in Epist. ad Serap.* Pater propriè est pater, & Filius propriè est Filius.

*Secunda persona vocatur Dominus noster, ac proinde & Deus, nemo enim Dominium habet in hominem, nisi qui condidit ipsum, h. e. solus Deus, unde Christus &* Dominus & Deus *appellatur* Ioh. 20, 28. *Est autem Dominus noster non tantum jure creationis, qua ratione dominium cum Patre commune habet: Sed vel in primis jure redemtionis, quo nos à potestate Satanæ liberatos manu adseruit, sibiq; subjectos reddidit.*

*Observetur ergo hic exemplo Pauli, preces nostras dirigendas non esse ad sanctorũ aliquem, sed ad sanctissimũ, Deum Patrem ac Dominũ nostrũ Iesum Christum: ubi verò hi duo sunt,*

*ibi*

*ibi etiam Spiritus S. subintelligendus est, qui per Apostolos loquitur* Matth. 10,20. *Objectum ergo precum nostrarum est SS. Trinitas, sive omnes personæ conjunctim, sive singulæ seorsim adorentur. Quemadmodum enim naturæ ac potestatis, ita & cultus summa est communio. Hinc tria resultant porismata contra hæresin Photinianorum observanda: (1.) Christum religiosa adoratione esse adorandum (quod negat Franciscus Davidis in disp. Albana) ad hunc enim Paulus suas preces directè fundit, & consentiunt aliæ scripturæ* Psal. 97,7. Hebr. 1,6. Phil. 2,9. Matth. 14,23. Act. 7, 39. (2.) *eandem invocationem tribui Christo, quæ Patri æterno, (quod negat Socinus* cap. 17. Part. 8. pag. 151. *contra Franciscum David. & in Resp. ad arg. Bellarm.* cap. 7. *quia Paulus & Patrem & Christum ijsdem precibus conjunxit, & eodem orationis filo invocavit: & quod* Esa. 45, 23. *æterno patri tribuitur, Paulus de Christo dicit* Rom. 14,11. *& ratio in promptu est, quia Christus eadem fide vult in se credi, qua creditur in Patrem* Joh. 14, 1. *eundem quoq; honorem à nobis exigit, quam Pater* Joh. 5, 23. (3) *Christum non adorari tantum, propter imperium aliquod & potentiam in nos creatam, sicut vult Osterod. in instit.* pag. 135. cap. 19. *Sed quia eandem cum patre naturam & potestatem habet: quia preces Pauli diriguntur ad ipsum, tanquam ad Deum nostrum, quæ appellatio est ex officio mediationis, quod soli homini non competit, sed propter ἀπολέσμα & divinitatem, divinam requirit naturam. Et in hoc dominio Christi in nos solum fundantur preces nostræ: quia enim ipse mediator noster, accessum nobis & fiduciam ad patrem faciens* Eph. 3, 12. *ac pro nobis ad dextram patris interpellans* Rom. 8, 34. *propterea & preces nostræ Deo placent quas in nomine Christi fundere jubemur* Joh. 16,23. *Porrò materia precũ Paulinarum est directio viæ suæ ad*

*Thes-*

*Thessalonicenses. Supra enim scripsit, se quidem ad ipsos proficisci voluisse, Satanam autem impedivisse: cui ut resistat Dominus Iesus Christus, una cum Deo Patre, & impedimenta omnia removeat, iterq; illud sanctum prosperet, similiter orat.*

*Monemur hic, à Deo petendum esse itinerum & expeditionum nostrarum successum. Sine Deo enim ne pedem movere, multò minus feliciter aliquid expedire possumus. Ideo Sancti benè precati sunt iter suscipientibus: Bene ambuletis, inquit Tobias ad filium, & comitem ejus, & sit Deus in itinere vestro, & angelus ejus comitetur vos* Tob. 5, 21. & *Iudithæ proficiscenti ad castra Holofernis, dixit Onias princeps Iudæ: Vade in pace, & Dominus sit tecum in ultionem inimicorum nostrorum.* Judith. 8, 34. *Hujusmodi vota sunt instar præclari viatici: quia directore Deo, omnis via nostra prosperabitur. Novit Dominus viam justorum, iter autem impiorum peribit* Psal. 1, 6. *Et hæc sunt, quæ Paulus suo nomine precatus est. Thessalonicensibus duo precatur, in quibus perfectio vitæ Christianæ consistit: Unum est, caritas mutua: alterum confirmatio in vera cordis sanctimoniâ. De primo ita loquitur:* Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat caritatem in invicem, & in omnes, quemadmodum & nos in vobis v. 12. *Abundantiam multæ caritatis eis precatur, quæ perfecti Christianismi nota est. Consistit autem ea in ejusmodi operibus, quibus omnium maximè inservitur proximo. Nam quemadmodum fides exigua, etiam vera fides est, teste Christo,* Matth. 17, 19. *Sed non est fides perfecta: ita scintilla quædam caritatis etiam caritas est, & laudem meretur, sed longè adhuc abest à perfectione. Optat ergo Paulus Thessalonicensibus perfectam caritatem, tanquam summum Christianorum bonum, idq; suo exemplo, quia* Observ.

*& ipse ita nos dilexit, ut non tantum non nocuerit eis, sed & cum vitæ periculo ipsis inservierit. Caritas est, non jugulare, non defraudare, non odisse proximum; sed tum demum abundat; quando multa bona profert opera, & quidem in commodum proximi. Multa sunt, quæ præstat homo, non sine studio, nec sine difficultat, equalia sunt ingeniosa opera artificum, in quibus ars non tantum imitatur naturam; sed & interdum superare videtur: sed non sunt opera caritatis, quia non fiunt cum insigni utilitate proximi. Ideo Christus nos imitatores jubet esse patris Cælestis, non operibus miraculosis, quæ vires nostras excedunt, sed in operibus misericordiæ* Luc. 6, 36. *quibus proximo consulitur. In his abundare potest caritas nostra cum & inimicis benefacimus, vel alijs, cum nostro aliquo detrimento, gratificemur, h. e. cum non tantum omittenda omittimus, sed & facienda facimus. Unde sunt versiculi:*

Hic scopus unus erit, multis prodesse, nocere
Nemini, amare bonos, & tolerare malos.

*De altero precum suarum capite ita loquitur Paulus:* Ad confirmanda corda vestra sine querela, in sanctitate, ante Deum & Patrem nostrum in adventu Domini nostri Jesu Christi, cum omnibus sanctis ejus, Amen. v. 15.

*Quemadmodum prior petitio ad proximum pertinebat, erga quem cor abundare debet caritate: ita hæc posterior pertinet ad Deum, erga quem confirmati esse debemus in sanctimoniâ, quam ad rem duo quasi adminicula monstrantur.*

1. *vita absque querelâ.* 2. *vita in conspectu Dei & ultimo adventu Christi summo actionum nostrarum judici probata. Illa facit, ut vitemus omnia crassa delicta, quæ sine scandalo perpetrari non possunt, quibus fama nostra læditur & querimoniæ de nobis passim excitantur in mundo. Hæc facit, ut abstineamus etiam ab occultis delictis, à cogitationibus ac desiderijs pravis, quibus si non fama, conscientia tamen læditur, quæque nos si non in mundo, in judicio tamen Dei accusant.*

*Ea demũ verò confirmata est sanctimonia nostra, quæ nos & coram Deo & corã mundo reddit inculpatos. Eam precemur à Deo, cui Directorium totius vitæ nostræ insolidum est committendum: simul autem nos etiam occasionem omnem fugiamus, qua hujusmodi sanctimonia pollui potest, quærentes non tantum testimonium eorum, quibus cum hic versamur, sed & videntes, ne conscientiæ nostræ ipsiusq; judicis nostri & Sanctorum omnium in novissimo die testimonio destituamur: eò enim nos remittit Paulus, cum iterum adventus Christi & omnium sanctorum meminit: Veniet enim Dominus cum omnibus Sanctis angelis* Matth. 16, 27: 25, 31. 2. Thess. 1, 7. *veniet cum senioribus populi ad judicium faciendum* Esa. 3, 14. *cum sanctis omnibus, qui judicaturi sunt mundum* 1. Cor. 6, 2. *approbando sententiam à Christo dictam, & nunquam retractandam.* Observ.

*Ita ergo vivendum est cum hominibus, ac si Deus videat, ita loquendum cum Deo, ac si homines audiant, ut in tremendo illo judicio intrepidè consistere, & sententiam omnibus modis exoptatam audire valeamus. Hac enim meditatione extremi adventus Christi ad judicium Sanctitas vitæ nostræ omnium optimè confirmari potest, ideo*

*Paulus in hac materia frequenter nos ad judicium illud Domini remittit: quod qui non reformidat, desperati planè animi sit, necesse est.*

## PARAPHRASIS HVIVS PARTIS.

ORo autem patrem æternum, verum illum Deum & Dominum nostrum Jesum Christum, ut ipse res meas ita dirigat, quo iter ad vos optatum suscipiam. Vos autem abundare faciat mutuo inter vos & fratres omnes amore, quemadmodum & ego vos vera caritate cõplector. Servet vos omnes, inculpatos, Sanctos, & integros, ut vita vestra probetur judici vivorum ac mortuorum, in ultimo suo adventu, quando cum omnibus sanctis ad judicium universale apparebit.

## QVÆSTIO VNICA EX PARTE. 3.

Quomodo corda nostra confirmari possint, ut sint sine querelâ, ut Paulus loquitur v. 13. cum passim ubique in mundo satis sit defectuum & querelarum?

*Resp. Verba Pauli non describunt quid sit, vel esse possit: Sed votũ continent, docentia quid in Christianis esse debeat, & quid in illis Deus operari queat. Vovemus autem etiam ea, quæ non semper fiunt, ut perpetuam sanitatem, felicemque rerum omnium successum; quo tamen multi, quibus optantur, destituuntur. Ita precatur Paulus, ut Deus confir-*

*met corda Thessalonicensium, ut sint sine querela in sanctitate, partim coram Deo hac in vita, partim etiam in adventu novissimo coram facie justi judicis, coram quo nihil stare potest immundi. Deinde τὸ ἄμεμπτον, inculpatum, seu quod absq; querela est, nõ semper accipitur absolutè, de eo, quod omni prorsus caret vitio, aut querelâ: Sed sæpè opponitur hypocrisi, & idem est, ac sincerum, quo pacto parentes Iohannis Baptistæ leguntur vixisse ἄμεμπτοι: Luc. 1, 16. quia non ut Pharisæi hypocritæ externam qualemcunque legi obedientiam præstabant, sed ex sententia animi sui, quantum in hac infirmitate fieri poterat. Optat igitur Paulus, ut Thessalonicenses omnes sanctis operibus studeant, non tantum coram oculis hominum, tanquam ἀνθρωπάρεσκοι, ut Paulus alibi loquitur Col. 3, 22. sed sincerè, ex animo, tanquam in conspectu ipsius Dei, & prout in ultimo Christi adventu consistere cupiunt, ubi etiam occulta cordium revelabuntur. Talis autem sinceritas cultus & sanctimoniæ cadit adhuc in homines pios etiam hac in vitâ, licet sanctimoniæ ipsi multa imperfectio adhæreat.*

## CAPUT IV.

### ARGVMENTVM ET PARTITIO CAPITIS.

*ALtera pars hujus Epistolæ hoc capite incoatur, quæ partim est παραινετικὴ, partim διδακτικὴ, Primũ enim Paulus more suo post doctrinam fidei, quam in præcedente parte habuimus, hortatur ad studium bonorum operum, enumeratis quibusdam vitijs, à quibus abstinendum; & vicissim virtutibus quibusdam,*

*quibus ſtudendum eſt. Deinde quo ordine futura ſit reſurrectio mortuorum, docet, idque eum in finem, ut verum fundamentum conſolationis habeant Theſſalonicenſes in obitu ſuorum cariſſimorum. Sunt ergo duæ partes Capitis:*

I. In prima eſt exhortatio ad ſtudium virtutum: uſque ad v. 13.

II. In altera eſt inſtitutio de reſurrectione mortuorum: uſque ad fin.

## PRIMA PARS

### *TEXTVS.*

Τὸ λοιπὸν οὖν ἀδελφοὶ, ἐρωτῶμεν ὑμᾶς καὶ παρακαλοῦμεν ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ, καθὼς παρελάβετε παρ' ἡμῶν τὸ πῶς δεῖ ὑμᾶς περιπατεῖν καὶ ἀρέσκειν θεῷ, ἵνα περισσεύητε μᾶλλον.

Οἴδατε γὰρ τίνας παραγγελίας ἐδώκαμεν ὑμῖν διὰ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ.

Τοῦτο γάρ ἐστι θέλημα τοῦ Θεοῦ, ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν, ἀπέχεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς πορνείας.

Εἰδέναι ἕκαστον ὑμῶν τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ.

1. Quod ſupereſt igitur, fratres, rogamus vos & adhortamur per Dominũ Jeſum, quemadmodum accepiſtis à nobis, quomodo oporteat vos verſari & placere Deo, ut abundetis magis.

2. Noſtis enim quæ præcepta dederimus vobis per Dominum Jeſum.

3. Hæc enim eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis à fornicatione.

4. Et ſciat unuſquisque veſtrum ſuum vas poſſidere cum ſanctificatione & honore.

Μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, καθάπερ καὶ τὰ ἔθνη τὰ μὴ εἰδότα τὸν Θεόν.

Τὸ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, διότι ἔκδικος Κύριος περὶ πάντων τούτων, καθὼς καὶ προείπαμεν ὑμῖν καὶ διεμαρτυράμεθα.

Οὐ γὰρ ἐκάλεσεν ἡμᾶς ὁ Θεὸς ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ, ἀλλ' ἐν ἁγιασμῷ.

Τοιγαροῦν ὁ ἀθετῶν, οὐκ ἄνθρωπον ἀθετεῖ, ἀλλὰ τὸν Θεὸν τὸν καὶ δόντα τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τὸ ἅγιον εἰς ἡμᾶς.

Περὶ δὲ τῆς φιλαδελφίας οὐ χρείαν ἔχετε γράφειν ὑμῖν· αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε εἰς τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους.

Καὶ γὰρ ποιεῖτε αὐτὸ εἰς πάντας τοὺς ἀδελφοὺς τοὺς ἐν ὅλῃ τῇ Μακεδονίᾳ· παρακαλοῦμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, περισσεύειν μᾶλλον.

Καὶ φιλοτιμεῖσθαι ἡσυχάζειν καὶ πράσσειν τὰ ἴδια καὶ ἐργάζεσθαι ταῖς ἰδίαις χερσὶν ὑμῶν, καθὼς ὑμῖν παρηγγείλαμεν.

Ἵνα περιπατῆτε εὐσχημόνως πρὸς τοὺς ἔξω, καὶ μηδενὸς χρείαν ἔχητε.

5. Non cum affectu concupiscentiæ, quemadmodum & Gentes quæ non noverunt Deum.

6. Ne quis opprimat ac fraudet in negotio fratrem suum: propterea quod ultor est Dominus de omnibus his, quemadmodum & ante diximus vobis ac testati sumus.

7. Non enim vocavit nos Deus immunditiæ causa, sed ad sanctificationem.

8. Proinde, qui reijcit, non reijcit hominem, sed Deum, qui dedit Spiritum suum sanctum in nos.

9. Cæterum de fraterna charitate, non necesse habetis ut scribam vobis: ipsi namq; divinitus docti estis, ut diligatis vos in vicem.

10. Nam & facitis hoc erga cunctos fratres qui sunt in tota Macedonia. obsecramus autem vos fratres, ut abundetis magis:

11. Et in hoc incumbatis ut quieti sitis, & agatis res proprias, & operemini proprijs manibus vestris, sicuti vobis præcepimus.

12. Vt vos geratis honeste erga extraneos: & nulla re vobis sit opus.

PRæmittit Paulus *generalem exhortationem ad virtutem v.* 1. De cætero ergo fratres, rogamus vos & obsecramus in Domino Iesu, ut quemadmodum accepistis à nobis quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, sic ambuletis, & abundetis magis. *Infert hanc exhortationem ex superioribus particula* ἵνα. *Cum enim tanta in ipsis fides sit, & tam præclara in ea constantia, sicut antea prædicaverat, jam nihil amplius restat, quam ut hanc fidem ornent honestate vitæ, sine qua fides est mortua: quo in genere ipsos ut fratres hortari non desistit. Summa autem exhortationis est, ut dignè ambulent professione suâ, quò Deo placeant, & in studio virtutum magis magisq; excellant, seque ipsos tandem superent. Rationem exhortationis affert quadruplicem.* 1. *quia non imperiosè ad hoc compelluntur, sed paternè persuadentur: rogat enim Paulus, & obsecrat, ut Apostolus & Pater, cui paterno affectui filiale debetur obsequium.* 2. *quia non aliquid novi audiunt, sed eandem exhortationem, quam jam antè etiam acceperant ab ipso; eam ergo toties inculcatam non debent surdis præterire auribus.* 3. *quia hæc res non est in ipsorum arbitrio, sed* oportet, *vos ita ambulare, ait, & placere Deo. Id enim exigit ab ipsis professio fidei, quæ cum impietate vitæ nihil habet commercij: mandatum Dei, qui regulam vivendi ipse nobis præscripsit, quam prætergredi Christianis non licet: regeneratio denique nostra, ubi resuscitati sumus ob Operibus mortuis ad serviendum Deo, ut non secundum carnem amplius vivamus* Rom. 8, 12. 4. *quia studium virtutum injungitur in nomine Iesu, in cujus honorem multa fieri fas est, cum & ipse nostri causa multa & fecerit & passus fuerit. Ratio hæc extat v.* 2. Scitis enim, quæ mandata dederimus vobis per Dominum Iesum. *In græco vocantur* παραγγελίαι, *denunciationes*

nes alienæ sententiæ, quas nimirum non ipse excogitarit, sed ut Apostolus Christi à Domino suo acceperat alijs referendas. Particula διὰ, per, non notat hic causam instrumentalem, sed efficientem & originem rei.

Neq; enim Paulus Iesu Christo, sed Christus Paulo ut ministro fuit usus in istis exhortationibus: neq; à Paulo sed à Christo προφητείαι istæ suam originem habent.

Monemur hic 1. post expositam veram doctrinam de fide & pietate, addendas quoq; esse προσφωνήσεις ad vera exercitia illius doctrinæ. Non enim satis est nosse quæ recta sunt, nisi etiam in quotidianâ vitâ exprimantur. Ideo Paulus Timotheum suum non tantum prædicare jubet, sed & arguere & increpare 2. Tim. 4, 2. Fiat autem hoc cum omni mansuetudine & lenitate, exemplo Pauli rogantis & obsecrantis: quia servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, ad docendum alios idoneum, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati, 2. Tim. 2, 24 fiat etiam rationibus non fictis, sicut in Papatu meritum bonorum operum urgetur, quo pietatis studium animis hominum persuadere volunt, de quo tamen merito nihil habet scriptura: Sed gravissimis & veris rationibus cujusmodi hæ Paulinæ sunt in nostro textu. Nam quem nec Dei mandatum, nec professio fidei suæ, nec ipsius Christi meritum, nec ipsa rei dignitas adducit, ut sanctè & pie vivat in hoc seculo, is nunquam opinione meriti movebitur. Observ.

2. Monemur, Opera bona esse necessaria, oportet enim nos sanctè incedere & placere Deo inquit Paulus noster v. 1. quæ propositio opponenda est Antinomorum furoribus, qui usu vocabuli Necessitatis in doctrina de bonis operibus renatorum prorsus abijciebant. Necessaria autem sunt, non necessitate coactionis, nec necessitate absolutâ, nec necessitate salutis, sicut

*illi, qui erant de secta Phariſæorum, urgebant neceſſitatem obſervationis legis* Act. 15, 5. *ſed neceſſitate conditionatâ ſeu debiti: quia non ſunt adiaphora vel arbitraria, ſed divinitus præcepta, in hunc finem, ut Deus glorificetur in nobis* Matth. 5, 16. *ut ipſi pro multis beneficijs gratiæ agantur, qua de cauſa ſalutaris Dei gratia, quæ in filij ſui incarnatione apparuit, dicitur nos παιδεύειν, inſtruere, ut abnegemus impietatem & ſecularia deſideria* Tit. 2, 12. *ut fidem noſtram coram mundo declaremus* Gal. 5, 6. *ut fidem exerceamus* 2. Pet. 1, 8. *ut bonam conſcientiam retineamus*, 1. Tim. 1, 5. *ut proximo inſerviamus* Rom. 13, 8. *ut ſcandalorum occaſiones amputemus* 1. Pet. 2, 15. *ut lucremur alios* 1. Cor. 7, 14, *& quæ ſunt ſimilia: in quibus omnibus ut neceſſitas ad ſalutem vel conſequendam vel poſſidendam locum habeat, opus non eſt: quia opera bona fructus ſunt eorum quibus juſtitia & ſalus jam eſt adjudicata, non autem cauſa juſtificationis aut ſalutis.*

Obſerv. 3. 3. *In ſtudio bonorum operum non eſt ſubſiſtendum in primis, ſed contendendum ſemper ad ſuprema, vult enim Paulus Theſſalonicenſes περισσεύειν in bono h. e. excellere, & velut ſeipſos ſuperare. Quod fit* (1) *cum non uno bono opere contenti, ſemper ad plura contendimus, hoc eſt, ire de virtute in virtutẽ* Pſal. 84, 8. (2.) *cũ non certis quibusdam perſonis, ſed omnibus prodeſſe ſtudemus, juxta admonitionem Pauli: dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes* Gal. 10, 6. (3.) *cum nemini palmam in officijs mutuis concedimus, ideo enim Chriſtus vult, ut qui major eſt, fiat tanquam junior, & qui præceſſor eſt, ſit inſtar miniſtri* Luc. 22, 26. Mar. 10, 43. (4.) *cum etiam donorum qualitate cum alijs certamus, juxta illud: æmulamini dona meliora* 1. Cor. 12, 31. *Hæc eſt ſancta illa æmulatio quæ Dei gloriam, & proximi commoda quærit, a-*

*lijs sq. in curriculo pietatis calcaria addit, cum hoc piorum sit proprium, in virtutibus nemine facile cedere,*

4. *Christiani non ad traditiones hominum, sed ad præcepta Christi remittuntur v. 2. Dedit enim Apostolus mandata per Dominum Jesum, h. e. nomine Iesu, qui Apostolis hoc injunxit, ut docerent omnes gentes servare, quæ præcepit ipse* Matth. 28. 20. *Quidquid ergo Ecclesiæ obtruditur, quod cum præceptis Christi non congruit, (cujus generis quam plurima sunt in papatu) id onerat conscientias, nec quemquam obligare potest, quia Deus non colitur mandatis hominum,* Matth. 15, 9. *in contemtum etiam adducit mandata divina, ac si illa non sufficiant: ideo Christus Pharisæis objicit, quod deciment mentam, anetum, & cyminum, graviora verò in lege relinquant,* Matth. 23, 23. Observ. 4.

*A generali exhortatione descendit Apostolus ad specialiora. Primum unum atque alterum nominat vitium, quod fugere debent. Primum est scortatio:* Hæc enim est voluntas, *inquit,* Sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione v. 3.

*Commune vitium in gentilitate erat fornicatio, ita ut & putarent aliqui, non esse scelus adolescentem scortari. Ideo Paulus fœditatem hujus peccati in suis ad gentes epistolis crebrò inculcat. Alibi argumenta affert à pœnis horrendis, quas Deus huic peccato in lege dixit: Hoc in loco duobus alijs dissuasionis argumentis utitur:* (1.) *est à mandato Dei petitum: hæc enim est voluntas* Dei, *ut abstineatis à fornicatione. Voluntatem* Dei *pro mandato divino ponit, intelligit enim voluntatem* Dei *legalem, quæ gubernat mores & vitam nostram. Et quia tanquam blandissimus Pater cum filiolis suis agit, mollissima hac voce utitur.*

*Dulcius enim est, voluntatem quam mandatum* Dei *dicere: illa ducit filios, hoc etiam contumaces cogit. (2) alterum est à dignitate Christianorum, quæ consistit in sanctitate corporis ac animi, qua assimilantur Deo, qui etiam Sanctus est: ideo fugam scortationis sanctificationem ipsorum nominat, seu mundationem, quia peccatum illud corpus animamq; hominis polluit. Observandum autem est, vocem sanctificationis diversimodè in scriptura usurpari. Interdum* Deo *tribuitur, & idem est, ac sanctitas* Dei Psal. 97, 12. Esa. 63, 18. Mal. 2, 11. *interdum Christus vocatur sanctificatio nostra.* Esa. 8, 14. 1. Cor. 1, 30. *quia per ipsum sancti sumus,* Deoq; *accepti. Interdum sanctuarium seu tabernaculum, in quo pij sanctæ præsentiæ* Dei *signum habebant, appellatur sanctificatio, ut* Psal. 78, 54. Esa. 60, 13. 64, 11. Ezech. 28, 18. &c. *Interdum in genere idem est, ac res Sancta, ut* Ezech. 20, 40, *Nulla harum significationum huc quadrat. Est autem sanctificatio interdum justificationis effectus, quæ vocatur sanctificatio interna, ut* Rom. 6, 19, 22. 2. Cor. 7, 1. 1. Tim. 2, 15. *& adumbrata olim fuit sanctificatione legali seu externâ, qua quid ad certum & peculiarem usum destinabatur, ut* Exod. 29, 19. 37, 29. Lev, 8, 9. &c. *De hac interna Sanctificatione agit hic Apostolus, quam cum voluntate* Dei *conjungit, qui vult, ut nos sancti simus, sicut & ipse Sanctus est* Lev. 19, 2. *ideo namque elegit nos in Christo Jesu, ut essemus Sancti & irreprehensibiles in conspectu ejus, in caritate* Eph. 4. *ideo vocavit nos, ut in novitate vitæ ambularemus* Rom. 6, 4. *Revocant nos admonitiones Apostoli tam crebræ & tot argumentorum momentis ponderosæ à libidinibus, aliàs aggravabunt pœnas tantò vehementius, quantò indignius spretæ fuerunt. Voluntas* Dei *de non scortando exprimitur in sexto* Decalogi *præcepto* Exod. 20, 13. *& sæpè deinceps repetitur, ut* Deut. 23, 17. v. 5, 8.

Tob.

Tob.4,13. Sir.9,6.1.cor.6,Eph.5,3. 1. Cor. 10,8.&c. *Declaratur etiam in pœnis libidinosorum, quas vel ἐπαυτοφώρῳ deprehensi, vel aliàs præter opinionem luerunt, ut Sodomitæ.* Gen.19. *scortum Midianiticum cum suo amasio.* Num.25,8. *Sichem stuprator Dinæ* Gen. 34,26. *Samson* Jud.16,21. *filij Eli* 1. Sam. cap.2. & 4.&c. *Non enim relinquuntur impuniti, qui violant mandata Domini, & voluntatem ejus negligunt. Cum ergo libidinosi contra voluntatem Dei faciant, mirum non est, quod horribiliter puniuntur, ablatione mentis* Os.4,4. *enervatione corporis, & absumtione facultatum,* Job,31,12. Prov.23,27.31,3. Sir.9,6. *infamia etiam* Sir. 9,10.41,21. *& nisi seria sequitur pœnitentia, æterna tandem damnatione: quia fornicarij non possidebunt regnum* Dei 1. Cor.6,& Eph.5,5. *Sed pars eorum erit in stagno ardente igne & Sulphure* Apocal. 21,8. *Pugnat etiam scortatio cum sanctificatione nostrâ, qua corpus & anima facta sunt habitaculum Dei, & officina Spiritus Sancti, qui discedit à scortatoribus, quemadmodum exemplum Samsonis testatur,* Jud. 16, 20. *ex quo fundamento Paulo vagas libidines prohibet* 1.cor. cap.6,15. & seqq. *Quemadmodum ergo libidinibus polluuntur corpora, ita castitate sanctificantur sic honestantur. Et hoc primum fuit vitium, à quo dehortatur Apostolus.*

*Alterum est species certa scortationis, libidinosum videlicet conjugium, de quo Paulus ita:* ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore: non in pâssione desiderij, sicut gentes, quæ ignorant Deum v.4,5. *Quæ verba volunt quidam esse rationem præcedentis mandati, & per vas intelligunt uniuscujusq; corpus, quod fragile est, instar testæ ex argillâ formatæ, in honorem Dei conditum, cujus membra suos habent usus, ad quos in verâ pietate sunt adhibenda, ut* Deus glorificetur in corpo-

re nostro 1. Cor. 6, 20. & dignetur illud inhabitare, tanquam templum suum. Rectius autem intelligimus hic per vas conjugem, quam Petrus vas infirmum appellavit 1. Pet. 3, 7. Hoc ergo vas possidere jubet in sanctificatione & honore, h. e. conjugalem consuetudinem vult esse pudicam & moderatam, non perditè uxores vult amari, ut meretrices, sed castè, ut conjuges, non ut affectibus libidinum indulgeatur, sed ut compescantur potius, & freno sanctæ castimoniæ coherceantur. Ratio hujus præcepti est gemina (1) quia sanctificanda & honoranda est uxor, perturpem verò ejus abusum polluitur & dehonestatur: nam pro meretrice, quæ corpus suum prostituit, habetur (2.) quia hujusmodi moderatio discernit Christianos à gentilibus, qui ignorant Deum, nec aliquod in his excessibus conjugij delictum esse putant.

Monemur ergò hic (1.) licitum esse unicuique ducere uxorem, absque exceptione status & conditionis, modò ætas & corporis constitutio sit hanc ad rem idonea. Honorabile enim est conjugium in omnibus, & thorus immaculatus Hebr. 13, 4. & Paulus melius esse putat nubere, quam uri 1. Cor. 7, 9. Quin & non tantum licitum, sed propè necessarium est conjugium, partim ut genus humanum augeatur, partim etiam, ne fœdis libidinibus locus detur. Ideo vult Paulus, ut unusquisque propter fornicationem uxorem suam habeat, & unaquæq; suum virum 1. Cor. 7, 2. & de Episcopo scribit in specie, quod ipsum oporteat esse unius uxoris virum, 1. Tim. cap. 3, 2. non enim omnibus datum est, vitam agere cœlibem, sine pollutione, ut Christus docuit Matth. 19, 11.

(2.) Abstinendum autem est ab omni inordinato usu conjugum. Nam quemadmodum conjugium castitas est, si rectè & in timore Domini debitâ cum moderatione vir coha-

bitet

*bitet uxori: ita vicissim parum differt à scortatione, si uxore utitur ut meretrice, nullum prorsus libidini suæ injiciens frenum. Ideo angelus ad Tobiam ait: diabolum habere potestatem super eos, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus,* Tob. 6, 17. *Sunt enim hoc in genere tempora abstinentiæ: ut* (1.) *cum precibus aut meditationibus sacris vacandum est, quod significatur eo, quod abstinentia à mulieribus requirebatur à servis David, cum de panibus propositionis edere vellent* 1. Sam. 21, 24. (2.) *conditio mulieris abstinentiam exigit, ut cum vicina partui est, aut morbo, huic sexui peculiari, laborat; ideo in V. T. capite plectebatur, qui coierat cum muliere, fluxu menstruo laborante* Lev. 20, 18. *adultero enim similis habebatur, ut colligitur ex* Ezech. 18, 6. (3.) *Cum officium aliquod sacrum expediendum est, quod meritò à precibus & sanctis cogitationibus initium sumere debet, quo pertinet illa admonitio: mundemini, qui portatis vasa Domini* Esa. 52. 11. *Inculcandum ergo hoc præceptum Apostoli nostri est novellis conjugibus, ne intemperantiâ suâ conjugium polluant, benedictionem Dei expellant, & in ejusmodi tandem enormitates incidant, ubi officium linguæ sceleris magnitudo vincit, ut Lactantius loquitur* lib. 6. de vero cultu cap. 23. *Huc etiam pertinet suo modo præceptum illud Petrinum: Viri cohabitent secundum scientiam uxori, quasi infirmiori vasculo, impertientes ei honorem, tanquam cohæredi gratiæ, ut non impediantur in oratione* 1. Pet. 3, 7.

3. *Monemur etiam, vera animi corporisq; sanctitate Christianos discerni à gentibus, qui quamvis extrinsecus ho-* Observ.

*nestati*

*nestati studebant, & enormes impuritates non relinquebant impunitas: internas tamen cordis pollutiones non admodum curabant: interdum etiam in justam pœnam aliorum peccatorum tradebantur à Deo in desideria cordium suorum, in immunditiem, ut contumelia afficerent corpora sua in semetipsis* Rom 1,24. *Christiani verò aliter affecti esse debent. Hi enim non tantum à recta ratione, sed & à spiritu Dei, qui habitat in ipsis, & à verbo Dei, in quo voluntas Dei manifestata est, & exempla punitorum scelorum extant, ducuntur. Quo plura ergo habent adminicula Sanctitatis præ gentibus, eò minus erant excusabiles, si etiam gentibus impuriores vixerint: quemadmodum Christus de Sodomitis dixit: tolerabilius fore ipsorum judicium, quam illarum civitatum, quibus absque fructu Evangelium prædicavit* Matth. 11,23.

4. *Monemur deniq; gentes ignorasse Deum, quod & 1.* Cor. 1,21. *repetitur: quod nihil derogat ijs dictis, quibus asserit Apostolus, gentes cognovisse Deum,* ut Rom. 1, 21. *Nam cognoverunt quidem Dei sapientiam & potentiam ex operibus creationis, & lumine illo, quod supremus ille conditor omnium naturæ ipsorum indidit. Ignorarunt autem Deum tripliciter, (1) quò ad personarũ in una essentiâ discrimen, quod est ab omni ratione remotum. (2) quò ad affectum cordis: quia nec ut Deum coluerunt, nec ut justum Deum timuerunt, sed in vanitate sensus sui ambulantes semetipsos tradiderũt impudicitiæ, in operationẽ omnis immunditiæ* Eph. 4,19. *quasi nõ esset vindex scelerum in cœlis, ideo' in Psalmo dicitur: Impius in cor de suo dicit, non est Deus* Psal. 14, 1. 52, 1. (3.) *quo ad notitiam salutarem: nam qualiscunq; etiam fuerit notitia gentilium de Deo, nihil tamen eis ad salutem profuit, quod extra Ecclesiam nulla esse potuit. Sed satis de secundo vitio. Tertium est defraudatio proximi:* Et ne quis supergrediatur, neque circum

veni at

veniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut & prædiximus verbis & testificati sumus v. 6. *Duobus vocabulis utitur Apostolus, quibus ingenium deceptorum notatur. Primum est* ὑπερβαίνειν, *quod est ad verbum, supergredi, vel pedibus aliquem subijcere* vber einen hergehen/ *Exprimitur superbia deceptorum, qui sibi jus sumunt in alios, quasi ipsorum Domini, cum quorum bonis agunt pro lubitu. Alterum est* πλεονεκτεῖν, *quod est multa appetere, & notatur avaritia istorum hominum, qui ideo fraudulenter agunt cum alijs, ut bona ipsorum exhauriant, & ad se rapiant, sive id per vim fiat, sive sub specie recti. Atrocia hæc duo vitia sunt, quæ in defraudatione proximi concurrunt: nunquam enim dolosè ageret aliquis cum proximo, nisi alieni boni nimis esset cupidus, eumq; quem dolo decipere vult, nihil curaret, quasi eum supplantare, quin & pedibus calcare sibi liceat. Ideo Paulus rationes addit hujus præcepti gravissimas, quæ partim ad reliqua etiam præcedentia vitia referendæ sunt. Prima petitur à dignitate proximi. Frater noster est, ergo non dolosè circumveniendus:* ne circumveniat in negotio fratrē, *ait, h. e. eū qui ejusdem est nobiscum professionis, quem amare potius, & in negotijs suis promovere decebat. Altera petita est à justitia Dei, vindex est Deus de his omnibus: Observat enim omnia dicta & facta hominum, novit omnia ipsorum consilia, & quia ipse apertus & justus est, non relinquet dolos inultos. Omnes enim viæ hominis patent oculis ejus, Spirituū ponderator est Dominus: abominatio est ei omnis arrogans* Prov. 16, 2, 5. *& inter ea, quæ odit Dominus, est etiam cor machinans cogitationes pessimas* Prov. 6, 18. *Ergo qui non virtutis amore à dolis & deceptionibus istis abstinere volunt, faciant id saltem timore pœnæ, quia vindicem illum Dei oculum nemo effugiet.*

*Tertia ratio petita est à crebris dehortationibus Pauli:* Sicut & antè diximus vobis, & testati sumus: *quam ob causam etiam hic eo brevior est. Quæ sæpe monentur, utique alicujus sunt momenti, ac proinde non contemnenda: & præsertim cum vindicta Dei de aliquo scelere sæpe inculcatur, consuetudo Dei in puniendis sceleratis, & certitudo pœnarum indicatur, quas proinde omnes, quibus salus sua curæ est, vitare debent: quia ut Ethnicus etiam Poeta dixit;* nunquam antecedentem scelestum deserit pede pœna claudo. *Quarta petitur à vocatione nostra, & pertinet etiam ad alia scelera, quorum prius facta mentio:* Non enim vocavit nos Deus in immunditiem, sed ad Sanctificationem v. 7. *Vocatio nostra facta est ad regnum Dei, in quo est justicia,* Rom. 14, 17. *quæ non lædit ea quæ sunt proximi, sive sit ejus corpus, quò pertinet immunditia, de qua supra v. 3, 4. 5. sive sint ejus bona, quò pertinet avaritia & dolus, de quo v. 6. utriq; & immunditiei & dolo opponitur sanctificatio: Vocatio enim nostra est Sancta* 2. Tim. 1, 9. *& regni Dei possessio consistit in visione Dei, quem nemo consequetur sine sanctimoniâ* Heb. 12, 14. *Quinta ratio petitur à majestate officij Apostolici, quæ planè est divina: legatione enim funguntur Apostoli pro Christo, Deo exhortante per ipsos* 2. Cor. 5, 2. *ideo non sunt spernenda hujusmodi præcepta Pauli, nisi Deum ipsum spernere velimus,* Itaque, *inquit,* qui spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum Sanctum suum in nobis v. 8. *In græco est verbum ἀθετεῖν, quod non tantum spernere significat, sed & penitus reijcere & improbare, ita ut nullo amplius in loco ponatur: Ita de abnegatione fidei usurpatur,* 1. Tim. 5. 12. *& de abnegatione gratiæ Dei* Gal. 2, 21, *& ἀθετεῖν ac μὴ λαμβάνειν habentur pro Synonymis* Joh. 12, 48. *unde est ἀθέτησις de*

abne-

abnegatione legis Heb. 7,18. Innuit ergo Paulus, exhortationes suas, si negligantur, planè respui, nihil curari, & tantum non pedibus conculcari, sicut ijs accidit, quæ pro nihilo habentur. Hanc autem injuriam in Deum redundare, dicit, cujus spiritu impulsus ista scribat: quæ sane ratio penetrantissima est, quæ contemtores salutarium admonitionum, non cum hominibus, sed cum ipso Deo committit. Multa hic sunt observatione digna.

1. Negotia tractare secularia, h.e. emere, vendere, aliosque contractus honestos exercere, non pugnant cum Christiana professione; aliàs Paulus non præscripsisset regulam in ejusmodi negotijs observandam, sed ea potius omnino prohibuisset: quemadmodum etiam alibi ementes suo loco relinquit in mundo, tantum vult, ut sint tanquam non possidentes, quia schema hujus mundi prætereat 1. Cor. 7. 31. Christus etiam mercaturam non tollit, sed mensuram justam in ea commendat Luc. 6,38. & ad dona rectè collocanda similitudine à mercaturâ petitâ hortatur Matth. 25,14. seqq. Quod contra Anabaptistas observandum est, qui & rerum dominia, & mercaturam à Christianis aliena esse putant. Observ. 1.

2. Negotiorum secularium tractatio bonâ cum conscientiâ fieri potest, modo observetur justitia, absit dolus & deceptio proximi, quam gravissimis rationibus Paulus noster prohibuit: quia nimirum fratres sumus, seu domestici fidei, à quibus fraterna caritas pellit dolum & fraudulentiam, qua ratione etiam usus est Apostolus, cum contentiones etiam leviculas in judicio prohiberet 1. Cor. 6,5,6. Indignum est professione nostra, circumvenire eos qui foris sunt, Christianorum enim est, diligere etiã inimicos, & benefacere maledicentibus nos Luc. 6,28,28. longè vero indignius est, injuriã istã facere fratri, quẽ re & operâ juvare debemus. Deinde à sanctitate, ad quã vocati Observ. 2.

*sumus, aliena est deceptio: nam etiam quæ invitis inscijsque nobis malefiunt, poluunt Sanctitatem nostram, quæ proinde semper in hac vita imperfecta est, quia in multis labimur omnes: multò magis, quæ dolosè fiunt, ita enim data opera damnum infertur proximo. Idcirco is in tabernaculo Domini habitare dicitur, qui non egit dolum in lingua sua, non fecit proximo suo malum* Psal. 15, 3. *Præterea vindicta Dei metuenda est, quæ vigilat super omnem injustitiam in contractibus: Pondus & statera judicia Domini sunt, & opera ejus omnes lapides sacculi* Prov. 16, 11. *& hinc sunt prohibitiones in lege: nolite aliquid iniquum admittere in judicio, in regula, in pondere, in mensura: Statera justa, & æqua sint pondera, justus modius æquusq; sextarius* Lev. 19, 35. *Similia vide* Deut. 25, 13. *abominatio enim est Domino pondus & pondus, statera dolosa non est bona,* prov. 20, 23. *quomodo Deus puniat ejusmodi dolos, legatur* Mich. 6, 10. seqq. Amos 8, 4. seqq. Sir. 34, 25. seqq. *Accedit deniq; quod ejusmodi fraudes in contractibus tam crebrò sunt prohibitæ, quæ frequens repetita prohibitio aggravabit pœnas. Legantur hujusmodi prohibitiones* Lev. 19. Deut. 25. *locis supra laudatis, item* Ezech, 22 13, Esa. 33, 1. Sir. 4, 36. *&c. quas omnes surdis præterire auribus non decet, quoties in concionibus repetuntur. Semper enim cogitandum, quod non hominum sed Dei sermo rejiciatur, quæ vox instar fulminis terrere meritò debebat contemtores salutarium admonitionum: grave enim est, nec caret periculo, Deum contemnere, idcirco Populus contra Mosen murmurans, scribitur contra Deum ipsum murmurasse, nec caruit hæc res vindictâ Dei* Exod. 16, 8. *& Populus non Samuelem sed ipsum Deum abjecisse dicitur, magno suo cum malo,* 1. Sam. 8, 7. *Hinc & Christus discipulos suos ea autoritate ornatos dimisit, quod qui ipsos audiunt, ipsum Christum au-*

*diant,*

*diant, qui autem spreverint ipsos, Christum ipsum spernant* Luc. 10,16. *quæres eximiam in nobis reverentiam erga ministerium operari deberet. Quid enim gravius dici potest, quam Deum ab homine esse spretum, imò rejectum prorsus, cujus tamen auxilio ne quidem ad horæ momentum carere potest? quid aliud inde sequi potest, quam quod hujusmodi homines vicissim à Deo spernantur, & à facie ejus projiciantur, quæ omnium maxima pœna est, & tanto scelere debita.*

3. *Vocationis nostræ ad regnum Christi meditatio magnum habet momentum ad multa in vita nostra. Nam Paulus à vitijs nos dehortans, admonet nos vocationis nostræ, qua indignè vivunt, qui sceleribus indulgent: idque non tantum hoc in loco facit, sed & alibi* Phil. 1,27. Eph. 4,1. Col. 1,10. 1. Thes. 2, 12. *& cum dignitatem Christianorum commendat, remittit eos ad vocationem suam, & ut Deo pro eâ gratias agant, invitat,* 2. Thess. 1,9. Eph. 1, 18. *Cumque propter peccata tentamur, vocatio nostra ad regnum Dei nos consolatur & ad pœnitentiam invitat: quia gratis vocati sumus, propter Christum, in quo habemus remissionem peccatorum, à quo & Spiritu Sancto donati sumus, per quem resistimus peccato, ne amplius dominetur in mortali nostro corpore. Grata ergo nobis sit memoria vocationis nostræ, tanquam præstantissimi thesauri, quo à Deo donari potuimus.* *Observ. 3.*

4. *Spiritus Sanctus est donum Dei, ut habetur v. 8. q i locutus est per os sanctorum Prophetarum & Apostolorum* Luc. 1,70. Matth. 10,20 2. Pet. 1,21. *& mittitur in corda fidelium, excitans in ipsis novos motus agnitionis Dei, pietatis, fidei, obsequij, & similium virtutum. Videamus ergo, ne Spiritum Dei Sanctum in nobis contristemus* Eph. 4,30. *sed oremus Deum, ne auferat spiritum sanctum à nobis* Psal. 51. *sequamur etiam ductum Spiritus Sancti à quo reguntur filij* *Observ. 4.*

Dei Rom. 8. occasionem autem peccandi fugiamus: quia Spiritus Sanctus non ingreditur in animam malignam, nec corpus peccato obnoxium Sap. 1,4. Distinguitur autem hic Spiritus à Deo, non ratione essentiæ, sed respectu officij, quo, ut distincta persona à Patre & filio, ab utroq; mittitur, quia ab utroque essentiæ divinæ communicationem habet ab æterno. Hinc de Patre scribitur, quod Spiritum Sanctum mittat in nomine Christi, Joh. 14,26. & de Filio, quod Spiritum Sanctum mittat à Patre Joh. 15,26. Complectitur autem hoc eximium donum omnia officia, quæ Spiritus Sanctus operatur in nobis, ut, quod est auctor instituti ministerij, in quo tanquam propria sua officinâ nobiscum agit Ioh. 10,3. Act. 10,19,20. 2. Cor. 3, quod est vivificator noster Job. 33,4, Joh. 6,36. 2. Cor. 3,6. quod convertit & illuminat nos Eph. 1,3. quod docet nos & in omnem veritatem ducit Ioh. 15,26. 16,3. quod increpat & arguit incredulos per verbum Gen. 6,5. Esa. 64. Ioh. 16,8. quod est Spiritus precum Zach. 12,10. docens nos orare, & ardorem precum in cordibus nostris accendens, veramq; fiduciam exauditionis inspirans, quam ob causam pro nobis orare dicitur Rom. 8,20. Sed satis de istis: hæc fuerunt vitia, à quibus dehortatur Apostolus.

Virtutes, ad quas hortatur, tres sunt: 1. Incrementum beneficentiæ: quam virtutem ita eis commendat, ut eos propter factum hoc in genere laudet. Est enim laus quoque species exhortationis, cum virtus laudata crescere soleat. Ita verò scribit: De caritate autem fraternitatis, non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos à Deo didicistis, ut diligatis invicem v. 9. In græco est φιλαδελφία, qua voce hic intelligitur beneficentia erga pauperes fratres. Hanc virtutem cum oppressione aut de-

fraudа-

*fraudatione proximi pugnare tacitè innuit, ipsos verò admonitione opus non habere scribit, duplici de causâ (1) quia didicerunt à Deo, ut diligant alij alios. Deus enim voluntatem ipsorum movit, ut libenter facerent, quod ut fieret, æquum piumq; sciebant (2) quia reipsa jam comprobarunt in fratribus Macedoniæ* Etenim, *inquit*, illud facitis in omnes fratres in universâ Macedonia v. 10.

*Magna hæc est commendatio beneficentiæ, quæ se non ad paucos aliquos, nec ad inquilinos tantum Thessalonicæ, restringit, sed ad omnes universæ Macedoniæ pauperes extendit. Ubicunq; enim occurrebant fratres, ope ac subsidio ipsorum indigentes, erga hos se semper benefisos exhibuerunt. Cum ergo his de causis apud ipsos exhortatione ad beneficentiam opus non sit, jam hortatur tantum ad continuationem & perseverantiam in hac virtute:* rogamus autem fratres, *inquit*, ut abundetis magis v. 10. περίσσευμα *seu abundantia illa, quam Paulus urget, consistit in continuo exercitio & vera perseverantia hujus virtutis: quæ duo inculcanda sunt ijs, quos scimus in stadio virtutum currere: indefessa enim debet esse caritas Christiana, cum in vijs Domini non progredi, sit regredi.*

*Monemur hic, 1. etiam eos, quorum pietas magnam meretur laudem, opus habere præceptis legis & admonitionibus sanis, ut in bono proposito proficiant ac perseverent. Id enim requirit imbecillitas naturæ nostræ, quæ ad malum prona est, & facilè in bono impediri potest. Hinc tam crebræ sunt admonitiones Apostoli ad eos etiam, quorum virtus ei erat nota. Falsum ergo est, quod Antinomi docuerunt, renatis non esse proponendam legem,* Observ.

nec

nec opus eos habere exhortationibus ad bonum, quia libero spiritu ducuntur, & quemadmodum bonæ arboris natura est, ut bonos ferat fructus, nemine jubente, ita & renatorum naturam esse comparatam, ut non possit non benè agere. Quæ objectio locum haberet, si renovatio hominis in hac vita esset omnibus modis perfecta. Cum verò etiam renatæ naturæ adhæreat caro, repugnans spiritui, ideo crebris exhortationibus opus est, ut resistere pergant carni, nec bonum illud opus, quod in eis inchoavit Dominus, impediant, semper memores illius Paulini: Vos in libertatem vocati estis, fratres, tantùm ne libertatem in Occasionem detis carni Gal. 5, 13. Longè alia est ratio arboris bonæ & hominis renati, illa naturaliter agit, & aliter agere non potest, quam diu talis est; hic verò voluntariè agit: cum voluntas ejus multa patiposit impedimenta, exhortationibus legis coercenda est, impetusque carnis infringendus, ut, quæ fiunt, magno studio & perseveranter fiant.

Observ. 2. 2. Monemur, divinitus edoctos esse, non tantum, quos Deus immediatè docuit, quales erant Prophetæ & Apostoli, sed etiam, quos in ministerio ex scriptura Prophetica & Apostolica de voluntate sua instruit, & ad faciendam eam tacitis animi motibus instigavit, à quo officio Deus præceptor noster vocatur Esa. 33. & Psal. 25. Nam quemadmodum & illi Ecclesiarum doctores dicuntur à Deo constituti Episcopi, qui mediatè, legitimè tamen, vocati sunt Act. 20, 28. ita & auditores divinitus edocentur, qui per ministerium verbi eruditiuntur: quia media illa sunt à Deo, ac proinde divino etiam honore obsequioque digna. Sic etiam tacitus animi impulsus ad virtutes, licet in Ethnicis reperiatur, à Deo est, ipsique a Deo edocti dicuntur, qui ductum illum sequuntur, quia Deus legem suam, in qua est etiam discrimen illud honestorum & turpium, in-

scripsit

*scripsit mentibus ipsorum in creatione* Rom. 2, 15. *unde à natura omnes sciunt, se alijs debere, quod sibi vellent fieri. Renati insuper ita moventur à spiritu Dei, ut ex nolentibus fiant volentes, spontaneumq; sequantur obsequium. Benè ergo ijs, qui hanc Dei institutionem admittunt, quos tanti præceptoris nunquam pœnitebit.*

3. *Monemur insuper Christianorum esse excellere in caritate & beneficentiâ. Non enim vult Deus suos consistere in primis, sed tendere ad perfectionem. Unde jubemur esse perfecti,* Matth. 5, 48. *& æmulari Charismata meliora* 1. Cor. 12, 31. *Excellimus autem in caritate tribus modis* (1) *cum benefacimus etiam inimicis* Matth. 5, 44. Luc. 6, 27. (2) *cum diligimus omnes absq; respectu personæ & conditionis: quemadmodum Thessalonicensium beneficentia extendebat se ad omnes, maximè verò domesticos fidei* Gal. 6, 10. (3.) *cum perpetuò diligimus, non tantum, cum id aliquo nostro cum commodo facere possumus, verùm quotiescunque proximi necessitas postulat: ideo in benefaciendo non deficere jubemur* Gal. 6, 9. *Hæc tria sunt requisita excellentis caritatis: unde constat, quàm procul adhuc à caritate absint, qui quavis de causa vinculum pacis rumpunt, aut lucri tantum causa alijs gratificantur. In horum cordibus refrixit caritas, & exstinguitur Spiritus Sanctus, qui est spiritus caritatis* Gal. 5, 22. *& irrequieto motu ad benefaciendum impellit eos, quos gubernat. Sed satis de prima virtute.*

*Altera est* Tranquillitas animi, *quæ se non immiscet rebus alienis.* Et operam detis, *inquit*, ut quieti sitis, & vestrum negotium agatis v. 11. *Opponitur hæc virtus τῇ πολυπραγμοσύνῃ, quæ se immiscet rebus alienis, aut curiositati, quæ in ijs, quæ nihil ad nos, facit sollicitos, in rebus vero proprijs negligentes. Videtur autem Paulus hanc virtutem,*

*ut & sequentes pauperibus potissimum præscribere, ne de divitum opibus sint curiosi, unde eas habeant, quomodo ijs utantur, unde facilè malorum multorum mater invidia oriri possit: Sed quieti sint, & quæ sibi demandata sunt, agant diligenter, unusquisq; rebus suis ita intentus, ut tranquillam semper habere possit conscientiam.*

Observ. 1. 1. *Præclara hæc virtus est & observatione digna. Nam multa mala peperit curiositas, negligentiam in rebus proprijs, invidentiam in alienis, temerarium judicium, superbiam, odium proximi, & hujus generis vitia alia. Nam ut Bernhard. loquitur,* curiosus egreditur, & exterius omnia considerat, qui sic interna despicit, præterita non respicit, præsentia non inspicit, futura non prospicit: *eamq; ob causam Siracides hortatur: In rebus supervacuis nolis scrutrari sensum tuum multipliciter, non est tibi necessarium, ea quæ sunt abscondita, videre, oculis tuis: de ea re, quæ te non molestat, ne certaveris, & in pluribus operibus ejus ne sis curiosus* Sir. 3, 23, 24.

*Hoc vocat Paulus noster, quietum esse, & res suas agere: non enim est periculosior labor, quàm qui insumitur in alienis, quo quis & sibi ipsi & alijs damnum infert.*

Observ. 2. 2. *Opponendum etiam est hoc Pauli dictum ardelionibus illis, qui hinc inde circumvagantur, vel pertæsi ordinariæ vocationis suæ, vel aliàs novarum rerum studiosi, subinde mutantes vitæ genus. Hos Paulus quiescere jubet, & suum negotium agere: nulla enim est benedictio in laboribus illis, qui extra legitimam vocationem suscipiuntur: neq; vagando sed sedendo adquiruntur opes. Ideo David hortatur: inhabita terram, & pasceris in divitijs ejus* Psal. 37, 3.

*Tertia virtus est* Labor & Industria, *quæ opponitur otio & curiositati. Ideo non tantum res suas agere vult Thessa-*

*nicenſes, verum etiam,* proprijs operari manibus. *Laborem manuum commendat, non quaſi reliquos labores, qui ingenio, cura & ſolicitudine fiunt, à literatis, à magiſtratu, à Præceptoribus in ſcholis & ſimilibus, reijciat, ſed quia manuarij labores omnium maximè in oculos incurrunt. Simili ratione beati prædicantur, qui labores manuum ſuarum manducant* Pſal. 127, 2, *& Paulus ipſe labores hujusmodi ſibi laudi ducit* 1. Cor. 4, 12. 2. Theſſ. 3, 8. *Addit autem Apoſtolus laborandum eſſe proprijs manibus, ne quis ſatis eſſe putet, labores alijs imperare, licet ipſe otioſus ſit: Sed unusquisq; laborare, & ſuo exemplo aliorum labores promovere debet.*

*Commendatur ergo hic opificum labor, qui ferè ſemper manuarius eſt: ne, quia plerumq; vilis eſt, interdum etiam cum ſorditie conjunctus, cum tædio fiat. Gratus enim Deo & hominibus labor eſt, qui inter virtutes Chriſtianorum, easq; inprimis res refertur, quæ hominem beatum facere poſſunt. Commendatur etiam in genere omnis labor otio oppoſitus, quem quilibet in functione ſua ſuſcipit: & damnantur omnes qui laborare nolunt, tanquam peſtes Reipub: homineſq; nihili, quales ſunt non tantum validi mendicantes, qui publica ſunt Reipub. onera, à quibus plus periculi interdum metuendum, quam ab apertis hoſtibus: quia nemini ſunt ſubjecti, & ſub ipſorum pallio ſæpe exploratores urbium, infectores fontium, proditores, & carcinomata alia latent: verum etiam religioſuli illi, qui ſub peculiaris ſanctimoniæ pallio turpe otium ſectantur in clauſtris ſuis, & labores ſibi ipſis fingunt, neque utiles, neque divinitus præceptos. His omnibus oppoſitum eſt præceptum Pauli, operamini manibus veſtris. Rationes addit tres. 1. eſt mandatum divinum:* ſicut præcepimus vobis v. 11. *Præcepit autem illis, cum illam inter ipſos conſtitutionē promulgaret, ut qui non laborat, non manducet,* Obſerv.

*de qua infra* 2. Thes. 3, 10. *Est autem præceptum Apostoli, ipsius Dei præceptum, qui primum hominem ad laborem condidit*, Gen. 2, 15. *& post lapsum sudorem vultus sui, tanquam peccati pœnam iniunxit* Gen. 3, 19. 2. *Altera ratio est, honestas*; ut honestè ambuletis ad eos, qui foris sunt, v. 12. *Per eos qui foris sunt, intelligit partim infideles extra Ecclesiam, partim etiam quemlibet proximum ex Christianis. Erga eos honestè ambulatur, cum offendiculum ipsorum vitatur. Offenduntur autem mendicitate & otiositate hominum: quia otia dant vitia, & ex vitijs oritur plerunq; mendicitas, & penuria. Ideo Paulus scribit, se quoq; laborasse manibus suis, ne videatur avarus, qui ad se rapiat sibi non debita* 1. Thes: 2, 5, 6. *se tulisse omnia, ne quod offendiculum det Evangelio*, 1. Cor. 9, 12. 3. *Tertia ratio est necessitas*, ut nullius aliquid desideretis v. 12. *Ad hoc enim impellimur naturâ, ut necessaria nobis paremus* (1) *ad sustentationem nostram, ne vel ipsi egeamus, vel aliorum subsidia implorare cogamur. Turpe enim est mendicare: honestum autem, rebus suis studio, labore ac industria prospicere* (2.) *ad subministrationem pauperum, quos semper nobiscum habemus: ideo Paulus ait alibi, se laboribus manuum suarum succurrisse necessitatibus suis & aliorum* Act. 20, 34. *& ad Ephesios scribit; laborandum esse manibus, ut sit, unde tribuamus necessitatem patienti* Eph. 4, 27.

*De Laboribus.*

*Tractari posset hic locus de laboribus, quorum consideranda* (1.) *origo: quæ est ex paradiso Gen.* 2. *Sacrosanctus ergo est labor, qui absque tædio absque molestia etiam factus esset, si homo non peccasset, quemadmodum angeli in cœlo semper laborant, quin & Deus non est otiosus: Pater enim meus semper operatur, ait Christus, & ego operor* Joh. 5. *Durabit etiam in seculo futuro inter beatos, quorum*

*proprium*

*proprium erit laborare, nihil enim magis contrarium est beatitudini sanctorum, quam otium. Deus enim omnia (quæ in se bona erant) condidit, non ut quiescerent, sed ut in motu semper essent, neq; creaturarum usus aliquis esse posset, nisi suo quoque modo operarentur (2.) Considerandum est discrimen laborum, quorum aliqui manu fiunt, aliqui ingenio & animo. Hi præstantiores sunt, quia ad Deum quam proximè accedunt, cujus labor etiam est animi, non corporis. Illi viliores quidem sunt, eo ipso tamen commendabiles redduntur, quod Deus per hoc medium benedictionem suam largitur, unde veteres dixerunt, Deus laboribus sua vendit dona; quòdq; beati prædicantur, qui labore manuum victitant; quodq; Christus cum opificibus, piscatoribus, Apostoli cum coriarijs, & similibus familiariter versati sunt &c. Ideo neminem laborum manuariorum pœnitere aut pudere debet: sed quisq; in qua vocatus est vocatione, maneat (3.) observentur rationes, cur laborandum: 1. quia Deus & Apostoli præceperunt. 2. quia otiadant vitia. 3. quia Deus ipse & omnes sancti laboribus fuerunt occupati. 4. quia honestas requirit, ne simus alijs offendiculo, aut oneri. 5. necessitas postulat, ut necessaria vitæ alimenta nobis & nostris paremus, quos curare convenit. 1. Tim. 5, 6. denique caritas exigit, ut inserviamus alijs, commoda ejus promoveamus, necessitatibus succurramus, & quod eis deest, nostra industria suppleamus, non enim omnia possumus omnes &c.*

## PARAPHRASIS HVIVS PARTIS.

QUod restat, carissimi, magnopere vos rogamus in Domino Iesu, memores sitis mearum exhortationum ad studium virtutis, in quo ita ambuletis, ut magis magisque crescatis in bono, & Deo

placeatis. Non enim latet vos, quam crebro vobis inculcaverim, tanquam minister Christi, à quo ut hoc faciam, in mandatis habeo. Scitote ergo, Deum velle & præcipere ut sancti sitis, vitantes vagas libidines, in conjugio quoque honestè viventes, non abutentes impudicè uxoribus, tanquam meretricibus, sed sanctè eas honorantes, tanquam vitæ socias; non enim decet vos gentilium instar, impure libidinum cœno volutari. Præterea vult Deus & præcipit, ne in quotidianis commercijs vos mutuò defraudetis, aut circũveniatis; quam injustitiam Deus non relinquet inultam, quemadmodum aliàs vos docuimus. Neque congruit hæc injustitia vocationi nostræ, quæ sancta & immaculata esse debet. Et hanc meam exhortationem nemo impunè spernet: in me namque Deus ipse spernitur, qui Spiritu suo sancto nos donavit. Porrò ad caritatem & beneficentiam erga pauperes quoque exhortari debebam, sed non arbitror necessariũ esse: ipsi enim divinitus edocti estis, hanc virtutem inprimis vos decere; ejusque specimen egregium jam edidistis erga fidei socios, qui sunt in Macedonia: videte modo, ut in hoc studio beneficentiæ constantes permaneatis. Quæ vestra sunt, studiosè facite, alienis autem nõ immiscemini: proprijs manibus laboretis, non saltem alijs, labores iniungatis, quemadmodum alias præcepi vobis, & vestrum ordinem decet, ne apud exteros malè audiatis, nec ipsi rebus necessarijs destituamini.

QUÆ-

## QVÆSTIO I.

Cum D. Apostolus velit, unumquemque maritum uti conjuge sua (quam vas ejus nominat) in Sanctificatione & honore, & non in passione concupiscentiæ v. 4. quæritur quomodo maritus circa consuetudinem conjugalem cum propria uxore peccare possit.

*R. Azorius Iesuita* tom. 2. Instit. moral. part. 3. lib. 3. cap. 31. *ex Scholasticis docet, fieri id posse quinq; modis (1.) ratione intentionis, aut finis intenti, cum videlicet aliquis in ipso opere sibi imaginatur, se habere rem cum alia fœmina formosiore tanquam cum suâ. Ea enim res parum differt ab adulterio, juxta illud Christi: Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo.* Matth. 5, 29. *parum autem interest, sive oculis sive per imaginationem videris (2.) ratione loci, ut si fiat matrimonialis conjunctio in loco sacro, in templo aut cœmeterio, nisi forte conjuges tempore belli diu & violenter detineantur in templo, tunc licita est, si fortè fiat, ob vitandas ustiones. (3.) ratione temporis, ut cum actus conjugalis fit tempore illo, quo fœmina menstruum patitur, quod in lege expressè prohibitum legitur* Lev. 18. v. 19; 20, 18. *Lombardus* lib. 4. dist. 32. *veniale peccatum nominat, si copula carnalis conjugum fiat in diebus festis aut sacris, item eo die, quo accipienda est Eucharistia, Azorius l. d. consulendum existimat, ut ob reverentiam tanti Sacramenti per 24. horas saltem ab actu conjugali abstineant. Sed frustra hic observantur dies,*

*cum*

*cum juxta sententiam Gregorij, quæ citatur* dist. 33. 44. cap. *Vir, licita sit copula conjugalis debitè facta, in omni tempore. Generalem præscribit Apostolus regulam,* in 1. Cor. 7, 5. *Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: de die nihil certi præscribit* (4.) *ratione modi, ut, cum consuetudo conjugalis fit in vase non debito, vel non debito modo, cum concumbitur cum uxore partui quam proximè appropinquante: quod quidem per se peccatum non est, magnum tamen incontinentiæ signum* (5) *ratione voti aut affinitatis, aut alterius impedimenti Ecclesiastici, ut, cum copula conjugalis fit ante benedictionem sacerdotalem, seu ante solennes nuptias. In his omnibus peccare quis potest in conjugem, in quam qui peccat, in propriam carnem delinquit: idcirco Apostoli nostri admonitio non est spernenda, qua nos ad voluntatem Dei remittit, qui debitam castitatem etiam à conjugibus requirit, quas non ut meretrices, sed ut uxores tractare decet: qua de re plura in observationibus dixi.*

## QVÆSTO II.

Quomodo Paulus scribit: gentes ignorare Deum vers. 5. cum ad Rom. cap. 1, 19. fateatur: τὸ γνωστὸν θεοῦ, manifestum esse in gentibus, Deum enim manifestasse, & v. 21. gentes Deum cognovisse, sed non ut Deum glorificasse?

*Resp. Duplex est Dei notitia, una est naturalis, altera revelata. Naturalis est partim insita hominibus ex lumine rationis, & notitijs naturalibus, partim ex operibus creationis adquisita. Hæc etiam gentibus tribuitur in scriptura, sed*

*valdè*

*valde imperfecta est, consistens tantum in quæstione*, quod & qualis sit Deus. *Nam quod Deus sit, quod justus, bonus, Sanctus, vindex scelerum sit, & quæ hujus generis sunt alia, non ignorarunt gentes, quin & illum ipsum Deum, quem Christiani agnoscunt, ipse quoq; scierunt, quia non nisi Deus unus, & is ipse semper idem est. De hac naturali notitia agit Paulus ex professo cap. 1. ad Romanos. Revelata autem notitia Dei contenta est in verbo, ubi Deus ipse revelavit se in quæstione* quid, & quomodo *sit colendus, quod videlicet sit unus Deus in tribus personis, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, qui per Filium omnia condidit, & genus humanum à peccatis, morte & diabolo liberavit, qui perfectam legis obedientiam à nobis requirat, quam cum nos præstare non poteramus, implevit eam in Filio, per quem salvos facit omnes, qui in ipsum credunt. Hoc modo gentes Deum non cognoverunt, & absq; Deo in mundo vixerunt* Eph. 2, 12. *quia destituebantur verbo, ex quo solo comparatur. Naturalis Dei notitia neminem salvat, sed tantum manu quasi ducit ad revelatam, cui soli salus hominum adscribitur: unde vulgò dicitur: Extra Ecclesiam non est salus, quia in sola Ecclesia salutaris illa notitia Dei reperitur.*

## QVÆSTIO III.

Cum Paulus severè prohibeat, ne quis in negotio circumveniat FRATREM v. 6. quæritur an circumvenire liceat eos, qui non sunt fratres, ut Judæos, & alios qui foris sunt?

*Resp. Cum sententia Pauli nostri aliquid analogi habere videatur sententiæ legis, quibus prohibetur usurarum*

*acceptio ab attenuato fratre* Lev. 25, 35. & seqq. & Nehem. 5, 7. *usurasne singuli à fratribus vestris accipitis? Quod enim de usuris prohibitis verum est, id rectè etiam de alijs modis decipiendi & circumveniendi alios intelligi debet. Videtur autem Deus ipse populo suo permittere circumventionem alienorum, modò fratribus parcatur. Ita enim scribit* Deut. 23, 19, 20. *Non fœnerabis fratri tuo pecuniam ad usuram, nec fruges &c. Sed* ALIENO. *Hinc est illud Ambrosij in lib. de Tobia cap.* 15. cui meritò nocere desideras, cui jure inferuntur arma, huic meritò indicuntur usuræ. Quem bello non potes facilè vincere, de hoc citò potes centesimâ te vindicare. Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere, sine ferro dimicat, qui usuram flagitat, sine gladio se de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius & exactor inimici &c. *Verum conscientiæ suæ magis consulit, qui ab omni circumventione proximi abstinet. Omnes enim fratres sumus, qui ab uno sanguine descendimus, & Christus jubet etiam diligere inimicos, ijsdemq; benefacere.* Matth. 5, 43. *Quod autem Deus in lege concessit usuram erga alienos, specialis lex fuit, pertinens tantùm ad Iudæos in terra Chanaan habitantes. Chananæorum enim bona aliàs divinitus in manus Iudæorum erant tradita, peculiari ergo privilegio Deus concessit ipsis, ut Chananeorum bona quoquo modo, etiam per usuram & circumventionem, in potestatem suam raperent, sicut olim Israelitis spolia Ægyptiorum ex singulari indultu concessit, tanquam mercedem laborum, quo in Ægypto erant occupati. Deinde quia Iudæi à Chananæis, inter quos habitabant, nihil sine usura accipiebant, sæpe etiam decipiebantur, Deus idem jus populo suo ex lege talionis permisit. Nihil autem hoc ad hodiernos Iudæos, qui prætextu illius legis licitum sibi putant circumvenire Christianos, tanquam à gen-*

te

*te sua alienos: non enim amplius sunt populus Dei, cui illud privilegium concessum, neq; in terra Chanaan habitant: non sunt Iudæi Mosis, ad quos solos lex ista pertinebat, sed sunt Iudæi Cæsaris (quemadmodum B. Lutherus distinguit) quibus, si lege ista frui vellent, in terram Chanaan redeundum esset. Multò minus spectat illa lex ad Christianos, quibus omnibus fœneratio, circumventio & defraudatio proximi est prohibita, juxta authenticam Apostoli nostri: Hæc est voluntas Dei, ne quis supergrediatur aut circumveniat in negotio fratrem suum: ubi vocabulum fratris non excipit alienos: unius enim inclusio, non est alterius exclusio.*

## PARS ALTERA.

### TEXTVS.

Οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, περὶ τῶν κεκοιμημένων, ἵνα μὴ λυπῆσθε, καθὼς καὶ οἱ λοιποὶ οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα.

Εἰ γὰρ πιστεύομεν, ὅτι Ἰησοῦς ἀπέθανε καὶ ἀνέστη· οὕτω καὶ ὁ Θεὸς τοὺς κοιμηθέντας διὰ τοῦ Ἰησοῦ, ἄξει σὺν αὐτῷ.

Τοῦτο γὰρ ὑμῖν λέγομεν ἐν λόγῳ Κυρίου, ὅτι ἡμεῖς οἱ ζῶντες, οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ Κυρίου, οὐ μὴ φθάσωμεν τοὺς κοιμηθέντας.

Ὅτι αὐτὸς ὁ Κύριος ἐν κελεύσματι, ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου καὶ ἐν σάλπιγγι Θεοῦ καταβήσεται ἀπ' οὐρανοῦ· καὶ οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ ἀναστήσονται πρῶτον.

13. Æterum nolo vos ignorare fratres, de ijs qui obdormierunt, ne doleatis, quemadmodum & cæteri non habentes spem.

14. Nam si credimus, quod Jesus mortuus est & resurrexit: sic & Deus eos qui obdormierunt per Iesum adducet cum illo.

15. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quod nos qui vivemus & reliqui erimus in adventum Domini, nequaquam præveniemus eos qui dormiunt.

16. Quoniam ipse Dominus cum hortatu & voce archangeli ac tuba Dei, descendet de cœlo & mortui in Christo resurgent primum.

Ἔπειτα ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι, ἅμα σὺν αὐτοῖς ἁρπαγησόμεθα ἐν νεφέλαις εἰς ἀπάντησιν τοῦ Κυρίου εἰς ἀέρα, καὶ οὕτω πάντοτε σὺν Κυρίῳ ἐσόμεθα.

17. Deinde nos qui vivimus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aera: & sic semper cum Domino erimus.

Ὥστε παρακαλεῖτε ἀλλήλους ἐν τοῖς λόγοις τούτοις.

18. Proinde consolemini vos mutuo sermonibus.

SEquitur nunc institutio de Resurrectione mortuorum à v. 13. hujus capitis usq; ad vers. 12. sequentis, quo consolatur eos, qui in obitu suorum carissimorum luctui nimis indulgebant. Primum autem resurrectionem corporum nostrorum probat: deinde, quo ordine ea futura sit, ostendit. Tertiò vitæ æternæ descriptionem addit. In hæc enim tria membra partem hanc dispescimus.

*Propositio primi membri est in vers.* 13. Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut cæteri, qui spem non habent. *Suavissima voce utitur de morte piorum, quos dormire ait, quia spem resurrectionis habent, alteriusq; vitæ, ad quam tam facile resuscitabuntur, ac dormientes è somno excitantur. Alias vox hæc promiscuè usurpatur de morte omnium hominum etiam impiorum: Sic Ierobeam, Achab, Abiam, & similes impij reges dormijsse dicuntur cum patribus suis* 1. Reg. 14, 20. 15, 8. 22, 40. *Ossa impij in pulvere dormire leguntur* Job. 20, 11. *& impij somnum sempiternum dormiunt apud Ieremiam* Cap. 51, 39. *Angelus etiam apud Danielem, eos, qui in opprobrium evigilabunt, in terræ pulvere dormire dicit* Dan. 12, 2. *Quin & apud Ethnicos scriptores dormire dicuntur, quos nunquam resurrecturos credebant, ut cum Catullus scribit:*

Soles

Soles occidere & redire possunt.
nobis cum semel occidit brevis lux,
nox est perpetuo una dormienda.

*Inprimis tamen familiaris est hæc vox in scripturâ sacrâ de morte fidelium, unde Christus mortem & somnum piorum opponit,* Matth. 9. 24. *non est mortua puella, sed dormit: & de Lazaro defuncto ait: Lazarus amicus noster dormit: sed vado ut à somno excitem eum,* Ioh. 11, 11. *Et hoc sensu hic usurpatur, quia loquitur Apostolus de morte fratrum, seu eorum, qui in verâ fide Christi è vitâ discesserunt. De his dormientibus scribit, eos lugendos quidem esse, quia nimirum casus hujusmodi suggerunt mortalitatis nostræ recordationem, & non sine molestia in re familiari, aut in communi vitâ sunt conjuncti: sed moderandus est luctus, ut discrimen appareat inter luctum Christianorum, & gentilium: ideo ait,* non contristemini sicut cæteri, qui spem non habent.

*Gentiles notat, quorum aliqui immortalitatem animarum, aliqui resurrectionem corporum non crediderunt: de quibus Augustinus scribit* in Psal. 88. Serm. 2. *quod in nulla re tàm pertinaciter, tam obnixè & contentiosè contradicant fidei Christianæ, sicut de carnis resurrectione. Ita* Plin. lib. 7. c. 55. quæ, malum, est ista dementia, iterari vitam mortemque? *Æschin:* Semel mortui nulla est resurrectio. *Theocriti,* non est spes ulla sepultis. *Ideo immoderatius lugebant defunctos, tanquam planè jam amissos. Vlulatu planctibusq; perstrepebant omnia: mulieres etiam conducebantur, quas vocabant præficas, quæ gestibus, fletibus & ejulatibus animos adstantium ad tristitiam provocabant; adhibebantur etiam tibicines, φονάσκοι, qui flebilibus modis ad luctum omnes componebant, quorum vestigia apparent in*

*domo Iairi Ludimoderatoris Capernaitici* Matth, 9, 23. *reliqui ad luctum sic compositi, brachia nudabant, crines evellebant, vestes lacerabant, Capita ad solum collidebant, lugubriq; clamore omnia complebant. Accedebant insuper ludicra spectacula magnis & vanis sumtibus, teste Homero* Iliad. 23. *Virgil.* lib. 5. Æneid. *Græci inprimis cum ad sepeliendum mortuum conveniebant, noti, amici & cognati præter illas, quæ jam diximus, lamentationum species, osculum insuper ei libabant. Quæ res è gentilitate tandem etiam traducta est ad Christianos, quemadmodum de satellitibus Constantini Magni scribit Eusebius* lib. 4, de vita Constantini, mihi fol. 697. *cum mortuus esset imperator, hastati atq; Satellites illicò vestem rumpere, provolvere humi se, contundere capita, gemere, ululare &c. Et immoderatum hujusmodi luctum valde frequentem olim fuisse inter Christianos, inde liquet, quod & conciliorum decretis fuit interdictus, & S. Patrum gravissimis sermonibus reprehensus. In concilio Antisiodorensi cap. 12. statutum est, ne mortuorum corporibus feratur osculum: idem factum in concilio Matisconensi. Chrysostomus* homil. 61. in Johan. *muliebrem morbum nominat, ostentare p. anctus & dolores suos, cruentare & nudare brachia, scindere capillos, laniare genas, idque partim ob dolorem, partim ad ostentationem factum, ait. Quosdam etiam ex Christianis præficas conduxisse scribit, eosq; hoc nomine ab Ecclesia arcendos judicat:* Si aliqui lamentatrices istas conduxerint (*scribit homil. 4. in Epist. ad Hebr.* credite mihi dicenti,) non enim aliter dicã, quàm ut possum & affectus sum, irascatur, si cuilibet) per multum tempus talem ab Ecclesia arcebo, sicut idololatram. *Et paulo post*. Ecce igitur, & vobis & illis mulieribus per vos admonens dico, ut neque vos convocetis tales, neque illæ adveniant: & contingat

quidem

quidem hoc verbum amplius operari, & has minas prævalere. Si verò quod absit, contemnemur, compellemur deinceps in actum deducere minas &c. *Apparet autem ex nostro textu, hanc consuetudinem immoderatè lugendi defunctos invaluisse jam tum Apostoli Pauli temporibus apud Thessalonicenses, qui cum viderent multos non tantum naturali, sed & violentâ morte, durantibus persecutionibus, cadere, immanius nonnihil in seipsos sæviebant, q. hac ratione conceptum ex funere suorum dolorem mitigare possent. Hujusmodi luctum alienum esse vult Apostolus à Christianis, sequentibus de causis:* (1.) *quia defuncti illi dormiunt: non omnino perierunt, nec malè habent, sed quiescunt à laboribus, exemti sunt molestijs, vires suas recolligunt, & ad meliorem vitam corpora ipsorum præparantur, non secus ac qui cubitum se contulerunt, ad quietem se componunt: quam quietem invidere videntur defunctis suis, qui absq; modo eos lugent* (2.) *quia alienus est hujusmodi luctus à fidelibus:* οἱ λοιποὶ *qui spem non habent ita lugent: Fideles autem habent spem restitutionis omnium, spem resurrectionis, spem melioris vitæ, spem perpetuæ conversationis cum suis carissimis in conspectu Dei. Intelligendi autem sunt* οἱ λοιποὶ *de omnibus incredulis, qui verum Deum ignorant, qui Evangelij doctrinam nunquam acceperunt, quales sunt gentiles omnes. Nam* οἱ λοιποὶ *opponuntur* τῆς οἰκείας Θεοῦ Eph. 2, 19. *tanquam gentes Christianis, sicut Philistini vocantur à* LXX. ἀλλόφυλοι *alienigenæ, respectu Israelitarum, qui erant populus Dei. Ingentes ergo degenerant, qui sibi in luctu suorum defunctorũ temperare nõ possunt* (3.) *quia talis luctus signum est magnæ & nõ excusandæ ignorãtiæ. Debebant enim scire Christiani primũ, quæ sit conditio nostra in hoc mũdo, ubi mortalitati semper summo expositi: Statutũ enim est hominibꝰ semel mori* Heb. 9, 27.

*Deinde*

*Deinde quis sit status noster post hanc vitam, ubi restituemur nostris in perpetua felicitate: id quod Paulus fratres suos h.e. fidei socios ignorare noluit. Concernit enim hæc ignorantia præcipuum fidei articulum de resurrectione mortuorum, in quo neminem oportet esse dubium. Certitudinem hujus, articuli, omnibus maxime necessarij, confirmat à causa efficiente:* Si enim credimus, (*inquit*) quod Jesus mortuus est & resurrexit; ita & Deus eos, qui dormiunt per Iesum, adducet cum eo v. 14. *Conjungit Resurrectionem nostram, cum resurrectione Christi, tanquam effectum cum suâ causâ, quemadmodum* & 1. Cor. 15, 22. & 2. Cor. 4, 14. *Loquitur autem tantum de fidelium resurrectione, quod ex eo manifestum est, quia de ijs agit, qui propter Evangelium persecutionem passi erant, quos adducturus est Dominus, scilicet è mortuis, cum Christo, ut nimirum cum eo æternum triumphent, secundum illud: si cum illo moriemur, etiam vivificamur cum eo, & si compassi fuerimus, etiam conregnabimus* 2. Tim. 2, 12. *Impiorum resurrectio dependet quidem à Christo etiam, sed non ab ejus merito, sed à Potentia. Ideo illi cum Christo resurgere dicuntur in* 1. Cor. 15, *qui sunt Christi, qui sunt in Christo, & quorum ipse est ἀπαρχὴ, quæ non nisi fidelium est descriptio. Sic & hoc in loco, qui obdormierunt in Iesu, hos adducturus dicitur Dominus cum Iesu, non quasi reliquos, qui abs Christo mortui sunt, in morte relicturus sit. sed quia tam arcta non est societas inter Christum & ipsos, quàm est inter Christum & fideles, quorum resurrectio non tantum ab omnipotente virtute Christi, sed & ab efficacissimo ac gratiosissimo ejus merito dependet. Quæ causa est, quod vita, ad quã resuscitabuntur impij in novissimo die, non sit fructus meriti Christi, sed effectus potentiæ, & opus justitiæ ejus, qui plectere ipsos voluit eo in corpore, in quo peccaverunt. Qua de re præ-*

*clarus*

*clarus extat locus apud Cyrillum lib. 4. in Ioh. cap. 12.* Nonne universum genus humanum, quod in mortem cecidit, ad vitam resurget? Omninò ita futurum respondebimus: resurgent enim mortui, Propheta dixit, & ad omnem naturam humanam resurrectionis Christi mysterium pervenire credimus, & in ipso primo totum genus humanum ab interitu liberatum didicimus. Omnes enim resurgent propter eum, qui primus resurrexit, & omnes ut homo in se continebat, & sicut in primo homine omnes mortui sumus, sic rursus in eo qui primogenitus propter nos & mortuus est, omnes reviviscant. Sed qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, ut scribitur, qui verò mala egerūt, in resurrectionem judicij. Morte autem ipsa ego puto acerbius ad cruciatus æternos recurrere. *Hæc Cyrillus: unde sequitur vitam impiorum, ad quam resuscitabuntur, supplicium potius eis fore, quam beneficium aut fructum meriti Christi: qua de re alibi pluribus egimus. Latet autem in his Pauli nostri verbis quartum argumentum pro moderando luctu: quia nimirum Christus innocentissimus ille hominum mortuus est, suaq; morte destruxit eum, qui mortis habuit imperium, diabolum: ergo non sit grave nobis vel mori, vel morte à carissimis nostris divelli. Mors enim per Christum devicta, nihil nocebit; & oportet nos Christo capiti nostro etiam in morte conformes fieri* Rom. 8, 29. 2. Tim. 2, 12. *Eodem pacto argumentatur Petrus 1.* Pet. 2, 21. 4, 1.

*Monemur hic 1. Pie defunctos dormire, de horum enim morte præcipuè dormiendi voce utitur scriptura. Non autem dormiunt quo ad animā, quemadmodum ex Arabicis & Anabaptistis aliqui delirarunt, animas piorum corporibus solutas alicubi locorum dormire usq; ad novissimum diem, unde &*

*Psychopamychitæ appellati sunt. Nullus verò animarum somnus est, & non nisi cum diabolo sunt, quæ non sunt cum Christo, dicente Augustino* lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 28. *Sed corporum iste somnus est, quæ dormire dicuntur in monumentis suis, quia ibi nihil molestiarum sentiunt, à laboribus quiescunt, novas vires adquirunt, & tandem vegetiora excitantur: hæc enim omnia dormientium sunt. Vnde & sepulchra fidelium dicuntur cubilia* Esa. 57, 2. *& cubicula* Esa. cap. 26, 20. *Suavissima autem est hæc metaphora, quæ ex eo, quod naturâ sua est horribilissimum malum, dulcissimum facit somnum. Est utiq; mors stipendium peccati* Rom. 6, 23. *& ultimus hostis piorum,* 1. Cor. 15, 26. *quem timere naturale est: sed talis est in causis suis naturalibus, quia à peccato ortum habet, in hominibus grassatur, & naturale vinculum corporis ac animæ solvit. Per perspectivam autem verbi considerata, somnus & quies est, dulceq; refrigerium corporis ac animæ: illud enim quiescit in sepulchro reformandum aliquando ad similitudinem glorificati corporis Christi* Phil. 3, 21. *hæc quiescit in manu Dei, ubi non sentit tormentum* Sap. 3, 1. Apocal. 14, 13. *Hoc ingenium habet mors non ex causis naturalibus, sed à Christo, qui mortis imperium destruxit, vitam verò ac immortalitatem reduxit: qui, quemadmodum sustulit in fidelibus, ut damnare eos nequeat; ita & stipendium peccati removit, ut nocere amplius non possit. Vnde pij jam desiderare possunt mortem exemplo Simeonis* Luc. 2, 29. *& Pauli* Phil. 1, 23. *fit enim eis transitus ad vitam, & gradus ad requiem, sicut scriptum est:* Amen, Amen dico vobis, qui sermonem audit, & credit ei, qui misit me, vitam habet æternam, & in judicium non veniet, sed transivit à morte in vitam Joh. 5, 24.

*Observ. 1.* 1. *Cum ergo ea sit conditio mortis nostræ, consequens est, mo-*

*derat è*

*deratè lugendos esse nostros defunctos: id quod Paulus præcipuè in hoc textu urget. Luctus in funere nostrorum in solidum prohibitus non est: nam de Patriarchis, de Mose etiam & Aarone, de pijs regibus, de Stephano & alijs Sanctis scriptum legimus, quod planctum magnum eis fecerint* Gen. 23, 2. 50, 10. Deut. 34, 8. Num. 20, 29 2. Paral. 35, 24. Act. 8, 2. *&c. Christus etiam flevit super defuncto amico suo Lazaro* Ioh. 11, 35. *& in genere monet Siracides: in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus, incipe plorare, amarè fer luctum illius uno die, &c.* Sir. 38, 16, 17. Et cap. 22, 10. *Super mortuum plora, defecit enim lux ejus. Materiam luctus suppeditat non tantũ privatio nostrorum amicorum, sed & peccatum, quod corrumpit naturam, & mortem intulit in mundum: id quod certè lacrymis deplorandum est. Epicuræi enim sunt, qui ista calamitate generis nostri non afficiuntur. Hujusmodi luctus triplicem habet usum (1) est commonefactio miseriarum nostrarũ, quarum complementum ipsa mors est. Mortem enim Deus non fecit, sed per invidiam diaboli intravit in mundum* Sap. 2, 24. *& mors sola fatetur, quantula sint hominum corpuscula, illa sola testatur, carnem omnem esse fœnum, & omnem ejus gloriam, quasi florem agri* Esa. 40, 6. (2.) *est incitamentum ad veram pœnitentiam, qua rectè præparamur ad mortem, quæ multos sæpe subitò abripuit. Nemo enim gloriari potest de crastino, qui quod hodierna pariat dies, ignorat* Prov. 27, 1. *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aves laqueo, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis subitò supervenerit.* Eccles. 9. v. 12. *Proinde ne tardes converti ad Deum, & ne differas de die indiem: subitò enim veniet ira illius* Sir. 5, 8. *Et hanc ob causam melius est ire in domum luctus, quam in domum convivij, in illa enim finis est cunctorum hominum, ait Salomon Eccl. 7, 3. (3.) Est testimoniũ caritatis, quam debemus nobis invicẽ, quemadmodũ Iudæi*

*ex lachrymis Christi super funere Lazari, quàm carus ei fuerit defunctus, colligebant Ioh. 11. v. 36. His igitur de causis bonum est, lugere defunctos. Sed in his omnibus modus esse debet, ne reluctari Deo, aut invidere nostris quietem, aut etiam de meliori vita desperare videamur. Hinc est illud Siracidæ* cap. 22. 11. *Modicum plora super mortuum, quoniam requievit. Et si Ethnici quoq; adeo semetipsos deviceruntsut, cum filios occubuisse quidem, sed fortiter occubuisse audirent, luctum compescerent, quanto magis hoc Christianos decet, in funere eorum, quiin Domino obierunt, quos non interijsse, sed obdormijsse sciunt, paulò post evigilaturos:* Ignoscimus matris lacrymis, *inquit Hieron: epist.* 25. Sed modum quærimus in dolore. Permittantur pia corda charorum ait *Augusti. Serm.* 34. *de verb.* Apostoli, de suorum mortibus contristari, dolore sanabili consolabiles lacrymas fundant, quas citò reprimat fidei gaudium, qua credunt fideles, quando moriuntur, paululum à nobis abire, & ad meliora transire. Defleamus mortuos, *scribit Chysostomus hom. 3. in epist. ad Philip.* sed non præter decorum, non capillos evellentes, non brachia nudantes, sed in animo duntaxat amaras lacrymas tacitè fundentes. Potest enim etiam sine ista pompa plorari, & non ita duntaxat ludi. Nihil enim à ludis differūt, quæ sic à quibusdam fiunt, &c. *S milia multa habet in cap. 2. ad Hebr. homil. 4. & homil. 61. in Iohan. hom. 70. ad populum, serm. de Bernice & Prosdoce, & passim alibi.*

Observ. 3. *III. Discimus etiam, ignorantiam rei magnum sæpe, sed inutilem parere luctum. Paulus enim innuit, Thessalonicenses ideo immoderatè lugere suos demortuos, quia suam prægentibus prærogativam ignorent. Quid Iacobo tantam peperit lamentationem, ut nullam prorsus consolationem ad-*

*mitteret*

*mitteret, quàm quod filium Ioſephum à fera laceratum opinabatur?* Gen.37,34. *quid multis crucem adeo exaſperat, quã quod rationem conditionis ſuæ non rectè expendunt? Si enim intelligerent, hanc eſſe filiorum Dei ſortem, ut abſque afflictione non ſint in mundo: Si præterea cogitarent, diligentibus Deum omnia converti in bonum, moderatius utique ferrent crucem ſibi impoſitam. Sic diſcipuli Chriſti triſtabantur cum de diſceſſu ejus abituq; ad patrem audirent, quia conditionem mortis ejus adhuc ignorabant. Ideo dixit ad ipſos: Si diligeretis me, gauderetis utiq;* Joh.14,28. *Sic & purgatorium terret Pontificios, quia perſuaſi ſunt, animas etiam fidelium poſt mortem hominis, infernalibus ibi uſtulari flammis. Multum ergo intereſt, ut in rebus fidei rectè informemur, ne opinionibus privatis fruſtra triſtandi materiam nobis paremus. Ideo non decet nos eſſe ignorantes, ſed ſcientes, quæ ſit voluntas Domini erga nos, & quæ conditio eorum, qui faciunt eam: ita vitam agemus tranquilliorem, & quæ juxta voluntatem Domini nobis accident, moderatius feremus.*

*IV. Spes Chriſtianorum optima, & qua à gentibus diſcernuntur, eſt in reſurrectione corporum noſtrorum à mortuis, ad vitam meliorem. Nam ſi ſperamus in hac tantum vita in Chriſtum, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus* 1. Cor.15,19. *Hanc ſpem Libertini rident, idq; jam eveniſſe putant, quod adhuc expectamus. Nam ut Calvin. in lib. de inſtit. adverſ. Libertinos cap. 22. ſcribit.* Interrogati, quomodo intelligant, nempe, inquit, ut homo ſciat, animam ſuam ſpiritum immortalem eſſe, & perpetuò viventẽ in cœlis, ac Chriſtũ morte ſua opinationem abolevisſe, eaque ratione reſtituiſſe nobis vitam, quæ in eo eſt, ut nos minimè mori cognoſcamus. *Sic & Manichæi olim ſpem reſurrectionis tanquam fabulam rejecerunt.* Obſerv.4.

*Nos autem, docente Paulo nostro, fundamentum hujus spei habemus fidem in Christum, pro nobis mortuum & resuscitatum, de quo Paulus* Rom. 10, 9. *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quod si credideris in corde tuo, quod Deus suscitavit Iesum à mortuis, salvus eris. Objectum ergo fidei & spei non est quælibet promissio Dei, sed Christi mors & resurrectio, quæ duo Paulus tanquam complementum meriti ejus conjungit* Rom. 4, 25. *Et causa spei nostræ non simpliciter est resuscitatio Christi, sed fides in Christum resuscitatum, quæ nos cum Christo unit, tanquam membra cum capite, unde fit, ut ipso resurgẽte, nos quoq; spem certissimam resurrectionis ad vitam habeamꝰ: quæ spes in ijs, qui fidem non habent, esse non potest. Quã ob causam Christus vocatur primitiæ dormientium* 1. Cor. 15, 23. *& primogenitus ex mortuis* Col. 1, 18. Apoc. 1, 5. *non ratione ordinis, quasi ipse inter resuscitatos primus sit, aliquĩ enim antecesserunt: Sed ratione dignitatis atq; meriti, quia resurrectio ejus est, causa meritumq; nostræ resurrectionis ad vitam quemadmodum primitiæ olim causa erant, ut reliqui proventꝰ annui Sanctificarentur. Hæc de primo membro hujus partis.*

*In secundo agit de modo & ordine Resurrectionis. Nam dies novissimus, in quo fiet universalis resurrectio mortuorum, multos deprehendet vivos;* primum *autem* eos, qui obdormierunt, resurrecturos, *ait,* deinde superstites unâ cum Christo rapientur in nubes in occursum Domini, cum quo æternâ perfruentur gloria. *Quæ de re acturus præmittit præoccupationem, qua occurrit cogitationibꝰ eorum, qui de tempore resurrectionis poterant esse dubij, existimantes, fortè eos qui adventu Domini superstites erunt, æternis gaudijs citius potituros, quam qui è pulvere terræ resurgant. His occurrit v.* 15. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus

mus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt. *Autoritatem dictis suis conciliat eo, quod non suo quodã usus consilio, sed jussu Domini sui ista scribat, quæ & ita accipere debeant, ac si Dominus ipse loqueretur. Loquitur a. de adventu Christi ad judicium, ac si jam tum præ foribus fuisset, cum tamen aliter doceat in posteriore epistola,* nos qui vivimus, *inquit,* qui residui erimus in adventu Domini &c. *Non loquitur vel de seipso, vel de illis, qui tum vivebant, sed in exemplo agit de re futura tanquam de præsente. Dispescit enim totum genus humanum in duas classes: in prima classe ponit eos, qui à condito mundo usq; ad ultimum adventum Christi mortui sunt, in alterâ, quos ultimus ille dies inveniet vivos; utrobiq; sunt pij & impij: hic de pijs tantum agit, qui erunt aliquando semper cum Domino. Ex his ait primos fore qui ad Christũ in altera vita aggregentur, non eos, qui superstites tum invenientur, sed alium ordinem observabit Dominus, de quo in sequentibus.* Nam ipse Dominus in usu & voce Archangeli & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primũ; deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cũ illis in nubibus, ob viam Domino in aera *v.16,17. Primũ describitur ultimus Christi adventus ad judiciũ. Venict Dominus, alibi vocatur filius hominis* Matth.25,31. *qui est Dominus de cœlo* 1.Cor.15,47. *quem Deus & Dominum & Christum fecit* Act.2,36. *In adventu suo descendet de cœlo, non quasi in cœlo Empyræo quem Calviniani fingunt, aut loco quodam superno sedeat, & inde pedetentim se conferat in inferiora: Sed quia prodibit è statu beatorũ, qui ubi sit, oculo non vidit, auris non audivit, & manifestabitur in gloria, seu ut ipse loquitur* Matth.25,31. *cũ majestate sua, & super sedẽ majestatis suæ veniet, cujusmodi manifestatio majestatis divinæ in scriptura descẽsio appellatur* Gẽ.11,7. Exo.19,11.2, Sã.22,10. Psl.144,5, Mat.

3,16. &

3,16. & *passim alibi*. *Descendet autem* cum hortatu, *in græco est* ἐν κελεύσματι: *quod propriè est clamor nautcius, quo ad labores excitantur nautæ. Metaphoricè usurpatur, de qua vis exhortatione ad rem alacriter peragendam. Præcedet ergo quasi vox præconis, qua via aperietur adventanti Domino. Veniet etiam* cum voce Archangeli: *Christus ait, venturos omnes Angelos secum* Matth. 25,31. & *se missurum angelos cum tuba & voce magna* Matth, 24, 31. *Vocem magnam nominat Christus, quam Paulus vocem Archangeli, & hac voce vocabuntur homines ad judicium. Ita enim fieri voluit Dominus, ut quemadmodum Archangelus primum Christi adventum annunciavit, ita & Archangelus secundum annunciaret: unde alii qui Gabrielem, alij vero Michaelem, qui in scriptura expresse Archangelus appellatur in epist. Judæ v. 9. intelligunt. Summam illius vocis scribit Theophilactus fore hanc*: Apparate vos omnes, judex enim præsto est. *Veniet insuper tum tuba Dei: tubæ etiam Christus meminit* Matth. 24,31. *unde novissimus ille dies appellatur dies tubæ & clangoris* Soph. 1,16. *Et in veteri hymno canitur*: Tuba mirum spargens sonum per sepulchra regionum, coget omnes ante thronum *Paulus noster vocat tubam Dei, quia jussu Dei sonum dabit: & intelligunt nonnulli horribilem illum fragorem, quo tollabetur machina mundi, alij vero ipsam Christi vocem, Surgite mortui* Joh. 5,28. *quæ in universo orbe instar clangentis tubæ exaudietur. Hac enim tuba utetur Dominus, ad excitandos mortuos, sicut voce Archangeli ad vocandos eos ad judicium. Unde Hieron. in de timore ultimi judicij capiteult.* Tunc ad vocem tubæ pavebit terra, & *paulò post*: sive leges, sive scribes, sive vigilabis, sive dormies, hæc tibi semper buccina in auribus sonet. *Hæc ergo est descriptiò venientis Christi ad*

*judi-*

*judicium. Iam, quid tum futurum sit, sequitur:* Resurgent mortui in Christo primùm: *pij ergo defuncti primas habebunt præ impijs, qui post illos resurrecturi sunt, & præ pijs adhuc viventibus, quos in gloria cum Christo præcedent:* Deinde *enim ait Paulus,* qui relinquuntur, etiam promovebuntur ad gloriam, *ita tamen, ut* simul cum illis resuscitatis pijs rapiantur obviam Domino in aëra. *In hoc raptu subitò eos morituros, & subitò in vitam redituros putavit Augustinus* lib. 20. de Civit. Dei cap. 20. *Deceptus vitiosa versione, loci in* 1. Cor. 15, 51. *omnes quidem resurgent; subitò autem omnes immutabimur. Sed alibi quæstionem hanc in medio reliquit, in eam tamen inclinans sententiam, quod superstites illi non sint morituri, sed vivi reperti in illam immortalitatem quæ sanctis etiam cæteris datur repentè mutandi, & simul cum illis rapiendi in nubibus. Vide lib. ad Dulcit. quæstion.* 3. *Non ergo mors, verum ἀναλογῶ quiddam morti continget illis, immutatio nimirum subita, in qua corpora ipsorum fient similia glorificato corpori Christi, qua de re Paulus* 1. Cor. 15, 52. *in momento, in ictu oculi, in novissima tuba & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Et hic est ordo ille resurrectionis, de quo Paulus in eodem cap. v.* 22. *In Christo omnes vivificamur* unusquisque in suo ordine &c. *Etsi autem hoc ordine fient omnia, non tamen longum requirent temporis intervallum: Sed in ictu oculi fient, ut in epistola ad Corinth. habetur. Subitò enim irruet dies Domini, & tanquam fur in nocte veniet, ut scriptura passim docet.*

*Monemur hoc membro* 1. *Nihil præter aut citra verbum Dei proponendum esse in quæstionibus Theologicis, præsertim quæ difficultatem aliquam habent, quemadmodum Paulus noster de modo resurrectionis nostræ pronunciat verbum Domi-* Observ.

ni v. 15. Hoc olim Petri Apostoli consilium fuit, nihil dicendum esse ἀπροσφῶνως sicut Clemens Alexandrinus ipsum loqui solitum scribit lib. 6. ὑποτ. seu ut ipse Petrus scribit: Si quis loquitur, quasi sermones Dei 1. Pet. 4, 11. Ideo Prophetæ commune suorum sermonum exordium hæc verba constituerunt: hæc dicit Dominus: vel audite verbum Domini. Unde postea Augustinus, non nisi verbi Dominici judicium de sua & hæreticorum doctrina admittere voluit: Non audiamus, inquiens de unit: Eccles. cap. 3. hæc dico, hæc dicis, sed audiamus: Hæc dicit Dominus.

Observ. 2. II. Majestas ultimi adventus Christi ad judicium stupenda erit, tam propter advenientis dignitatem, quã propter sententiæ severitatem. Vtramq; notat Paulus, quando Christum cum tubâ & voce archangeli, ut & cum celeusmate quodam venturũ ait, quo acclamabit orbem terrarum, & unumquemque rationem suæ villicationis reddere jubebit. Hinc vocatur in scripturâ dies caliginis & tenebrarum. Joel. 2, 2. dies iræ, tribulationis, & angustiæ. Soph. 1, 16. in quo transibunt cœlum & terra Luc. 21, 33. & quidem magno cum impetu, ubi elementa calore solventur, terra verò & omnia opera, quæ in ipsa sunt, exurentur, cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent, 2. Pet. 3, 10. & quod omnium maximè æstimandũ, ubi sistemur omnes ante tribunal Christi Rõ. 14, 10. ut referat unusquisq; propria corporis, pro ut gessit sive bonũ, sive malũ 3. Cor. 5, 10. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus venturus sit, Matth. cap. 24, 42. Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa Luc. 21, 34. servate mandatum sine macula, irreprehensibiles usq; in adventum Domini nostri Iesu Christi 1. Tim. 6, 14. manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non

con-

confundamur ab eo in adventu ejus 1. Joh. 2. v. 28. apparebit enim Christo omnibus expectãtibus enim in salutẽ Heb. 9, 28.

Observ. 3.

III. Resurrectionem mortuorum universalem in novissimo demũ die futuram, Paulo noster clarè docet. v. 16. Idem testatur Job. cap. 19, v. 25. & Christus Joh. 6, 40. ita etiam semper creditum fuit à pijs, ut patet ex eo, quod Martha de fratre suo demortuo dixit; scio quod resurget in resurrectione, in novissimo die Joh. 11, 24. Quod autem quidam à Christo, Prophetis & Apostolas resuscitati sunt, particularia sunt exempla, quibus Deus de resurrectione universali reliquorum sub finem seculi testari voluit. Usus hujus doctrinæ est contra Chiliastas seu Millenarios, qui finxerunt, Christum, completis sex annorum millibus, quibus mundum hunc visibilem duraturum existimant, Sanctos omnes suscitaturum ex mortuis, cum quibus in terris regnaturus sit, per mille annos, subjecto ipsis omni terrarum orbe, cum incredibili felicitate & abundantiâ omnium terrenorum bonorum. In quo quasi aureo seculo summa victuri sint castimonia, totosq; procreaturi sanctitatis alũnos, donec tandẽ finito hoc millenario, ad cœlum assumantur, & felicitatẽ sempiternam corpore ac anima simul possideant. Autor hujo opinionis fuisse fertur Papias Apostolorum Discipulus, teste Hieronymo in lib. de scriptor. Eccles. Videatur Augustinus lib. 20. de civ. Dei cap. 7. Irenæus lib. 5. adverf. hæres. Lactant lib. 7. institut.

[Euseb. lib. 3. hist cap. 33. de Papia scribit, quod fuerit ingenio tardo & rudi; & quæ ab Apostolis sub similitudinibus rerum corporalium dicebantur, spiritualiter intelligenda, ipse intellexit corporaliter.]

Sed multa sunt contra hanc opinionem (1) quod Christus suis non promisit regnũ aliquod terrenum, imò hujusmodi cogitationibus discipulorum contradixit Mat 18, & 20. quia promisit nobis regnum quale ipse habet Luc. 22, 29. regnum verò

*ejus, non est de hoc mundo* Joh. 18,36. (3.) *quia hæc opinio obsoletas Iudæorum, de terreno Messiæ regno & Ethnicorum fabulas, de Saturni seculo, quod aureum vocabant, & Turcarum legem (quam Averroes porcorum legem vocavit) de terreno quodam paradiso & corporalibus voluptatibus in eo, reducit.* (4.) *quia cum resurrectione fidelium in novissimo die, quam scriptura passim urget, διαῤῥήδω pugnat: plura hic in eam sententiã, non dicam. Quæ verò ex Apocal. Iohannis de resurrectione prima & secunda pro sua sententia, afferunt, nihil eos juvant: Prima enim est Spiritualis, qua resurgimus à morte peccati, de qua Paulus* Rom. 6,2,11. *altera est corporalis, quæ subsequetur in novissimo die, ubi corpora piorum ad æternam felicitatem sunt resurrectura, de qua Paulus noster hic & passim alibi.*

Observ. 4. *IV. Tempore novissimi adventus Christi erunt reliquiæ quædam Electorum in mundo: ita enim Paulus noster:* nos qui relinquimur, rapiemur ei obviam *v.* 17. *h. e. pauci quidam erunt partim ex numero piorum, quos Antichristus trucidabit, residui, partim in collatione ad impios, quorum cœtus longè erit amplior: Idcirco Christus dicit: cum venerit filius hominis, putasne fidem ipsum inventurum in terris?* Luc. 18,8. *Quemadmodum ergo solatium hoc magnum est, quod Deus Ecclesiam Electorum ad finem usq; seculi conservaturus est, contra quam portæ inferorum non prævalebunt: ita videndum est, ut & nobis locus in reliquijs istis electorum relinquatur: quod beneficium ijs continget, qui relictâ mundi colluvie, cum pusillo grege Christi in fide ac patientia expectant promissionem hæreditatis. Et hæc de secundo membro. In postremo describit statum beatorum in vitâ æternâ, paucis, sed efficacissimis verbis:* & sic semper cum Domino erimus. *Cum Domino esse, idem est, ac in vitâ beatâ esse, si-*

*cuti*

*cuti rejecti à facie Domini dicuntur damnati. Ita enim sanctorũ angelorum beatitudo describitur* Matth.18,10. *quod videant faciem patris qui in cœlis est: & Paulus cum beatam ex hac vita migrationem exoptaret, dixit: cupio dissolvi, & esse cum Christo* Phil 1,23. *Iohannes etiam in Apocalypsi de statu beatorum loquens ait, ipsos sequi agnum quocunq;* verit Apocal.14,4. *S.c & Iohannes beatam vitam alterius seculi visione Dei describit* 1. Joh.3,2. *Quin & Christus ipse iys, qui propter nomen suum persecutionem patiuntur, promittit beatam cum ipso conversationem, ubi ego sum, inquiens, ibi & minister meus,* Joh.12,26. *& iterum, Venio & accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum & vos sitis* Joh.14,3. *& Volo pater, quos dedisti mihi, ut ubi ego sum, ibi & illi sint* Joh.17, 24. *Frequens ergo est in scriptura hæc descriptio vitæ beatæ. Nam penes Deum omnia sunt bona, ipse est fons vitæ, lætitiæ & felicitatis sanctæ, ipse adimplet beatos lætitiâ cum vultu suo, delectationes in dextra ejus usq; in finem* Psal.16,11. *Et quemadmodum primorum parentum post lapsum gravissima pœna fuit, ejectio ex paradiso, remotio à conspectu Dei, & privatio dulcissimi colliquij cum ipso: ita beati in alterâ vitâ, post quam in gratiam recepti sunt à Deo, suavius exhilarari non poterunt, quam jucunda visione vultus Dei, alloquioq; ejus, & amicâ conversatione cum ipso. Durabit autem hæc conversatio non ad tempus saltem, sed semper erimus cum Domino: ideo* æterna *vita dicitur, ubi mors ultra non erit; neque clamor, neq; dolor, sed absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum* Apocal.21,4. *Confirmatur ergo hîc articulus fidei, quo credimus vitam æternam: nam beati semper erunt cum Domino, à quo nihil quicquam nos separare poterit* Rom.8,38. *Vocatur hæc vita aliàs in scriptura sinus Abrahæ* Luc.16,2. *manus Dei* Sap.3,1. πλήρωμα *nostrũ* Phil.3,20.

cœlestis Hierusalem, in qua multorum millium Angelorum frequentia, & Ecclesia primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis Heb. 12, 22. civitas Sancta, habens claritatem Dei & Apocal. 21, 10. præfigurata fuit per Enochum, qui ambulavit cum Deo Gen. 5, 22. & cum placeret Domino, raptus est, ut mundo esset admonitio ad pœnitentiam Sir. 44, 16. translatus autem est, ne videret mortem, & non inveniebatur: quia transtulit illum Deus Heb. 11, 5. ut & per Eliam, qui per turbinem adscendit in cœlum 2. Reg. 2, 11. & antiquissimum ejus vestigium in Ethnicorum animis fuisse, ex eo quod de campis Elysijs prodiderunt, colligit Tertullianus lib. 4. adversus Marcionem. Multò verò certiora docet hac de re scriptura, in qua vita æterna credentibus in Christum promittitur, Matth. 7, 21. Joh. 6, 40. Matth. 25, 34 & ab ipsis appetitur, sciunt enim, quod si terrestris domus ipsorum hujus habitationis dissolvatur, ædificationem ex Deo sint habituri, domum non manu factam, sed æternam in cœlis 2. Cor. 5, 1 & confitentur, quod peregrini & hospites sint super terram. Qui enim hoc dicunt, significant, se patriam inquirere & meliora appetunt, id est cœlestem, Heb. 11, 14. Consistit autem vita æterna in perfectâ Dei cognitione, sempiterna ejus visione, æqualitate gaudij æterni, disparitate gloriæ & claritatis, ut & in mutua beatorum lætitiâ Joh. 17, 3. 1. Joh. 3, 2. 1. Cor. 15, 41. 1. Cor. 13, 12. 1. Cor. 2, 9. Quæ omnia ejus sunt generis, quæ à seculo non audita, nec auribus percepta, quæ oculus non vidit, & in cor hominis non adscenderunt Esa. 64, 4. 1. Cor. 2, 9. ideo mirum non est, quod non omnibus omnia placeant, quæ de hoc articulo docentur. Sadducæi enim & Epicuræi vitam æternam planè negant: Arabici animam cum corpore interire, in resurrectione verò ad immortalitatem reviviscere arbitrantur, teste Eusebio lib. 6. histor. Eccles.

cap. 16.

*cap. 16. Cinglius etiam Ethnicos nonnullos vitæ æternæ fecit participes, in præfat. Confes. suæ ad regem Gall. Danæus in Enchir. August. Cap. 94. negat beatos in vita æterna æqualiter omnes Dei gratia fruituros, & se invicem agnituros: negat etiam præmiorum gradus in vitâ æternâ Class. 3. loc. commun: loco 17. Quæ omnia ut erronea in hoc articulo reijcimus, & ijs, quæ scriptura de eo docet, pia simplicitate fidem habemus, reliqua differentes ad illum diem, quo Christus vita nostra apparebit in gloriâ, ubi nos cum ipso semper erimus in gloria* Colos. 3. v. 4.

*Concludit autem Paulus noster postremum hujus capitis membrum his verbis:* Itaque consolamini vos mutuò his sermonibus: *nimirum de gloriosa piorum resurrectione, de Christi apparitione ad judicium, de jucundissima piorum conversatione cum ipso. Etsi enim omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus: inprimis tamen consolatione plena sunt ea, quæ testatur scriptura de statu piorum post hanc mortalem vitam.*

*Vnde & Paulus scribit: Si in hac vita tantum in Christum speramus, miserabiliores sumus omnibus hominibus* 1. Cor. 5, 19. *Grata ergo nobis sit memoria novissimorum sub fine seculi, quæ facilius oblivionem inducent malorum præteritorum: idcirco novissimus dies, redemptionis dies appellatur* Luc. 21, 28. *& resurrectio nostra ad vitam æternam judiciumque ultimum vocatur regeneratio* Matth. 19. v. 28. *quia tunc ad meliorem conditionem felicissimumque statum quasi renascimur, ubi finis erit omnium malorum, & sempiterna in conspectu DEI*

*piorum*

*piorum omnium lætitia. Quem hæc non movent, ut ærumnas hujus seculi fortiter ferat animo, eum nihil quidquam in hoc seculo efficaciter solari poterit.*

## PARAPHRASIS HVIVS PARTIS.

CÆterùm, carissimi de vestris piè defunctis rectè instruendi estis, ne immodicè eos doleatis, ut gentiles facere solent, qui nullam resurrectionis spem habent. Nos autem credimus, Jesum & mortuum esse & à mortuis resurrexisse; ergo credamus, oportet, Deum eos etiam, qui in fide Christi obierunt, resuscitaturum. De ordine verò resurgentium etiam habeo ex mandato Domini, quod vos doceam. In ultimo Christi adventu multi erunt superstites: hi non prævenient in æterna beatitudine eos, qui jam pridem erant defuncti. Nam, cum magnus ille dies Domini illucescet, & filius hominis è statu suo cœlesti prodiens, cum voce Archangeli & clangore tubæ judicium instans intimabit, tunc piè defuncti primũ omnium resurgent, deinde qui adhuc vivi reperientur, simul cum illis resuscitatis pijs rapientur Domino obviam in aëra & tunc in vita beata sempiterno Domini Jesu conspectu fruemur. Quo solatio vos invicem in communi tristitiâ reficite.

## QVÆSTO I.

Annon D. Paulus statuere videtur, quasi pij tantum à mortuis sint resurrecturi, quia scribit v. 14.

Si cre-

Si credimus quod Jesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo?

*Resp. Impiorum resurrectionem negant Iudæi, qui eos prorsus expirare, & æternis tenebris obrui statuunt, ut nunquam redeant in vitam, referente Buxdorfio in Synagoga Iud. cap. 1. Photiniani impios vel non resuscitandos, vel resuscitatos in nihilum iterum à Christo redigendos esse, statuunt, ut ex Smalcij scripto contra theses Franzij p. 409. seqq. apparet. Contra resurrectionem impiorum varia afferuntur dicta scripturæ, ut, quod in Psal. 1, 5. dicitur: Non resurgent impij in judicio.* Esa. 26, 14. *morientes non vivant, gigantes non resurgent* Esa. 43, 17. *Simul obdormierunt, nec resurgent; & inter cætera etiam abutuntur hoc Pauli nostri loco:* Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo *: unde inferunt: ergo impios, qui non per Iesum dormierunt, non adducet. Sed primum hic sciendum est, quod scriptura multis in locis generaliter de resurrectione mortuorum loquatur, ut* Esa. 25, 7. *Auferet Deus velum, quo velatæ sunt omnes gentes. Daniel* cap. 12, 2. *evigilabunt, inquit, quidam ad ignominiam sempiternam* Joh. 5, 29. *venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient votem Filij hominis, & procedent alij ad resurrectionem vitæ, alij ad resurrectionem judicij. Quæ sanè dicta neminem à resurrectione mortuorum excludunt. Iam si Deus judicaturus est orbem terrarum* Act. 17, 31. *si Christus judex est vivorum & mortuorum* 2, Tim. 4, 1. *si omnes stabimus ante tribunal Christi* Rom. 14, 10. *Si & impij rationem reddent ei, qui paratus est judicare vivos & mortuos,* 1. Pet. 4, 5. *necesse erit omnes, etiam impios à mortuis resurgere. Hinc est illa Sententia Augustini in Enchir.*

Cap. 84. *Resurrecturam carnem omnium quicunq; nati sunt hominumatq; nascentur, & mortui sunt & morientur, nullo modo dubitare debet Christianus.* 2. *Sciendum, quod scriptura plerunq; resurrectionem piorum tantum cum resurrectione Christi conjungat, ut* Job. 19, 25. Ose. 6, 2. Joh. 14, 14. 1. Cor. 15, 12. 21, 22. 2. Cor. 4, 14. 2. Tim. 2, 11. *ut & in nostro textu, non quasi exclusi sint à resurrectione impij, sed quia Christus & fideles, tanquam caput & membra arctissimè cohærent: unde Theodoretus in* 1. Cor. 15. *Christum vocat* vadem & obsidem nostræ resurrectionis; *& Tertullianus resurrectionem Christi vocat* exemplum spei nostræ, clavem sepulchrorum nostrorum, & pignus resurrectionis nostræ, 3. *Quod in specie nostrum locum attinet, tres sunt causæ, cur Apostolus resurrectionem describens, nullam fecerit apertè mentionem eorum, qui ad supplicium resurgent, quas annotavit Photius apud Oecumenium in commentar. Prima est, quia Paulus consolari voluit Thessalonicenses articulo de resurrectione ad vitam; ergo non debuit immiscere tristia de resurrectione ad opprobrium. Secunda, quia fidelibus articulum de resurrectione mortuorum notum facere voluit, ergo non opus erat meminisse infidelium. Tertia est, quia Paulus finem resurrectionis nostræ exponere voluit. Non enim fit propter supplicium, sed propter mercedis retributionem. Deus resurrectionem facit ad salutem omnium hominum, ad immortalitatem, ac inenarrabilem gloriam, æternorumq; bonorum fruitionem: Si qui verò in supplicium diabolo & angelis ejus paratum incidunt, id non fit juxta Dei benignitatem, sed secundum propriam cujusq; malitiam, qua intentionem Dei in resuscitatione mortuorum, quò ad se, evertit.*

*Cur Paulus resurrectionem describens non faciat mentionem impiorum.*

## QVÆSTO II.

Cum D. Paulus ultimum Christi adventum non supervixerit, quomodo scribere potuit: Nos, qui vivimus, qui residui sumus, non præveniemus eos, qui dormierunt &c.

*Resp. Negant aliqui, inter quos Benedictus Iustinianus est, Paulum hic de seipso loqui, sed suam personam tantum exempli causa ponere dicunt: quia Paulus jampridem è vivis excessit, neq; novissimum diem jam tum imminere credidit, hoc enim ut errorem, in posteriore epistola refutavit. Methodius apud Theophylactum intelligit verba Pauli de animabus defunctorum, quasi dixerit: Animæ immortales non prævenient corpora in resurrectione: sed corpus simul cum anima resurget ad vitam immortalem.*

*Verùm Apostolus non confert inter se corpus & animam hominis, alias dicendum fuisset: non præveniemus ea: sed homines superstites in novissimo die confert cum hominibus jam pridem defunctis: quod videlicet illi, etiamsi integra habeant corpora, propter quæ resurrectio ipsorum facilior videbatur, non sint præventuri hos, quorum cadavera jam planè computruerunt, quia resurrectio futura erat omnium simul in ictu oculi; & tam facile erit Deo resuscitare putrefactum corpus in momento, ac hominem vivum immutare. Loquitur ergo D. Paulus de ijs, qui in novissimo die supervicturi sunt, quibus etiam se per usitatam κοινωνίαν includit, licet probè sciret, se tum non amplius superstitem futurum, quia inter*

*Christianos omnes est unitas mystica, propter quam id, quod uni evenit membro, ad reliqua etiam suo modo pertinere judicatur, ut B. Hunnius super hunc locum commentatur.*

## QVÆSTIO III.

Num ijs, qui in novissimo die superstites reperiuntur, moriendum erit, antequam Christo rapiantur obviam in aëra?

*Resp. Augustinus, ut in explicatione textus annotavimus, fieri posse affirmat, ut, cum in aëra obviam Christo rapientur, in ipso raptu moriantur, nec ita multò post redivivi resurgant. Oecumenius eos non ita multò antequàm mortui resurgunt, extremum diem clausuros, censet. Verum Paulus in 1. Cor. 15, 51. nodum hunc solvit:* non omnes quidem dormiemus, *inquit*, omnes tamen immutabimur. *Immutatio autem seu καλλαγὴ illa fiet non mutatione ipsius substantiæ corpore, sed qualitatum & συμπτωμάτων illarum, quæ cum corporibus glorificatis non consistunt. Est autem nihil aliud, quam translatio è statu mortalitatis & corruptionis, in statum immortalitatis: quo pacto etiam Enochi & Eliæ corpora in Cœlum viva translata, ejusmodi immutationem seu glorificationem receperunt, siquidem corpora φυσικὰ seu physicis corruptionibus, συμπτώμασι & imperfectionibus alijs obnoxia, in cœlum ingredi non possunt.*

## QVÆSTIO IV.

Erit ne inter resurgentes in novissimo die ordo aliquis temporis, quia Paulus noster scri-

bit

bit: mortui qui sunt in Christo, resurgent primi, deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus &c?

*Resp. Multum in expositione hujus loci sudarunt veteres. Quidam inde collegerunt, fideles in resurrectione mortuorum præcedere impios integris mille annis, quibus regnaturi sint cum Christo, miraq; cum sanctimonia uxores ducturi & liberos procreaturi, summaq; in felicitate victuri, & hanc vocarunt resurrectionem primam, de qua Iohannem in Apocalypsi cap. 20. loqui putarunt. Finitis illis mille annis, dixerunt, reliquos mortales omnes ad vitam revocandos, extremum judicium instituendũ, atq; impijs ad infernale supplicium relegatis, Sanctos ad cœlũ assumendos, ut sempiternam corporũ ac animarum felicitatem possideant. Cujus opinionis sectatores dicti sunt Chiliastæ, qui aliquos ex patribus habuerunt assecias, ut Papiam, Ireneum, Iustinum, Lactantium &c. refutati autem sunt ab Augustino, Victorino, & plurimis alijs, de quibus non attinet hoc in loco plura dicere; Paulus enim noster ne literâ quidem opinionem istam attingit: Sed de resurrectione omnium uno illo die adventus ultimi ad judicium futurâ loquitur. Theodoretus & alij Pauli nostri locum, interpretantur de justis, qui resurrectionis immortalitatem adipiscentur antequam impij revocentur ad vitam: id verò displicet alijs, quia Paulus non comparat impios & justos, cum de improbis ne verbum quidem faciat, Sedulius in verbis Pauli intelligit ordinem dignitatis, non temporis: qui enim in Christi fide hinc discesserunt, resurgent primi, ordine dignitatis, non temporis.*

*Alij faciunt ordinem non inter diversos resuscitandos,*

*sed inter resurrectionem & resuscitatorum raptum in occursum Christi. Qui mortui sunt in Christo, resurgent primum, deinde omnes justi, tam olim quam tunc resuscitati obviam Christo in aera rapientur. Hi ergo omnes non agnoscunt ordinem temporis inter eos qui resuscitabuntur in novissimo die, quia scriptum est: in momento, in ictu oculi resurrectionem contingere* 1. Cor. 15, 52. *Et hanc sententiam sequuntur plerique ex Pontificijs, Iustinianus & Cornelius de lapide super hunc textum, Petrus Thyræus de apparit. filij Dei gloriosa th.* 81. *seqq. Chrysostomus tamen & Theophylactus agnoscunt hic ordinem temporis, quod videlicet resurrecturi sint justi ante impios, ut sint primi in resurrectione, non tantum dignitate, sed tempore, ut pote qui rapiendi sunt in aera, ut Christo judici venienti occurrant; postea verò resurgent impij, ut, qui neque rapiendi sunt in aera, nec Christo occursuri. Cæterum ordinem resuscitatorum fore Paulus expressè docet: Sicut in Adam (inquit) omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: unusquisque autem in suo ordine,* 1. Cor. 15, 23. *Ordinem autem intelligit non tantum dignitatis, sed temporis, præsertim quò ad apparitionem corporum resuscitatorum. Primitiæ resurgentium Christus,* 1. Cor. 15, 20. *In novissimo autem die resurgent per Christum primùm fideles jam olim mortui* 1. Thess. 4, 16. *deinde fideles, quos Christus in ultimo suo adventu in vivis invenerit, immutabuntur, quibus illa immutatio instar mortis & resurrectionis erit, quod ex eodem textu Pauli nostri clarum est.*

*Denique resurgent impij, ut occupet extremum scabies. Ordo autem ille temporis considerandus est, non respectu Dei, sed respectu nostri. Nam Deus ad resuscitandos homines non*

*habet*

*habet opus successione temporis, quia operatio ejus ab infinita virtute proficiscitur, ideo in momento absolvi potest. Unde Paulus testatur, & resuscitationem & immutationem corporum in momento, in ictu oculi futuram 1. Cor. 15, 23. & S. Patres resurrectionem nostram appellarunt momentaneam. In conspectu autem hominum resuscitati non omnes simul prodibunt: sed eo ordine, quem ex scriptura jam indigitavimus: ad quem sanè spatium aliquod temporis requiritur. Omnes simul audient vocem Christi; Surgite mortui: & omnibus simul subitò formabit corpora Deus: Sed ordine prodibunt Christo obviam, primùm fideles olim mortui, deinde fideles, quos invenerit ultimus dies superstites, postea demum etiam impij apparebunt, & sic ordine ante thronum justi judicis constituentur. Quod si in his aliquid manserit dubij, cogitemus illud Augustini in lib. 20. de Civ. Dei cap. 20.* Resurrectionem mortuorum futuram esse oportet, si Christiani esse volumus, ut credamus: sed non ideo inanis est fides nostra, si quemadmodum futura sit, comprehendere non valeamus.

CA-

# CAPUT V.

## ARGVMENTVM ET PARTITIO CAPITIS.

*CVm paulò antè noviſſimi adventus Domini ad judicium mentionem feciſſet Apoſtolus; jam aliquid addit de tempore illius adventus, de quo ita diſſerit, ut Theſſalonicenſes quotidie ad hanc rem paratos eſſe velit, ne tempore minus oportuno à magno illo judice vivorum & mortuorum in peccatis ſuis deprehendantur. His expeditis, generales quaſdam regulas adnectit, quibus varias virtutes eis commendat, & tandem voto & ſalutationibus, more ſuo totam hanc epiſtolam finit. Sunt ergo tres hujus capitis partes.*

I. Prima agit de tempore ultimi adventus Domini uſque ad v. 12.

II. Altera multiplices continet exhortationes, quæ ad vitam verè Chriſtianam ſpectant.

III. Tertia addit preces & ſalutationes.

## PRIMA PARS.

### TEXTVS.

Περὶ δὲ τῶν χρόνων καὶ τῶν καιρῶν, ἀδελφοὶ, οὐ χρείαν ἔχετε ὑμῖν γράφεσθαι.

1. DE autem temporibus & articulis temporum, fratres, non eſt opus ut vobis ſcribam.

Ipſi

Αὐτοὶ γὰρ ἀκριβῶς οἴδατε ὅτι ἡ ἡμέρα Κυρίου ὡς κλέπτης ἐν νυκτὶ, οὕτως ἔρχεται.

Ὅταν γὰρ λέγωσιν, εἰρήνη καὶ ἀσφάλεια, τότε αἰφνίδιος αὐτοῖς ἐφίσταται ὄλεθρος, ὥσπερ ἡ ὠδὶν τῇ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, καὶ οὐ μὴ ἐκφύγωσιν.

Ὑμεῖς δέ, ἀδελφοὶ, οὐκ ἐστὲ ἐν σκότει, ἵνα ἡ ἡμέρα ὑμᾶς ὡς κλέπτης καταλάβῃ.

Πάντες ὑμεῖς γὰρ υἱοὶ φωτός ἐστε, καὶ υἱοὶ ἡμέρας· οὐκ ἐσμὲν νυκτὸς, οὐδὲ σκότους.

Ἄρα οὖν μὴ καθεύδωμεν ὡς καὶ οἱ λοιποὶ, ἀλλὰ γρηγορῶμεν καὶ νήφωμεν.

Οἱ γὰρ καθεύδοντες, νυκτὸς καθεύδουσι· καὶ οἱ μεθυσκόμενοι, νυκτὸς μεθύουσιν.

Ἡμεῖς δὲ ἡμέρας ὄντες, νήφωμεν, ἐνδυσάμενοι θώρακα πίστεως καὶ ἀγάπης· καὶ περικεφαλαίαν, ἐλπίδα σωτηρίας.

Ὅτι οὐκ ἔθετο ἡμᾶς ὁ Θεὸς εἰς ὀργὴν, ἀλλ' εἰς περιποίησιν σωτηρίας διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Τοῦ ἀποθανόντος ὑπὲρ ἡμῶν, ἵνα εἴτε γρηγορῶμεν, εἴτε

2. Ipsi enim planè scitis quod dies ille Domini, ut fur in nocte, ita venturus sit.

3. Quum enim dixerint, Pax, & tuta omnia: tunc repentinus eis imminet interitus, sicuti dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient.

4. At vos fratres non estis in tenebris, ut dies ille vos tanquam fur opprimatis.

5. Omnes vos filij lucis estis ac filij diei: non sumus noctis, neque tenebrarum.

6. Proinde ne dormiamus sicut & cæteri, sed vigilemus & sobrij simus.

7. Nam qui dormiunt, noctu dormiunt: & qui inebriantur, noctu sunt ebrij.

8. At nos qui sumus diei, sobrij simus, induti thoracem fidei & charitatis: & pro galea spem salutis.

9. Quoniam non constituit nos Deus ut jram nobis concitemus, sed ut salutem consequamur per Dominum nostrum Jesum Christum.

10. Qui mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus sive dor-

καθεύδωμεν, ἅμα σὺν αὐτῷ ζήσωμεν.

Διὸ παρακαλεῖτε ἀλλήλους, καὶ οἰκοδομεῖτε εἷς τὸν ἕνα, καθὼς καὶ ποιεῖτε.

miamus, simul cum illo vivamus.

11. Quapropter adhortemini vos mutuo, & ædificetis singuli singulos, sicut & facitis.

*HActenus de modo Adventus Dominici & Resurrectionis nostræ: jam de tempore sequitur: Primum membrum hujus partis exponit temporis incertitudinem:* De temporibus autem & momentis, fratres, non indigetis, ut scribamus vobis, v. 1. *Distinguit tempora & momenta, χρόνους καὶ καίρους, tanquam latius & angustius. χρόνοι enim significant, annum, mensem, diem, horam, quæ omnia generaliora sunt: καιροὶ verò, articulum certum & qualitatem temporis, tempus videlicet vel nocturnum vel diurnum, matutinum aut vespertinum, item oportunitatem temporis. Salvator hæc ita expressit: Nescitis quando veniet, serò, an media nocte, an gallicinio, an manè* Mar. 13, 32.

*Hoc ergo vult Apostolus, non esse opus, ut prolixè calculum subducat, quo anno, die, vel hora, venturus sit Dominus ad judicium, quia Thessalonicenses tam curiosi non sint, ut tempus illud scire desiderent. siquidem sciant, adventum illum Domini fore subitaneum, qui nihil minus opinantibus hominibus sit superventurus. Rationem hanc addit v. 2.* Ipsi enim diligenter (ἀκριβῶς) scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.

*Sciebant hoc ex crebris Pauli concionibus, qui hæc ex ore Domini repetit. Nam & Dominus Iesus ultimum suum adventum comparat adventui furis, quia inexpectatus subitusq; erit. Si sciret paterfamilias, ait, qua horâ fur venturus esset, vigilaret utiq;, & non sineret perfodi domum suam: ideo*

& 05

*& vos estote parati, quia nescitis, qua hora filius hominis venturus est*, Matth. 24, 43, 44. Luc. 12, 39. & Apoc. 3, 3. *Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & nescies, qua hora veniam ad te*: Apocal. 16, 15. *Dicit Dominus: ecce venio sicut fur, beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua &c. Eadem phrasi utitur Petrus* 2. Pet. 3, 10. *Adveniet dies Domini, ut fur. Nihil autem aliud notatur, quam tempus inopinatum, id quod Paulus mox explicat similitudine mulieris prægnantis*: Cum enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet iuteritus, sicut dolor partus in utero habenti, & non effugient v. 3. *Notatur hic magna securitas, quæ præcessura est novissimum adventũ Domini, qualem etiam Christus prædixit* Matth. 24, 37. *ubi tempora novissimi seculi cum temporibus Noæ ante diluvium comparat. Semper enim reperiuntur, qui prædictiones novissimi diei ludibrio habent, cujusmodi empectas D. Petrus etiam notavit* 2. Pet. 3, 3. *qui, licet non omnes verbis proferant securitatem cordis sui, ipsâ tamen vitâ produnt cogitationes suas, quod nimirum pro nihilo habeant, quidquid de adventu Christi ad judicium dicitur. Hos terret appositissimâ similitudine de muliere prægnante, quæ cum impijs & eorum securitate diversimodè cognationem habet* (1.) *Primum enim mulier cum voluptate concipit, & cum dolore parit: sic & voluptates hujus seculi inescant impios, quas tandem in die judicij non sine gemitu & dolore eructabunt.* (2.) *Mulier doloris sui causam non aliunde expectat, sed secum in utero gestat: S. & impij non habent, quod conquerantur de facta sibi injuria, cum ad pœnas rapiuntur; ipsi enim pœnarum causas secum habent, propriam malitiam, quam ut deponant, nullis precibus, aut admonitionibus adduci potuerunt.* (3.) *Mulier prægnans scit quidem se certò parituram, sed sæpè ex improvi-*

*Securi similes sunt mulieri prægnanti.*

*se parit, cum tempus partus adhuc procul esse putat. Dominus autem est, qui reserat ejus uterum, quo tempore ipsi visum est, multum fallit interdum humana computatio: ita impij ex dictamine propriæ conscientiæ quidem habent, delicta sua non fore impunita, quin & horror extremi judicij ipsos sæpenumero invadit: sed multum adhuc restare temporis opinantur, interim pœnitentiam procrastinant, in mali tiâ consenescunt, & pœnis sibi debitis, ex justo Dei judicio, subitò præoccupantur. (4.) dolores prægnantium sunt intensissimi: sic & impij non levem aliquam læsionem corporis sentient, sed interitus expectat eos, non quidem ita, ut unà cum vitâ dolor quoq; desinat, sed interibunt à facie Domini, in æternâ damnatione, ubi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur* Esa. 66, 24. *(5.) Mulier prægnans dolores partus non effugere potest, licet tempus partus ignoret. ita & impij non effugient, inquit Paulus noster, etiamsi pœcem & securitatem frustra sibi sint pollicitī.*

*Hæc est Doctrina Apostoli, de tempore adventus Christi, quæ monet, I. De certo tempore adventus Christi ad judicium nihil esse docendum in Ecclesia, exemplo Pauli: de die enim illa nemo scit, neq; Angelus, nisi solus pater* Matth. 24, 42. *imò ne filius quidem scit* Marc. 13, 32. *Neque utile est, vel necessarium, in istis esse curiosum: sufficit pio homini, nosse certò venturum esse filium hominis ad judicium, quando autem venturus sit, scire non decet: quia tale desiderium est prohibitum* Act. 1, 7. *& ad salutem plus detrimenti, quam eommodi affert. Neq; existimandum diem quidem & horam novissimi diei esse incertam, annum autem sciri posse. Paulus enim noster & de temporibus in genere, & de articulis temporum in specie docere nihil vult, & Christus similiter, nostrum non esse ait, vel tempora vel momenta temporum nosse* Act. 1.

hæc

hæc enim simpliciter à voluntate Dei dependent, de qua absq; verbo revelato scrutari nobis aliquid non licet. Ipse omnium calculantium digitos resolvit, & quiescere fecit, scribit Augustinus lib. 18. de civ. Dei, cap. 53. Et tempus nemo curiosè inquirat, ait Cyrillus Hierosolymit. Catech. 15. non enim est nostrum, scire tempora, quæ Deus posuit in potestate sua, neque audeas determinare, quando hæc fient. Ideo semper risui se exposuerunt, qui calculum hoc in genere subducere ausi sunt: quales fuerunt, quorum August: lib. 18. de Civ. Dei cap. 53. meminit, qui vel in quadringentesimum, vel in quingentesimum, vel etiam in millesimum annum ab ascensione Domini in cœlos, ultimum ejus adventum retulerunt. Talis fuit olim Abbas Ioachimus ex Calabria, juxta quem adventus Christi ad judicium in annum 1258. incidit: prædixit enim Vrbano III. Pontifici, futurum diem novissimum post duas generationes id est, post 70. annos, Papa verò anno 1188. mortuo est, quibus 70 anni seu duæ generationes additæ constituunt 1258. annos. Arnoldus de villa nova huic rei annum 1345, Michael Stifelius annum 1533. & nominatim diem Lucæ. Cyprianus Leovitius annũ 1583. notante Bodino lib. de dæmonom. cap. Iohannes Regiomontanus annum 1588. Adelbertus Thermopedius annum Christi 1599. & nominatim 3. Aprilis huic rei tribuit, quos omnes eventus jam pridem temeritatis arguit. Nonnulli terminum istum longius protrahunt. Andreas Osiander senior ex sua cabala annum 1689. Iohan. Picus Mirandulanus annum 1904. Nicol. Cusanus in lib. de die noviss. annum 1700. Cardanus lib. 2. de rerum varietate annum 1800 huic rei deputavit: usq; adeò viris doctis ludere placuit in re seriâ. Hujus generis erant Hutitæ, quos Lindanus in Dubitantio nominat, à quodam Huto sic dicti, qui, quod diem Domini jam præsentem crederent, genialiter cepe-

runt vivere, donec inopia eos cogente, ad labores priores redierunt. Habuit autem Deus suas rationes, cur ista à nobis ignorari voluerit, quia nimirũ nihil prodest ad salutem hæc notitia: imò potius obesset: ideo noluit Deus nos in talibus esse curiosos, quæ securitatem potius, quàm pietatem augent. Vtiliter Deus latere voluit illum diem, ut semper paratum sit cor ad expectandum, quod esse venturum scit, & quando venturum sit, nescit, ait Augustinus Com. 1. in Psal. 36. Noa certus de diluvio de tempore non erat solicitus, sed in vero timore Dei diem illum magnum Dei præstolabatur, & ipse servabatur cum suis: sic & nos nihil dubitantes de judicio novissimo, non simus curiosi de tempore: sed quotidie parati inveniamur, ut digni simus effugere ea omnia, quæ ventura sunt, & stare coram filio hominis, sicut Christus hortatur, Luc. 21. 36. tunc unicuique veniet dies ille, cum venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis judicandus est illo die. Ac per hoc vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum eum inveniat Domini adventus: imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum inveniet suæ vitæ ultimus dies, rectè ait iterum Augustinus epist. 80. ad Hesychium.

II. Omnis securitas carnalis cum periculo est conjuncta, & plerunq; impij omnium sunt securissimi, cum pernities ipsorum propè est. Ita fiet in novissimo die, qui de repente superveniet impijs, pacem & securitatem sibi pollicentibus. Idem de temporibus Noe dicit Dominus Matth. 24. 38. erant edentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, & non cognoverunt, donec veniret diluvium, & auferret omnes. Babylonij ædificantes turrim, cujus vertex attingeret cœli culmen, optimè rebus suis contra diluvium, si quod denuo immitteretur, prospexisse videbantur: subitò autem & admirando Dei consilio dispersi sunt, ut ab opere vix incoato desi-

stere

stere cogerentur, non sine magno rerum suarum detrimento Gen. 11,7, 8. Ægyptij securam noctem dormiebant, cum Dominus omne primogenitum eorum cæderet Exod. 11, 4, 5. Pharao cum suis securè pariter & animosè persequebatur Israelitas usq; ad mare rubrum, certam sibi internecionem populi istius pollicitus, sed de repente ejus adveniebat interitus Exod. 14, 20, 21. Dives ille apud Lucam vitam meditabatur tranquillam, multosq; adhuc annos sibi promittebat, sed ea ipsa nocte anima ab ipso tollebatur Luc. 12, 20. Est hæc conditio securitatis carnalis, ut plerumq; secum attrahat exitium, quia ab oculis hominum removet timorem Dei, & ad mala multa invitat. Non est timor Dei ante oculos injusti ait David Psal. 36, 2. beatos prædicat arrogantes, quia ædificati sunt, licet faciant impietatem Malach. 3, 15. defixi in fecibus suis impij dicunt: non faciet benè Dominus, nec faciet malè Soph. 1, 12. & quia non profertur citò contra ipsos sententia, absq; timore ullo perpetrant mala Eccl. 8, 11. Ideo Deus justus scelerum vindex subitò malos eos obruit, & tarditatem pœnæ gravitate compensat. Non igitur sis securus, etiamsi ad peccata aliquandiu Deus conniveat, ut porrò pergas peccare: brevi enim potest ejus ira desscere ira Sir. 5, 5. seqq.

III. Impietas tandem justas luit pœnas: repentinus enim impios manet interitus, quē non effugient, inquit Apostolus. Opponendum hoc est querelis hominum, qui cum felicitatē impiorū temporalem vident, Deum injustitiæ accusant, qui contra tenorem legis suæ malis benefaciat, & bonis malè: quæ de re extant querelæ etiam sanctorum Psal. 33, 3. seqq. Job. 12, 6. Habac. 1, 3. contra quas querelas totus Psalmus trigesimus septimus scriptus est. Non enim injustus est Dominus, qui scelera relinquat impunita, sed longanimitate sua ad patientiā vocat peccatores, Rom. 2, 4. quam cum non impetret, inevitabiles tandem immittit pœnas. Deus enim justus judex, fortis & pa-

tiens

*tians, irascens per singulos dies: nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit, arcum suum tetendit & paravit illum: & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentes effecit* Psal. 7,12. seqq.

*Extimescant ergo Dominum Deum suum omnes, qui meditantur iniquitatem, si non virtutis amore, tamen formidine pœnæ. Verè enim horrendum est incidere in manus Domini, horrendum est laborare in iniquitate & lassari, & non nisi pœnam præmij loco obtinere: horrendum est, non levem aliquam calamitatem, sed interitum præ oculis videre: horrendum denique est, hunc interitum effugere non posse. Nulla enim hic est rima elabendi, non vis, non pecunia, non amici, vel sodalitia prava interitum illum declinare poterunt: sed tam certò excipiet impios, quam dolor parturientem. Inculcanda igitur sunt hæc verba sedulò ijs, qui jam habitum peccandi contraxerunt, & lenitate Dei aut promissione facta pijs, coherceri se non patiuntur. Qui enim interitum suum non reformidat, eum extremè desperatum esse, necesse est. Satis autem de primo membro hujus partis.*

*In secundo consolatio additur pro pijs, ne ultimum Domini adventum pertimescant.* At vos fratres (inquit) non estis in tenebris, ut vos dies ille tanquam fur comprehendat v. 4. *Cum novissimum Christi adventum propter subitaneam ejus appropinquationem furi noctu in domum irruenti comparavit, jam in eadem similitudine manet, & ut impijs hunc adventum Domini formidandum esse ait, quia in tenebris ambulant, ubi facile opprimi possunt: ita docet, pios non habere, quod metuant, quia non vivunt in tenebris, sed in luce, ubi adventum illum Domini eminus quasi videre possunt, qui non instar furis eos opprimet (is enim non in aperta luce, sed in tenebris sua exercet opera) sed ex præcedentibus*

*signis*

*signis agnitus, salutaris eis illuceſcet. Tenebræ ſignificant hic ignorantiam Chriſti & officij ejus, unà cum carentia fidei & timoris Dei: quas tribuit impijs, qui dicunt in corde ſuo, non eſſe Deum, h. e. non curant Deum, nec judicium aut adventum ejus credunt: ideo tandem dies ille Domini criticus ex improviſo eos obruit. Tenebris opponit lucem h. e. notitiam Chriſti, fidem & timorem Dei eamq; tribuit pijs.* Omnes enim vos, *inquit*, filij lucis & dici eſtis, non ſumus noctis, neque tenebrarum *v. 5. h. e. rectè inſtituti de Chriſto, illuminati à ſpiritu Chriſti, habentes fidem in Chriſtum, verumq; Dei timorem, quippe qui per regenerationis beneficium erepti eſtis ex poteſtate tenebrarum. Ideo vos non opprimet Chriſtus inopinato ſuo adventu, ſed quia ſemper ad illum parati eſtis gloriosà ſua præſentiâ vos ſolabitur. Apparet hinc, quorum hominum reſpectu adventus ille Domini furi comparatus fuerit, nimirum reſpectu impiorum potiſſimum: quos tanquam ſub nocte peccatorum ſepultos, ſubitò terrebit, ſicut fures ſolent noctu dormientes: pios verò terror ille non attinget, quia in luce vivunt, ſemperq; ad excipiendum Chriſtum parati ſunt, & adventum illum ſponſi cum deſiderio expectant, cum quo ingreſſuri ſunt ad nuptias cœleſtes, ubi non horror & terror, ſed gaudium & exultatio locum habet.*

*Obſervanda hic eſt notatio infidelium & impiorum, qui dicuntur in tenebris eſſe: alibi vocantur tenebræ* Eph. 5, 8. & *filij* Diaboli, Act. 13, 10. *filij iniquitatis* 2. Sam. 3, 34. Pſal. 89, 23. *filij maledictionis* 2. Pet. 2, 14. *Notatur autem his vocibus miſerrima hominum conditio, qualis eſt eorum, qui ſunt extra Eccleſiam, aut manifeſtè impij & planè deſperati. Hi vivunt abſq; timore Dei abſq; fide in Chriſtū, abſq; ſpe futuri boni, præda ſunt* Diabolorum, *in cujus laqueis dicuntur captivi ad omnem nequitiam. Opera ipſorum amant tenebras,* Obſerv.

*ideo difficulter trahuntur in lucem, negantur, palliantur, in alios transferuntur, & tandem etiam mercedem suam in tenebris æternis inveniunt. Hos ex improviso obruet terribilis ille dies Domini, quia nunquam de eo seriò cogitarunt, imò nunquam crediderunt eum vel venturum, vel tam propè esse: ideo in peccatis suis inventi pœnas securitatis suæ luent justas, quod Christus docuit in parabola de servo inutili, quem dividet Dominus, & partem ejus cum infidelibus ponet* Luc. 12. 45. seqq.

*II. Deinde observanda hic est notatio fidelium & verorum Christianorum, qui vocantur filij lucis & diei v. 5. eadem appellatio repetitur* Luc. 16, 8. Joh. 12, 36. Eph. 5, 8. *Alibi vocantur Lux in Domino* Eph. 5, 8. *lux mundi* Matth. 5, 15. *luminaria mundi* Phil. 2, 15. *Ostendit hæc appellatio indolem piorum, qui ad veram Dei & voluntatis suæ agnitionem adducti ambulant in luce, h. e. talia opera faciunt, quæ lucem & conspectum hominum non formidant, de quibus Christus* Joh. 3, 21, *qui fecit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. Hi non timent diem Domini novissimum, nec opprimentur ab eo, quia bonâ fruuntur conscientiâ, quæ facit eos imperterritos, & operum ejusmodi sibi conscij sunt, quorum ipsos non pudere potest in die mortis & judicij. Sic Ambrosius mori non timuit, quia bonum Dominum habuit; & D. Iohannes, veni Domini Iesu, etiam veni,* Apoc. 22, 20. *Cum tamen non esset nescius, venturum ipsum ad judicium: quia filij lucis non venient in judicium,* Joh. 5, 24. *Hæc est illa sancta securitas piorũ, bona videl. conscientia, quæ ad judicium Dei provocare possunt, exemplo D. Pauli,* Cor. 4, 4. *quia sciunt, quod in hoc judicio confusionem non patientur. De hac securitate Bernhardus scribit ad milites templi: O vita secura, ubi absque formidine mors*

(Sic

(*Sic & extremum judicium*) expectatur, imò & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum devotione: & *Hugo lib. 3. de anima Deum sic alloquitur*: Sic comedo, bibo & dormio securus, quasi jam transierim diem mortis, & evaserim diem judicij, & tormenta inferni: sic ludo, & rideo, quasi jam regnem tecum in regno tuo &c. *Hoc filij lucis facere possunt: nam in luce est gaudium & tranquillitas: in tenebris verò horror & tristitia. Hæc etiam de secundo membro. Tertium continet piam exhortationem ad vitam rectè instituendam, ne adventus Domini ultimus nobis fiat noxius. Propositio hujus exhortationis extat v. 6.* Igitur non dormiamus sicut & cæteri, sed vigilemꝰ & sobrij simus. *Dormientes æquipollent filijs tenebrarum, vigilantes verò filijs lucis. Hos sui admonet officij ne dormiant, h. e. ne securè in diem vivant, sed rerum suarum satagant, & ut hos facere possint, sobrij sint: ebrij enim nihil curant, & facile in periculum incidunt. Rationem addit 1. ab adjuncto*: Nam qui dormiunt, noctu dormiunt, & qui ebrij sunt, noctu sunt ebrij v. 7. *Utrumq; filiorum tenebrarum est, qui sub densa caligine ignorantiæ & peccati versantur, hi dormiunt, h. e. securi sunt quemadmodum nox inprimis somno & securitati destinata est; talis autem vita à filijs lucis aliena est, qui his ipsis adjunctis sui admonentur officij, ne vel negligentes fiant per somnolentiam, vel oblivioſi per ebrietatem: sed cauti sint, ut vigilantes, & sobrij tanquam in die res suas agẽtes. 2. Secunda ratio est à propria Christianorum conditione, sunt enim milites Christi, quos oportet vigilare & sobrios esse.* Nos autem qui diei sumus, sobrij simus, inquit, induti loricam fidei & caritatis, & galeam spem salutis v. 8, *Sobrietati addit armaturam Christianam, ad quam gestandam ebrij non sunt apti. Ex fide & caritate facit loricam, qua munita pectus, quod fidei erga Deum & caritate erga proximum*

*munitum, adversus quemvis impetum consistit. Spem salutis confert galeæ, qua caput tegitur, quia spes semper facit erectos in pugnâ, constantes in periculis, pollicitando auxilium Dei, & coronam justitiæ legitimè certantibus. 3. Tertia ratio petitur à fine. Nam à Deo parata nobis salus est, quæ non nisi vigilantibus contingit, quos ad eam Christus Iesus ultimo suo adventu adducturus est. Qui verò genio indulgent suo & securè in diem vivunt, iram sibi accersunt, qua illis parcere mallet Dominus. De hac ratione singulari studio agit. Paulus v. 9. & 10,* Quoniam non posuit nos Deus ad iram, sed in adquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum; qui mortuus est pro nobis: ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. *Consideratur hic salus hominum æterna, secundum omnes suas causas. Causa efficiens est gratuita Dei misericordia, quæ indicatur voce* ἔθετο, *Deus posuit nos &c. Intelligitur autem* θέσις *illa, seu consilium & decretum, quo quid certò constituit Deus de hominibus, quæ alibi vocatur* πρόθεσις *propositum Dei Rom 8, 28. quia ab omni æternitate factum immutabiliter, antequam adhuc homines essent: unde colligitur id quod Deus de salute nostra constituit, ex mera gratia profectum, absq; intuitu nostrorum meritorum, id quod Apostolus alibi typo Iacobi & Esavi declarat, quorum illum dilexit Deus præ isto, antequam boni vel mali quid fecissent* Rom. 9, 11. *Causa meritoria est Christus Iesus in morte ac passione suâ consideratus, in quo Deus dilexit eos, quos æternum salvare constituit. Etsi enim decretum illud salutis est gratuitum; non tamen est absolutum, sed in Christo factum, sicut Paulus alibi scribit: elegit nos in Christo, secundum propositum voluntatis suæ* Eph. 1, 5. *Causa instrumentalis ex parte nostra non quidem expressè ponitur: innuitur tamen voce* περιποίησεως, *seu adqui-*

*sitionis.*

*sitionis. Adquiritur autem salus à nobis per fidem, qua Christi meritum appræhendimus* Joh. 1, 12, *unde gratia salvari dicimur, per fidem* Eph. 2, 5.

*Salutis nostræ additur descriptio partim negativè partim affirmativè. Non enim est ira, sed vita. Ira complectitur omnem maledictionem corporis ac animæ peccatoribus ex lege justitiæ Dei debitam, Deo enim irascente, omnis hominum perit gratia. Vita verò notat omnem benedictionem hujus & futuræ vitæ: vita verò cum Deo est æterna beatitudo, quam Deus præparavit diligentibus ipsum ante constitutionem mundi. Et hæc vita certa est pijs, sive dormiant, sive vigilent: sive mortui sint, sive superstites reperiantur in novissimo Domini adventu: semper enim sunt in manibus Domini, nec Deum pœnitet suorum beneficiorum, ita ut in extremis vitæ periculis de salute sibi decretâ dubitare nequeant. Hæc fuit tertia ratio exhortationis ad sobrietatem & vigilantiam. Usum postea videbimus. Concludit autem Apostolus primam partem hujus capitis obtestatione, ut nos mutuò hortemur ad sobrietatem & vigilantiam, ijs, qui expectant cum gaudio diem novissimum, apprimè necessariam:* Propter quod, *inquit*, consolamini invicem, & ædificate alterutrum, sicut & facitis, v. 11. *Consolatio in eo consistit, quod adventus Christi salutaris erit & malorum omnium finis: exhortatio in eo, quod non nisi vigilantibus, pijs & fidelibus talis erit. Qua in re consolatione opus est ne deficiamus in periculis, aut terreamur ijs, quibus ultimus Christi adventus describitur ut tremendus & horribilis: adhortatione verò, ne obbrutescamus in rebus secundis, sed utrobiq; in æquilibrio q. constituti, verbis & factis nos mutuo exædificemus.*

*Monemur hoc membro* 1. *Ebrietatem & socordiam esse opera tenebrarum. Nam qui dormiunt, noctu dormiunt, &*

*qui ebrij sunt, noctu sunt ebrij, inquit Paulus v, 7. idq; ideo, non tantum quia nox aliàs ad somnum & quietem apta, & post finitos diurnos labores genio multi liberalius indulgent: verum etiam, quia & socordia & ebrietas multorum malorũ mater est, quæ lucem fugiunt, & tenebras amant. Nam otia dant vitia, multaq; mala docuit otiositas inquit Siracides* cap. 33, 29. *ebrietas etiam ad libidinem incendit* Prov. 20, 1, Eph. 5, 18. *facultates dissipat* Prov. cap. 25, 20. *furores & rixas excitat* Prov. 20, 1, 23, 29. Ose. 7. 5. Sir. 33, 40. *Quæ certè ejusmodi opera sunt, propter quæ venit ira Dei super eos, qui faciunt ea, & quæ individuum comitem habent confusionem. Recordemur ergo, nos filios lucis esse, & fugiamus infrugifera illa tenebrarum opera, vivamq; autem in luce conspectu omnium sobrij & circumspecti, ut luceat semper lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona, & glorificent patrem nostrum, qui in cœlis est,* Matth. 5, 17.

*II. Omnes pij sunt milites Christiani induti armatura Dei, quam Paulus describit, & hoc in textu, & ad* Eph. 6, 16. *Quemadmodum autem milites inprimis pectus & caput muniunt, de reliquis membris non adeò solliciti: ibi enim principium vitæ, hîc sensuum est; quibus munitis vulnera in reliquo corpore facilè curantur: ita Paulus noster pectori & capiti spiritualia aptat arma. Pectori thoracem constante fide & caritate. Fides ex anteriori parte nos immunes servat Deo: caritas à posteriori promtos nos reddit proximo. Nam cor fidele totum pendet à Deo, sciens ipsum nobis placatum esse per Christum, qui pro nobis passus est & mortuus, qui in cœlum adscendit, ibique locum nobis paravit, ut ubi ipse est, simus & nos.*

*Et sic fides hominem è mundo sursum quasi elevat ad Deum, ut superna curet, terrenorumque facilè obliviscatur. Interim Caritate, per quam fides efficax est, adhæret adhuc proximo, cui à tergo q. manus porrigit, & inservit, qua ratione in operibus divinitus præceptis, quotidie laboriosus reperitur. Et sic ab utroq; parte probè munitus est, ne diabolus suis aculeis pectus suum impetere possit. Capiti aptat Apostolus galeam spei: nam quorum cor tentationibus invadere non potest Satan, horum capita petit tribulationibus & persequutionibus, quibus multi supprimunt, quibus tentationes Satanæ nihil nocuerunt. Hic spes nos tegit instar galeæ; quæ pollicetur auxilium Dei, meliorem sortem, finem malorum & largam compensationem in futurâ gloriâ.*

*Quilibet igitur ad pugnam paratus sit, & ne nudus in arenam descendat, caveat, sed fide ac caritate pectus, spe caput muniat, ita, si qua infligentur vulnera per impatientiam, vitæ tædium, languorem in precibus; & similes defectus, facilius sanabuntur. Ideo Paulus bonam militantes militiam, fidem & bonam conscientiam retinere jubet 1. Tim. 1, 19. illâ propter Deum opus est, hac propter proximum; utraque in medijs ærumnarum undis animum tranquillum reddit.*

*III. Duo sunt tentationum genera, quibus impeditur consecutio salutis æternæ, unum aggreditur nos à dextris, res nimirum prospera; alterum à sinistris, videlicet gloria mundana: illâ inebriantur homines, ut sui ipsius obliviscantur: hac securi fiunt, ut aliorum obliviscantur, ac si nullius amplius indigeant.*

*Contra illam opus est sobrietate, ut reverenter habeamus fortunam nostram. Contra hanc vigilantiá, ut nos cum casu semper ambulare meminerimus: utrobiq; modestia requiritur, ne mundo abutamur, juxta admonitionem Apostoli* 1. Cor. 7, 31. *Et hæc est vera præparatio ad diem novissimum, ad quam Paulus noster hortatur, quæ consistit in oblivione mundi, & in desiderio cœli, quod Paulus se fecisse scribit: Quæ retrò sunt, obliviscor, ad ea verò quæ ante me, extendo meipsum* Philip. 3, 13.

*IV. Inmensa Dei misericordia ex eo elucet, quod non posuit nos ad iram, sed ad salutem consequendam. Unde sequitur quidquid iræ nomine venit, sive sit maledictio æterna, sive pœnæ temporales, sive calamitates aliæ, principaliter non à Deo, sed aliunde suam habere originem. Ira enim cum odio conjuncta est: Deus autem diligit omnia, & nihil odit, quod fecit* Sap. 11, 25. *Maledictionem æternam, quod attinet non vult, ut ullus pereat, sed ut convertantur omnes* 2. Pet. 3, 9. *de temporalibus pœnis Esaias ait, Deum alienum opus facere, ut suum opus efficiat* Esa. cap. 28, 21. *& Ieremias ipsum, non ex corde humiliare* Thren. 3, 33. *Calamitates autem non possunt ab irato Deo esse, quia immittuntur piis, quibus jam placatus est Dominus. A peccato igitur est ira Dei, qui punit peccatores, quos salvare mallet. Quidquid ergo pijs accidit adversi, æquo ferant animo, quia non ad iram positi sunt, etsi maximè ira appellanda esset paterna ista Dei castigatio; vix tamen ad momentum durat illa ejus ira: ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus: ad vesperum morabitur fletus, & ad matutinum lætitia* Psal. 30, 6.

*V. Deus posuit nos ad consequendam salutem per Iesum Christum, qui pro nobis mortuus est. In his Apostoli verbis comprehenditur mysterium salutis nostræ. Primum salus*

*nostra, est fortuita, sed ad hoc à Deo positi sumus, ut salvemur. Hæc θέσις sive positio est decretum Dei de salute nostra, quod alias decretum electionis appellatur. Factum est hoc decretum ab æterno, electi enim sumus ante constitutionem mundi* Eph. 1, 4. *unde alibi vocatur* προθεσις *propositum Dei* Rom. 8, 28. 2. Tim. 1, 9. *quia præcedit omnium hominum opera, imò homines ipsos: ideo merè est gratuitum, nullum enim in homine meritum invenit Deus, cujus intuitu eum salvare decerneret. Quemadmodum ergo ex gratia salvari dicimur* Eph. 2, 8. *ita & ex gratia factum est salutis decretum, siquidem eadem semper ratio est decreti & executionis ejus. Deinde decretum hoc non est absolutum, sed suum habet ordinem, in quo includitur (1.) Christus cum suo merito: ideo per Christum pro nobis mortuũ ad salutem positi dicimur, & in Christo electi* Eph. 1, 5. *(2.) fides apprehendens, Christũ ideo nõ simpliciter ad salutem positi sumus,* sed ad adquisitionem *salutis, quæ fit per fidem, quæ quemadmodum sola justificat* Rom. 3, 28. Galat. 2, 16. *ità & sola ex parte nostra decretum justificationis & electionis nostræ ingreditur, qua de causa electi dicimur in fide veritatis* 2. Thess. 3, 13. *Ratio hujus ordinis est, quia Deus in decreto salutis nostræ non considerat hominem simpliciter in se & natura sua, ita enim nullâ opus fuisset electione ad salutem, quia jam ante ad eam erat conditus* Sap. 2, 23. *sed in peccatis suis, quibus vitam æternam prodegit. Ibi opus erat expiatione peccatorum, quæ per solum Christum facta est* 1. Joh. 2, 2. Esa. 63. *ipse enim solus intravit in' sancta, per proprium sanguinem, nobis æternâ redemtione inventâ* Heb. 9. 12. *Hujus ergo meriti intuitu decretum fecit Deus de salvandis peccatoribus, non simpliciter omnibus, sed salutem illã sibi adquirentibus per fidem. Hæc enim est voluntas Patris, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, vitã habeat æternã* Joh. 6, 40.

*Hæc est doctrina Spiritus Sancti de electione nostra ad salutem.*

*Non est fortuita, sed divinitus decreta, quia* posuit *nos Deus: non est meritoria, sed gratuita, quia* ab æterno *posuit, cum nondum essent homines: non est absoluta, quia* per Christum *pro nobis mortuum posuit nos: non est absque fide, quia non ad salutem, sed* acquisitionem salutis, *quæ fide fit, posuit nos. Vnde constat, quomodo fides ingrediatur hanc θέσιν, sive decretum Dei de electione nostra, nimirum non ut causa meritoria, sed ut medium, per quod salutem nobis adquirimus: nec pro ut actu jam existit, sed ratione intuitivâ, seu quatenus Deus eam ab omni æternitate in hominibus futuram vidit. Nihil enim latere potuit Deum, quia novit omnia, quod in homine est, & ante ejus oculos omnia sunt præsentissima, etiam dum nondum extant. Est ergo Dei decretum propositum & voluntas causa quidem salutis, sed non solitaria, requiritur enim etiam Christus fide apprehensus: ideo Deus vult quidem omnes salvos fieri, & quidem seriò vult, etiam interposito juramento* Ezech. 18, 24. 33, 11. *nec tamen omnes salvi fiunt, quia salutem illam sibi non adquirunt, h. e fidem non habent in Christum pro ipsis mortuum. Neque causa penes Deum est, quod multi fidem non habent, ipse enim posuit nos etiam ad adquisitionem salutis, h. est, vult, ut apprehendamus Christum & vitam æternam, vult ut omnes osculemur filium, & fidem in ipsum habeamus; ideo & omnibus dedit media, quibus fides datur & conservatur, verbum nimirum & sacramenta: sed hominum est negligentia, qui mediis illis non utuntur: ita Deus manet extra culpam damnationis: damnati verò sunt ἀναπολόγητοι, qui oblatam gratiam & media salutis malitiosè repudiarunt. Colligimus hinc, voluntatem Dei de salute hominum, in sese quidem unam*

atq; simplicem, adeoq; primam esse causam in ordine decreti divini: geminum tamen habere respectum: uno respectu dicitur antecedens, altero consequens: illa definit, quibus medijs Deus omnes salvatos cupiat; hæc quid homines actu faciant, vel non: illa considerat Electionis ordinem & finem, quatenus ex parte Dei sunt ordinata, & omnibus hominibus exæquo offeruntur: hæc eundem ordinem considerat, quatenus ab homine acceptatur: illa ex Deo consistit, hæc ex nostra causa, ut Damascenus loquitur lib. 2. orth. fid. cap. 29. illa decretum tantum unum habet: Volo omnes salvari & ad agnitionem veritatis venire 1. Tim. 2, 4. hæc geminum habet decretum: nam quia homines vel acceptant oblata media salutis, vel respuunt, Deus etiã diversimodè de ipsis decernit, de illis nimirum, ut salventur, de his verò ut damnentur. Utrumq; decretum conjungit in dicto Ioh. 3. Sic Deus dilexit mundum. Decretum electionis & salutis est: Omnis qui credit in filium, habeat vitam æternam: Decretum reprobationis & damnationis est: qui non credit, jam judicatus est. Eodem pacto hæc duo decreta conjunguntur Marc. 16, 16. Iuxta hæc igitur decreta Dei judicandum est de salute hominum, unde firma oritur consolatio apud eos, qui media salutis non contemnunt, sed grati utuntur, hi non habent, quod de salute sua dubitent: dona enim Dei sunt ἀμεταμέλητα, & fieri non potest, ut qui ordinem Dei sequuntur, ab ipsa salute aberrent. Hinc Christus dicit, impossibile esse, ut seducantur electi Matth. 24. 24. hinc etiam tanta est περιφορία in Paulo, quod nihil ipsum separaturum sit à Dilectione Dei, quæ est in Christo Rom. 8. 38. item; scio cui credidi, & certus sum, quod potens est depositum meum servare in diem illum 2. Tim. 1, 12.

*VI. Præcipua causa mortis Christi hîc expendenda venit, quæ est* adquisitio salutis nostræ, *ideo vocatur meritoria aut satisfactoria. Dicitur enim* pro nobis *mortuus v. 10, quod passim in scriptura repetitur,* Rom. 15, 8. *1.* Pet. *3, 18.* Hebr. 2, 19. Joh. 11, 50. Tit. 2, 14. &c. *& quia peccata nostra nos maledicti reos fecerant, ideo pro peccatis nostris passus scribitur.* 1. Pet. 3, 18. Gal. 1, 4. Hebr. 10, 12. *Quæ observatio penitus tollit futilem illam glossam Photinianorum, qui dicta scripturæ, quæ testantur, Christum pro nobis mortuum, de quovis commodo, quod inde ad nos redundat, inprimis autem de exemplari passione interpretantur, nequaquam de satisfactoria: h. e. Christum ajunt reliquisse nobis exemplum patientiæ & constantiæ, nihil autem fuisse promeritum, & pro nullo peccato satisfeciſſe. Nam quid est aliud mori pro peccatis, quam morte sua tollere peccata, aut pro eis satisfacere, nam peccatis nullum relinqui potest exemplum? Ideo hæc mortis Christi causa per similem phrasin exprimitur, quæ non ita eludi potest, quod nimirum dederit seipsum* ἀντάλυτρον ἀντὶ πολλῶν, Matth. 28, 20. *Notat autem præpositio* ἀντὶ *non exemplum aut quodvis commodum, sed substitutionem aut vicem unius pro altero, ut patet exemplis* Matth. 5, 28. Joh. 1, 16. Rom. 12, 17, 1. Thess. 5. 15. *Et quomodo sit Christus pro nobis mortuus, explicatur* Joh. 11, 50. *ita nimirum, ne tota gens pereat: &* 2. Cor. 5, 15. *uno mortuo pro omnibus, omnes mortui dicuntur, quod alium sensum habere nequit, quam quod unus loco omnium mortuus sit. Non quidem sumus nescij, D. Petrum scribere, Christum passum in carne, & reliquisse nobis exemplum patientiæ, ut & nos sectaremur vestigia ejus* 1. Pet. 2, 21. *sed hæc est causa passionis sua secundaria, quam aliorum quoque hominum Sanctorum passio & mors suppeditat: primaria verò est expiatio peccatorum, ideo sanguine*

*& mor-*

& morte sua redemtionem æternam invenisse scribitur Heb. 9,12. Et ita requirebat summa nostra necessitas: nam cum maledictioni essemus obnoxij, Christus in morte sua maledictum fieri debebat, ut nos à maledicto legis redimeret, & sic justitiæ Dei satisfieret, qua de re Paulus Gal.3,13,14: 4,4,5. Ideo peccata nostra portare, & disciplinam pacis in se recipere dicitur Esa.53,5. quod nihil aliud est, quam nostro loco mori. In hac ergo morte Christi vita atq; salus nostra est recondita. Nam si unus pro omnibus mortuus est, omnes mortui sunt 2. Cor.5,14. quia efficacia mortis Christi ad omnes se extendit, & Deus mortem Filij sui acceptavit, ut communem victimam totius generis humani pro peccatis suis: ideo Christus in morte peccatum, hoc est victima pro peccato factus dicitur 2. Cor. 5, 21. Esa.53,10.

*VII,* Fructus mortis Christi non postremus est tranquillitas animi & certitudo de salute nostra, in quacunq; sorte vitæ nostræ: ideo enim Christus pro nobis mortuus dicitur, ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum eo vivemus v. 10. Dei enim voluntas est immutabilis, Christi meritum perfectum est & sufficiens: quicunq; verâ fide illud apprehendunt, non est quod de salute sua dubitent, quocunq; tempore moriantur, sive vigilantes sive dormientes vitam finiant. Sunt enim in manu Dei, ex qua nulla vis aut injuria eos rapiet: salvum habent conductum ab eo, in quo vivunt, sunt & moventur: is vigilantium gressus dirigit, & omnem viam eorum facit prosperam: dormientium habitum custodit, & omnia ossa ipsorum conservat, nullum ex istis conteretur Psal.34,21. Ipse enim est custos Israelis, qui neq; dormit, neq; dormitat Ps.121,4. Somnia avertit tristia, timorem pellit nocturnum Psal. 91,5. & quos patrocinio suo dignatur, hi confidenter cum Davide dicunt: Ego dormivi & soporatus sum, & exurrexi; quia

*Dominus suscepit me* Psal. 3,6. *quod si etiam novissimus ille dies judicij eos apprehenderit, non tamen malè cum ipsis agitur: neq; enim nocere quidquam potest ijs, qui semper cum Domino vivunt. Refer huc locum Apostoli* Rom. 14, 7, 8.

## PARAPHRASIS HVIVS PARTIS.

QUod autem certum momentum adventus Dominici attinet, Carissimi, non est necesse, ut de eo multa scribam. Probè enim scitis, quod dies ille Domini subitò venturus sit sicuti fur ex improviso advenit. Quemadmodum enim dolores partus prægnantem mulierem subitò adobruunt: Ita cum homines securitati dediti sibi meram pacem imaginabuntur, repentè eos præoccupabit interitus. De vobis autem non est, quod metuam, ut dies ille horrendus vos subitò deprehendat, quia non estis tenebrarum filij, sed lucis, regeniti & rectè justificati per Christum qui adventum Domini quasi eminus prospicere potestis. Quapropter vestrum est, non indormire in peccatis sed invigilare bonis operibus, imprimis sobrietati: dormientes enim & ebrij noctem amant: Vos autem filij lucis estis, ergò decet Vos Sobrietas, ut possitis inducere veram armaturam Christianorum, pectus muniti verâ fide atque Caritate, caput verò spe salutiferâ melioris sortis. Non enim decrevit nos Deus abijcere in irâ suâ, sed potius æternam nobis parare salutem in Domino nostro Jesu

Chri-

Christo, qui se in mortem pro nobis tradidit in hunc finem, ut sive mortui sive vivi reperiamur in noviſſimo Domini adventu, ſemper ejus peculium ſimus. Proinde ſit hoc mutuum veſtrum ſolatium, quo vos invicem ædificetis in pietate.

## QVÆSTIO I.

Scribit Apoſtolus v. 1. de temporibus ac momentis (ſcil. ultimi Diei) non indigetis, ut ſcribamus vobis: num fortè & Chriſtus non indiguit illa momenta noſſe, ſiquidem expreſſe dicit Mar. 13, 32. De die illa vel hora, nemo ſcit, neque angeli in cœlo, neque filius, niſi pater.

*Reſp. Hujus dicti variæ ſunt expoſitiones, quæ paſſim apud autores reperiuntur. Quidam negarunt prorſus Chriſtum diem illum ſcire, ut Ariani, qui hinc argumentum contra divinam in Chriſto naturam petebant. Quidam illud (neque filius) ab Arianis additum fuiſſe, finxerunt, quia in Matthæo non habeatur. Quidam ignorantiam iſtam Chriſto ut Deo & homini tribuerunt, ut Agnoetæ. Quidam, ut Deum ignoraſſe ipſum volunt ratione manifeſtationis, quia alijs revelare noluit. Quidam ignoraſſe dicunt in corpore ſuo myſtico. Quidam de practica ſcientia intelligunt, ignoraſſe ipſum diem illum dicentes, quia nondum eum fuerat expertus.*

Petrus

*Petrus Thyræus de gloriosa filij Dei apparit. cap. 19. thes. 32. Christum amphibologicè respondisse ait, quemadmodum cum importunius de re, quàm aperire non expedit, interrogamur, respondere solemus, nos nescire, etiamsi sciamus. Quidam dicunt Christum ignorasse quidem diem illum secundum humanam, non autem secundum divinam naturam. Alij filium hominis ignorasse aiunt diem illum secundum actum naturæ suæ proprium, & secundum dona habitualia, scivisse autem cum infinitâ suâ sapientiâ divinâ, sibi per unionem personalem communicatâ. Singulæ harum opinionum suos habent autores, quibus adstipulari non valemus. Verus autem sensus ut investigetur, sciendum est, (1.) quod in dicto Christi intelligatur Filius hominis, de cujus adventu ante v. 26. egerat, & cui pater potestatem judicium faciendi dederat.* Joh. 5, 27. *(2.) filius hominis veram habuit humanam scientiam, quæ in ipso una cum annis crevit;* Luc. 2, 53. *& secundum quam minimè omnia, quæ Deus in decreto suo constituerat, adsequebatur (3.) idem filius hominis præter illam humanam scientiam plenus etiam fuit omni scientiâ divina, quia omnis plenitudo deitatis in eo habitat corporaliter* Col. 2, 9. *(4.) eam sibi communicatam omniscientiam filius hominis in statu exinanitionis non semper plenè usurpavit, sed interdum liberè retraxit, tanquam partem divinorum ἰδιωμάτων, quæ adsumta forma servi evacuavit. Quam ob causam D. Paulus scribit: Omnes thesauris sapientiæ & scientiæ absconditi sunt in ipso* Col. 2, 3. *quia non semper se in eo exeruerunt. Ignoravit ergo Filius hominis diem novissimũ primùm humanâ illâ scientiâ, quam cum alijs hominibus communem habuit: ideo Lutherus super 1. cap. Hebr. scripsit:* Die Menschheit Christi hat/ wie ein ander heilig/ Natürlich Mensch/ nicht allezeit alle ding gedacht/ geredt/ ge-

wolt/gemerckt/wie er i. he einen Allmechtigen Menschen auß jhm machen/mengen die zwo Naturen/vnd jhre werck in ein ander vnweislich. Wie er nicht allezeit alle ding gesehen/gehöret vnd gefühlet hat/so hat er auch nicht alle ding mit dem Hertzen allezeit angesehen/sondern wie jhn Gott geführet hat/vnd jhm fürbracht. *Deinde ignoravit Filius hominis diem illum etiam divinâ illâ sibi communicata scientiâ, cui usum tunc in statu exinanitionis retraxit, neque enim semper omnia scire voluit, cum scientiæ illius nullum usum vidit. Idq; haud difficulter probari potest ex textu: Nam, qulâ scientiâ Pater diem novissimum scivit, eadem scientia Filius hominis eum ignoravit. Sed pater scivit eum scientia divinâ. Ergo & Filius eum scientiâ divinâ (quæ videlicet ei communicata erat) ignoravit. Plura vide hac de re in disputatione mea de fine seculi thes. 40, 41. 42.*

## QVÆSTIO II.

Quomodo scribit Apostolus: Qui ebrij sunt, noctu sunt ebrij v. 7. cum subinde etiam aliquos interdiu ebrios cernamus?

R. *Habebant veteres certam conviviorum horam. Ægyptij meridiè accumbebant, ut constat ex illo Iosephi* Gen. 43, 16. *Mecum comesturi sunt meridie. Iudæis hora prandij erat sexta, ut annotat Iosephus in vita sua; ideo Petro hora sexta parabantur tibi* Act. 11. *Romanis hora prandij erat ferè nona hyeme, decima æstate, ut constat ex illo Livij lib. 9. decad. 1. Decima erat ferè diei hora, cum cibū capere consul milites jubet. Cœnæ hora erat occasus Solis. Qui hanc horam anteverterent,*

*terent, tempestivè epulari, & ipsa convivia tempestiva dicebantur: nocturna verò convivia vocabantur intempestiva, quia longius protrahebantur. Ita Claudius apud Tacitum lib. 11. Annal. tempestivis epulis delinitus dicitur, & Suetonius de Caligula scribit cap. 45. Senatum populumq; objurgavit edicto, quod Cæsar præliante intempestiva convivia circum, & theatra, & amenos secessus celebrarent. Cato apud Ciceronem in Catone tempestivis convivijs, h. e. cum ante constitutam horam conventū fuit, delectatus fuisse scribitur propter sermonis delectationem. Ad hanc consuetudinem veterum respexit Paulus noster, qui ebrietatem nocti tribuit, sive tempestiva sive intempestiva potatio esset: illa, quia à medio diei in noctem intempestam protraheretur; hæc, quod occidentem Solem exciperet, & noctem totam ingurgitationibus exhauriret. Et ita semper qui ebrij erant in convivijs noctu erant ebrij: quæ omnia utiliter observavit Benedictus Iustinianus in comment. super hunc locum § Cæterum Apostolus.*

## QVÆSTIO III.

Rectenè ex dicto Pauli Deus non posuit nos ad iram, sed ad salutem consequendam &c. v. 9. colligi potest, Deum reprobos ad æternam damnationem prædestinasse?

*Resp. Calvinianorum hoc est artificium, qui ita colligunt: Fideles non sunt ad iram positi; ergo cæteri sunt ad iram positi. Sed vitiosissimâ consequentiâ. Idem enim est, ac si dicerem: Moses ait Deut. 7. ad Iudam, Non elegit vos*

Deus,

*Deus, quod cunctas gentes vincentis numero: ergo reliquos populos elegit, quod numero superiores essent. Vel: renati non sunt debitores, ut secundum carnem ambulent* Rom. 8. 12. *ergo non renati tales debitores sunt. Vel: vos non estis redemti auro & argento: ergo reliqui hoc modo sunt redemti.*

*In his omnibus vitiosissimè fit ex inclusione unius alterius exclusio. Paulus simpliciter negat, Deum nos ad iram posuisse, sed ad salutem per Christum Iesum Dominum nostrum: quæ verba sunt generalia, non tantum ad fideles, sed ad omnes homines pertinentia. Quemadmodum enim Deus non vult mortem peccatoris in peccato suo morientis* Ezech. 18, 32. *neq; vult ut ullus pereat* 2. Pet. 3, 9. *ita quoq; nullũ ad perditionem suam prædestinavit: sed quos verbo suo immorigeros, & in filium suum injurios ab omni æternitate prævidit, hos immutabili lege perituros decrevit: quo pacto perditionis culpa non est penes εὐδοκίαν aliquam Dei, sed penes propriam hominum malitiam, juxta illud Prophetæ: perditio tua ex te Israel, tantummodo ex me auxilium tuum.* Osc. 13, 9.

## ALTERA PARS.

### *TEXTVS,*

Ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, εἰδέναι τοὺς κοπιῶντας ἐν ὑμῖν, καὶ προϊσταμένους ὑμῶν ἐν Κυρίῳ, καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς.

12. ROgamus autem vos fratres, ut agnoscatis eos qui laborant inter vos, & qui præsunt vobis in Domino & admonent vos:

Καὶ ἡγεῖσθαι αὐτοὺς ὑπερ ἐκ περισσοῦ ἐν ἀγάπῃ διὰ τὸ ἔργον αὐτῶν: εἰρηνεύετε ἐν αὐτοῖς.

13. Ut habeatis illos in summo precio per charitatem, propter opus illorum pacem habete cum illis.

Παρακαλοῦμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, νουθετεῖτε τοὺς ἀτάκτους, παραμυθεῖσθε τοὺς ὀλιγοψύχους, ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν, μακροθυμεῖτε πρὸς πάντας.

14. Obsecramus autem vos fratres, monete inordinatos, consolamini pusillanimes, sublevate infirmos, patientes estote erga omnes.

Ὁρᾶτε μή τις κακὸν ἀντὶ κακοῦ τινὶ ἀποδῷ: ἀλλὰ πάντοτε τὸ ἀγαθὸν διώκετε, καὶ εἰς ἀλλήλους καὶ εἰς πάντας.

15. Videte ne quis malum pro malo cuiquam reddat: sed semper quod bonum est sectemini, tum erga vos invicem, tum erga omnes.

Πάντοτε χαίρετε,

16. Semper gaudete:

Ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε.

17. Indesinenter orate.

Ἐν παντὶ εὐχαριστεῖτε: τοῦτο γὰρ θέλημα Θεοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ εἰς ὑμᾶς.

18. In omnibus gratias agite: hæc enim est voluntas Dei per Christum Jesum erga vos.

Τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε.

19. Spiritum ne extinguatis.

Προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε.

20. Prophetias ne aspernemini:

Πάντα δοκιμάζετε: τὸ καλὸν κατέχετε.

21. Omnia probate, quod bonum fuerit tenete.

Ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀπέχεσθε.

22. Ab omni specie mala abstinete.

*IN secundâ parte capitis Apostolus plurimas cumulat exhortationes, quibus reguntur mores eorum, qui doctrinam Christi profitentur, & salutarem ejus adventum cum gaudio expectant. Initium facit à veneratione & honore minis-*

*stris*

*stris Ecclesiæ debito. Nam cum paulò antè dixerit, velle se, ut alter alterum ædificet, ne existiment, nihil opus esse ministerio, si mutuas illas operas ipsi præstare possint; ideo statim præcepta subijcit, de honorando ministerio, quia causæ inferiores non tollunt superiores.* Rogamus autem vos fratres, *inquit*, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & admonent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate, propter opus illorum, pacem habete cum eis, v. 12,13. *Rogat eos, quibus præcipere poterat, mavult enim precibus flectere sponte currentes, quam præceptis invitos: illud enim eorum est, qui ducuntur spiritu libertatis, hoc eorum, qui jugum Spiritus excusserunt: his, non illis, lex est posita* 1. Tim. 1,9. *idcirco illi increpationibus & minis, hi precibus & monitis paternis in officio continentur. Tria autem ab ipsis petit, quæ ad honorem ministerij Ecclesiastici spectant (1.) est in interiore animi affectu. Vult enim eos* nosse (εἰδέναι) *doctores suos: quæ vox non notat simplicem personæ aut qualitatum notitiam, quæ etiam in contemtores ministerij cadere potest, sed agnitionem conditionis & officij, propter quod digni sunt, quod honorentur, qui aliàs extra officium honorem illum non mererentur. (2.) est in externo opere, vult enim ipsos amore affici non vulgari, sed* ὑπερεκπερισσῶς *abundanti, & eximio, qui facit, ut animo benè de ijs sentiamus; verbis honorificè de ipsis loquamur; gestibus externa reverentiæ signa exhibeamus; de necessarijs etiam eis prospiciamus, ut possint invigilare studijs, ne cogantur aliena tractare, quæ πρὸς τὰ ἀλλότρια faciunt, & sic in officio impediantur: idcirco mox addit,* propter opus ipsorū, *h.e. ut labores ipsorum promoveantur, & ne segnescant ipsi, dum animadvertunt, se minus curari: excitat enim amor, honor atq; reverentia studium. (3.) est in mutua conversa-*

*tione cum ministris Ecclesiæ. vult enim Paulus*, ut pacem habeamus cum eis: *ne nimirum tumultuemur & irritemur adversus ipsos, si fortè peccata nostra tetigerint, ne de expellendis aut affligendis ipsis cogitemus: sed cum mansuetudine suscipiamus sermonem eorum, & si prodesse eis nolumus, tamen ne noceamus eis, ne cum gemitu officium facere cogantur, scientes, quod vitia reprehendant, non ut noceant, sed ut prosint; & quod hoc faciant ex officio, non cavillandi libidine, Deus enim est, qui exhortatur per ipsos* 2. Cor. 5, 20. *Hæc ergo sunt officia auditorum erga doctores suos. Rationes addit Paulus quatuor.* 1. *quia Doctores Ecclesiæ:* laborant inter nos, *non vivunt in delitijs, nec otiantur, sed satis habent, quod agunt nostri causa: iniquum autem est laborantibus non tantum suam denegare mercedem, verum etiam injurijs, rixis, odio & insidijs labores curasque aggravare. Dignus enim est operarius, ut mercede sua, ita & protectione contra eos, qui labores ejus interturbant.* (2) *quia* præsunt nobis in Domino, *h. e. in ijs, quæ ad Dominum seu curam Ecclesiæ spectant, potestatem habent agendi nobiscum, idque loco Domini, cujus sunt œconomi & delegati* 1. Cor. 4, 1. 2. Cor. 5, 20. *idcirco audiendi etiam sunt ac tractandi, tanquam ipse Dominus adesset, qui omnem sive honorem, sive injuriam legatis suis illatam sibi referet acceptum* (3.) *quia* admonēt nos, *non rixantur, non tumultuantur nobiscum, sed placidè cum mansuetudine & caritate indicant & corrigunt defectus nostros.*

*Quis ergo tales non ferat? quis monita eorum non audiat? quis eos non amet, placidèque cum ipsis non vivat?* (4) *quia* ipsum opus *Doctorum hoc à nobis requirit, quod Domini opus est, sanctum & summè necessarium opus, quod nemo*

impe-

impedire, sed quilibet potius promto corde promovere debet: impeditur autem dum doctoribus honor & amor debitus detrahitur, labores ipsorum contemnuntur, ipsiq; mundi odio ludibrio q; exponuntur.

Habent hic & doctores & auditores suas commonefactiones. Auditoribus primum commendatur reverentia erga doctores suos, qua de re Paulus sæpiusculè agit ut 1. Cor. 9, 7. seqq. Gal. 6, 6. 1. Thess. 4, 8. 1. Tim. 5. 17. &c. & necessarium est, ut hoc subinde inculcetur Ecclesiæ: non enim sua ministerio constare dignitas, nec fructum ferre potest Evangelium, nisi Ecclesiæ ministris sua sarta atq; tecta constet autoritas. Consistit autem illa reverentia (1.) in honestis de ipsis judicijs, ut agnoscantur pro legatis Christi, & verbum ipsorum recipiatur non ut verbum hominum, sed ut revera est, tanquam verbum Dei 1. Thess. 2, 13. (2.) in vero & sincero amore, qui ex hujusmodi oritur judicio, quis enim Dei legatum non amet? quis eum qui mysteria Dei inter nos dispensat, imò qui animæ nostræ curam gerit, non precio habeat? (3.) in observantiâ & gestibus externis, & nudandis capitibus, in blando alloquio, & similibus, quo pertinet illud Pauli, quide Galatis testatur quod tanquam angelum Dei exceperint ipsum, tanquam Iesum Gal. 4, 14. (4.) in obedientiâ & filiali obsequio, juxta illud, obedite præpositis vestris & Hebr. 13, 17. (5.) in necessariâ sustentatione, ne cogantur mendicare, aut alienis negotijs se implicare, qua de re multa extant testimonia, ut Deut. 12, 19: 16, 17. 1. Cor. 9, 8. Gal. 6, 6. &c. (5) Denique in imitatione doctrinæ & vitæ ipsorum, quod luculentum est indicium, quod à nobis magni æstimentur.

Ideo Paulus Corinthios vult suos esse imitatores.

1. Cor. 11,1. & Heb. 13,7. *scribitur: mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. In his omnibus elucet honor atque reverentia Auditorum erga doctores Ecclesiæ. Ne verò ipsimet honori suo velificari videantur, monstranda sunt hujus rei fundamenta, videlicet summa necessitas, ne contemnatur ministerium; Dei mandatum, officij dignitas planè divina, laborum in ministerio sanctitas, propria denique auditorum utilitas, qui opus doctorum promovent honore & observantia: majori enim cum alacritate fit, quod cum gratia: laborando autem non nisi invidiam quærere, & malitiam hominum exacerbare, extremæ servitutis est. Et hæc fundamenta omnia in nostro sunt textu: plura ex similibus colligantur locis, quos supra notavimus.*

*Vt autem Ecclesiæ doctores dicto modo amentur, sint etiam amabiles. Ideo secundo loco observanda sunt in hoc textu Doctorum Ecclesiæ præcipua officia.* (1.) *Laborent in Ecclesia, docendo nimirum sacras literas & administrando sacramenta, quæ res quàm laboriosa sit, videatur præ cæteris Siracides cap. 38, 25. & 39, 1. seqq. Excluduntur ergo hac voce ab Ecclesiæ ministerio* (1.) *omnes pigri ventres, qui præter nomen Ecclesiasticarum personarum nihil habent, quod ad Ecclesiæ ministerium spectet, quales sunt larvati Episcopi in Papatu; & ventricosi monachi in cœnobijs* (2.) *omnes qui laborant quidem, sed non in verbo, nec pro Ecclesiæ salute, sed potius in Ecclesiæ detrimentum, quales multi sunt in papatu Clerici, qui continuò laborant in excogitandis medijs, quomodo opprimatur Evangelium: quos præstaret cessare à labore, quam sic laborare* (3.) *omnes qui in officio suo remissiores sunt, vel quia genio indulgent, vel quia rei familiari nimis sunt addicti, vel etiam quia molestias & pericula subterfugiunt.*

Labo-

*Laborandum ergo est ministris verbi piè, assiduè, salutariter, semperq; cogitandum illud Prophetæ: maledictus, qui opus Domini facit fraudulenter* Jerem. 48, 10. *(2.) Præsint in Ecclesia, sed in Domino. Non enim habent terrenum aut politicum imperium, sed spirituale & Ecclesiasticum, quod consistit in gubernanda disciplina & ritibus Ecclesiasticis, ut omnia fiant ordine ac decenter in Ecclesia,* 1. Cor. 14, 40. *Hic ergo non tantum vigilijs & curis sed & patientiâ multâ opus est, si non omnia pro animi sententiâ corrigi possunt. Accedat autem ardens precatio, ut Deus ipse flectat hominum animos, ad obediendum Evangelio, & ad observandam honestam disciplinam. Hinc est Antistitum, seu præsulum & præpositorum nomen in ministerio, quia pars officij eorum est, præesse Ecclesijs, ut omnia, quæ ad animæ curam spectant, rectè atque ordine curentur. Hujus ergo officij sui memores, non declinent curas & vigilias, nam qui præest, inquit Paulus, faciat hoc cum sollicitudine* Rom. 12, 8. *(3.) Admonent auditores: quia in re magnâ opus est diligentiâ, & animadversione in mores auditorum, ut dignè vivant Evangelio: magna etiam circumspectione, ne cui conniveamus, sed unum quemq; moneamus liberè & absq; adulatione in ijs, ubi correctione opus habet, quod summum est Ecclesiæ beneficium, cum homines plerumq; sua amant vitia, & non monitis in ijs pereant. Sint autem in hoc officij genere mansueti, atque placidi, tanquam Patres, non morosi aut rixosi ut hostes, ne personam magis, quam vitium ejus odisse videantur, qua de re extant præcepta Apostoli* Gal. 6, 1. 1. Tim. 2, 24. *Hæc sunt tria præcipua ministri Ecclesiastici officia: Laborare in verbo ut purè doceatur, & in sacramentis, ut rectè administrentur: præesse disciplinæ, & regimini Ecclesiæ: & admonere si cubi Ecclesia deficiat in doctrina vel moribus, ut defectus maturè*

*corrigantur. Qui hoc modo facit officium, facile suos invenit cultores, & hi sunt, quos Paulus duplici honore dignos æstimat* 1. Tim. 5, 17. *Si verò nihilominus à nonnullis contemnantur, patientia hic opus est, multaq; dissimulatione, ne cursus Evangelij impediatur. Cogitent autem discipulum non esse super magistrum, & talia minus grata Deum ipsis imponere, ne efferantur donis, aut dignitate muneris sui, & ut perpetua habeant exercitia patientiæ, & mansuetudinis, in quibus virtutibus facem alijs prælucere debent. Sciant interim, mercedem suam gloriosam esse in cœlis, pœnam verò contemtoribus ministerij gravissimam paratam esse. Ipsi verò exhibeant se in omnibus, ut Dei ministri, in multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus & per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam &c.* 2. Cor. 6, 4. seqq.

*Hactenus ergo, quomodo erga doctores se gerere debeant, exposuit Apostolus: jam, quomodo erga alios fidei socios comparatos esse velit, ostendit, v.* 14. & 15. *Includit autem singulas παραινέσεις brevissimis aphorismis. (*1.*) Primus est:* Corripite inquietos: *in græco appellantur ἀτάκτους inordinati, qui contra ordinem divinitus præscriptum faciunt, suo arbitrio exleges esse volunt: quos scriptura aliàs vocat filios Belial, qui omne jugum disciplinæ excusserunt,* Jud. cap. 19, 22. 1. Sam. 2, 12. 1. Reg. 21, 20. 2. Par. 13, 7. &c. *Tales corripere seu monere debent: non enim expectanda semper est pastorum animadversio & correptio, sed quilibet inordinatè viventes arguere, & in viam reducere debet, præsertim cum non omnia resciscant pastores Ecclesiarum, & hujus modi privatæ admonitiones æquè ædificant, ac correptiones publicæ: sæpè enim inordinati homines citiùs audiunt amicum privatum, quam Dei ministrum. Observa autem quod hic inor-*

*dinatos*

dinatos moneri jubet, ut resipiscant: in poster. verò Epistola cap. 3. 6. eos prorsus vitari vult: Denciamus, inquit, vobis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè. Prius enim lenitate tentanda est correctio, quæ si impetrari nequit, tum demum locus est severitati, juxta illud Sir. 19, 17. Corripe proximum antequam commineris.

2. Secundus aphorismus est: Consolamini pusillanimes. Eos intelligit, qui sub onere tentationum & periculorum vacillant, dubitantes de auxilio divino, ubi patientia opus est, ut faciamus voluntatẽ Domini Heb. 10, 36. Tales erigendi sunt scriptura, quæ monstrat adversitatum omnium originem, Deum, & finem earum, qui bonis semper est bonus & optatus Rom. 8. Neq; gratius officium præstare possumus proximo: Consolationibus enim gignitur patientia, quæ adversitatum omnium victrix & debellatrix est: ideo D. Paulus sub finem præcedentis cap. consolationem mutuam Thessalonicensibus commendavit.

3. Suscipite infirmos. Per infirmos intelligit eos, qui non ex malitia aut animi proposito, sed ex imbecillitate quadam peccant vel in doctrina vel in moribus, hos non contemnendos, nec rigidè tractandos docet, sed suscipiendos, erudiendos, tolerandos, & corrigendos, ne graviores lapsus committant: cavendum etiam, ne hujusmodi infirmis offendiculum ponamus, facilius enim seducuntur quam alij, qui in vita & fide confirmati sunt. Hoc est infirmum in fide suscipere Gal. 6, 1. imbecillitatem infirmorum sustinere Rom. 15, 1. & licentiâ nostrâ infirmos non offendere 1. Cor. 8, 9.

4. Patientes estote erga omnes. *Hæc est tolerantia morum & infirmitatum proximi, anima certè caritatis Christianæ, sine qua nemo satis tranquillè vivere potest in mundo. In multis enim labimur omnes, & nemo ex omni parte bonus aut perfectus. Ideo jubemur alterius onera portare, & qui hoc faciunt, dicuntur implere legem Christi* Gal. 6, 2. *legem nimirum de dilectione mutuâ* Joh. 13, 34. 15, 12. *Benè ergo vivit, qui proximi dicta & facta ambigua in meliorem interpretatur partem: quò pertinet præceptum Siracidæ* cap. 6, 1.

5. *Quintus Aphorismus oritur ex præcedente:* Videte ne quis malum pro malo cuipiam reddat: sed semper quod bonum est sectemini, tum erga vos invicem, tum erga omnes v. *15. Idem præceptum habetur* Rom. 12, 17. Lev. 19, 18. Prov. 24, 29. 20, 22. *Prohibetur autem vindicta privata, quæ malum proximo lædenti vel infert, vel optat. Christianorum est vindictam committere Deo, mansuetum autem esse erga omnes, etiam inimicos nostros, quemadmodum Christus inprimis requirit, & hac nota Christianos ab Ethnicis discernit* Matth. 5, 44. 2. *Commendatur hic studium benefaciendi omnibus, etiam inimicis, Bonum enim sectari jubemur erga omnes, in græco est διώκειν, verbum venatorium quod de feris usurpatur, quæ laqueos fugiunt, in quibus capiuntur. Ita David vult ut sectemur pacem* Psal. 34, 15. *Paulus noster vult, ut sectemur bonum erga omnes. Fugit enim ferè pax & mansuetudo animos hominum, & naturaliter ita sumus adfecti, ut malum potius quàm bonum faciamus nocentibus nobis. Insectandæ ergo sunt & diligenti studio indagendæ hæ virtutes, quarum non carere potest vita nostra. Hæc de virtutibus respectu proximi necessarijs: ubi notandum, quod Paulus hæc non sub forma consiliorum, sed præceptorum proponit. Pontificiorum enim figmentum est, hæc & similia*

*Christi*

*Christi & Apostolorum monita de tolerandis, & benefaciendis inimicis, consilia esse, non præcepta, ac proinde in libera hominis voluntate relicta, quæq; non nisi ab ijs præstantur, qui jam legem Dei perfectè impleverunt, quos perfectos vocant: & hujusmodi consilia absq; detrimento salutis violari posse, ita ut non sit opus deprecatione. Sed hæc omnia sunt falsissima. Litera Pauli clara est, qua talia non suadentur aut consuluntur tantum, sed ut necessaria Christianis injunguntur & præcipiuntur. Neque possunt à præceptis legis divelli: quia in lege etiam habentur talia de diligendis inimicis, & benefaciendo jumentis ipsorum* Lev. 19. 18.

[*Consilia dicuntur versari circa opera supererogat. Præcepta circa opera ad salutem necessaria. Consilia tantum sunt Novi Testam. præcepta utriusq;. Tria consilia substantialia perfectionis: De paupertate, de castitate, & obedientia. Luth. 12. recitat consilia sophistarum, 1. paupertatem voluntariam. 2. Obedientiam Monast. 3. Castitatem. 4. non vindicare. 5. patientiam injuriæ. 6. Eleemosinam. 7. non jurare. 8. Occas. peccandi vitare. 9. justitiam coram homine non facere. 10. facere quod doces. 11. non sollicitum esse de victu. 12. fratrem peccatem corripere. Hodie consilia sunt: 1. Ea quæ jam exscript. recensita sunt. 2. traditiones Ecclesiasticæ 3. Opera electitia verbo Dei non mandata.*]

*Nemo ergo potest odisse inimicum suum in causa odij privatâ, absq; violatione legis divinæ, nemo potest manum suam claudere erga hostem in casu necessitatis, bona cum conscientia: benefaciendum enim est omnibus, & malum vincendum bono. Quanquam hoc non sit à Christiano alienum, ut majori amore complectatur benefactorem, quam hostem, quemadmodum Christus Iohannem plus dilexit, quam Iu-*

dam, cui tamen etiam benefecit; & Paulus noster jubet bonum sectari primùm erga nos invicem, Deinde erga omnes: quia caritas est ordinata, quæ à seipsa incipit: idcirco ad Galatas scribit Apostolus; Dum tempus habemus, bonum operemur erga omnes, maximè autem erga domesticos fidei Gal. 6,10.

Sequuntur nunc ejusmodi virtutes, quibus unusquisq; piorum prosè indiget: has etiam brevibus aphorismis includit Apostolus.

1. Prima est gaudium Spirituale: Semper gaudete v.16. Simile præceptum extat Phil. 4,4. Intelligitur autem Spiritus Sancti, quod pars est vitæ æternæ Rom. 14,17. cujus gustum pij sentiunt in hac vita, cum lætantur de agnitione veri Dei, de beneficijs per Christum nobis partis, de remissione peccatorum, de tranquillitate conscientiæ, de felicitate futuri seculi, quam præparavit Deus omnibus diligentibus ipsum. Hujusmodi gaudium inter fructus Spiritus recensetur Gal. 5, 22. quia in ijs tantum est, qui reguntur à spiritu Dei, novos hosce motus in ipsis excitante; ideo gustare dicuntur virtutes seculi futuri Heb. 6,5. Durat hoc gaudium etiam in adversis, in quibus pij non separantur à Deo, nec à felicitate illa, quam præparavit eis Dominus; ideo gloriari dicuntur in tribulationibus Rom. 5,3. & gaudere jubentur etiam quando cum Christo adflictionem patiuntur 1. Pet. 4,13. & Iacob. 1, 2.

2. Assidua precatio. Sine intermissione orate. Preces sunt arma Ecclesiæ, quæ nunquam carēt tribulationibus: ideo si quis tristatur, oret, inquit Iacobus cap. 5, 13. Vult autem Paulus preces piorum esse indesinentes, & Christus vult nos semper orare, in oratione non deficere Luc. 18,1. non quasi nihil aliud agendum sit, nam & alia requiruntur à pijs, sed partim quia preces debent esse ardentes, quæ non citò desinant, si auxilium differatur, partim quia crebrò sunt repe-

tendæ

tendæ etiam cum exauditæ fuerunt, partim etiam quia absq; discrimine temporis fieri debent, non enim est hora una sanctior altera ad precandum, nec tempus nocturnum præferendum diurno: sed semper orare possumus, quia quovis tempore habemus causam precandi: & si non vacat ore preces fundere, gemitus saltem cordis ad Deum mittantur. Ita enim voluit Apostolus cor nostrum terrenis eximere rebus, & ad cœlestia elevare. Plura de hoc præcepto Apostolico vide in Cap. 4. Coloss. quæst. 3.

3. *Perpetua gratiarum actio.* In his omnibus gratias agite: hæc enim est voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis v. 18. Apostolicum planè hoc præceptum est. Nam gratitudo pro aceptis beneficijs, virtus etiam Ethnicis nota est: Dei etiam mandatum in omnium auribus est, quo laudem requirit ab ijs, quos ex periculis liberavit Psal. 50, 15.

4. *Donorum spiritualium excusitatio.* Spiritum nolite extinguere v. 19. Loquitur hic de donis spiritualibus, sicuti vox spiritus usurpatur 1. Cor. 14, 12. qualia sunt, fides, scientia, sapientia, discretiones spirituum, donum linguarum, & in primitiva Ecclesia præcipuè donum sanationis, donum interpretandi scripturas & similia. Hujusmodi dona non debemus extinguere. Comparantur hæc dona igni, qui nisi sufficientia habet alimenta, extinguitur: ideo Paulus Timotheum suum dona Spiritus S. quæ accepit per impositionem manuum presbyterij jubet ἀναζωπυρεῖν, reaccendere & vivificare 2. Tim. 1, 6. Extinguitur autem ignis, vel per se & sponte, quando minimum subtrahitur nutrimentum; vel ex accidenti, per vim externam, cum infunditur aqua, aut solidi aliquid superintegitur. Sic extinguuntur dona Spiritus S. vel quando non aluntur, cum nulla sunt exercitia fidei, patientiæ, scientiæ,

linguarum

*linguarum & similium, perit tandem ipsa fides, patientia, scientia &c. vel quando extrinsecus impediuntur contemtu, livore, prohibitione, aut remotione occasionis, qua exerceri poterant. Extinguuntur etiam dona Spiritus S. in nobis, vel à nobis ipsis, cum segnescimus, donis illis non utimur, multò minus ea augere studemus, quod Christus in parabola servi illius inutilis, qui talentum Domini sui absconderat, docuit* Matth. 25,24. *Paulus jubet dona sua* ἀναζωπυρεῖν, *precibus, studijs, lectione & meditatione rerum sacrarum adsiduâ. Vel extinguuntur in nobis ab alijs, qui dona ista nobis invident, & exercitia eorum, quibus augentur, intercludunt, quo sensu Paulus de nonnullis conqueritur, qui prohibuerunt loqui linguis* 1. Cor. 14,39, *& de Judæis ait Stephanus, quod Spiritui S. resistant, dum prohibuerunt Apostolis prædicare Evangelium de Christo* Act. 7, 51. *quò referri etiam potest Josua ægre ferens, quod Eldad & Medad prophetarent in castris.* Num. 11,27. *Utrumq; procul abesse Paulus vult à pijs, qui neque ipsi dona sua spiritualia abscondere, nec in alijs impedire debent: hoc est spiritum extinguere, de cujus incremento potius subinde laborandum esset, nunquam enim hac in vita ad perfectionem veniemus, ad quam tamen contendendum esse Paulus docet,* 1. Cor. 12, 31. Phil. 3. 13. seqq.

5. *Interpretationis Biblicæ magnificatio:* Prophetias nolite spernere v. 19. *Prophetia in scriptura significat* (1.) *donum prædicendi futura* Dan. 9, 1. Matth. 13, 14. Apoc. 1, 3. (2.) *doctrinam canonicis scripturæ libris comprehensam* 2. Pet. 1, 20, 21. (3.) *donum laudandi & psallendi Domino peculiari afflatu Spiritus Sancti, quales erant Prophetæ, qui obviam fiebant* Sauli 1. Sam. 10, 5. 11, 12. 19, 20. (4.) *donum interpretandi scripturam* Rom. 12, 6. 1. Cor. 13, 8. 1. Cor. 14, 6. &c. *In postrema significatione usurpatur hoc*

*in*

in loco, & vult Apostolus, ne hujusmodi interpretes aspernemur, sive scripto, sive viva voce sermones divinos explicent, sed agnoscamus Dei dona in ipsis, licet non omnes ejusdem sint autoritatis: in quolibet tamen interprete Biblico habebimus aliquid laude dignum, ideo non contemnamus ipsorum labores. Quod præceptum opponendum ijs est, qui non nisi catulos suos lingunt, interpretes ferè omnes reijciunt, se solos audiendos esse putant, alijs donum hoc prophetiæ prorsus derogant. Paulus autem noster neminem vult sperni, quando & Spiritus prophetarum subjectos esse jubet, 1. Cor. 14, 32. nemo enim sibi ipsi fidere sed opiniones suas aliorum examini libenter subijcere debet, ita minus erit periculi.

6. Spirituum probatio: Omnia probate, inquit, quod bonum est, tenete v. 21. Quod præceptum ex priori fluit. Nam cum & pseudoprophetæ surgant, qui sensum scripturæ non ex scriptura auferunt, sed in eam inferant, cum judicio vult audiri interpretes. Nullius enim etiam docti viri interpretatio Biblica habenda est pro oraculo, sed probandi Spiritus num ex Deo sint 1. Joh. 4, 1. Probatio autem fiat juxta analogiam fidei Rom. 12, 6. Quidquid ergo in interpretatione dissentit ab hac analogia, aut in aliquem fidei articulum apertè impingit, aut à contextu etiam in historijs inprimis alienū est, hoc ut erroneum repudiandum, reliqua autem quæ cum fide consentiunt, & probabilem in texturationem habent, licet non cum omnibus interpretibus consentiat, retinendum est, ut probum & ædificationem nostram utile. Deum autem retinendum ait, inconstantiam eorum improbat, qui quovis vento novarum opinionum ducuntur, & veterum interpretum explicationes exagitant, licet neque à textu neque ab analogia fidei alienæ sint, tantum quia novi quid repertum vident. Hi peccant contra hanc Pauli regulam, qui quod bo-

*num esse scimus, nec salva veritate reijcere possumus, retinere jubet.*

7. *Serium honestatis studium.* Ab omni specie mali abstinete vos v. 22. *Referunt nonnulli hæc verba ad præcedentẽ versum, hoc sensu, interpretationem scripturæ bonam constanter tueamur, incertam verò aut erroneam reijciamus, absque respectu autorum, ne vel in speciem occasionem cavillandi demus adversarijs. Rectius constituunt hæc verba peculiare præceptum, quod studium honestatis ita nobis commendat, ut ne speciem quandam mali admittant. Multi enim ab apertâ malitiâ, qua offendi possunt alij, abstinent, ita tamen interdum se gerunt, ut mali quid de ipsis suspicari possint alij. Tales erant tempore Pauli, qui abhorrebant ab omni idolomania, & tamen vescebantur idolothytis* 1. Cor. 10. *Tale est assistere cum devotione Missæ, & tamen detestari papatum: item familiariùs conversari cum alienis uxoribus, cum ariolis veneficis & similibus &c. quæ omnia honestum virum non decent, qui ne quidem suspicandi de se aliquid sinistri ansam præbere debet. Oportet omnino Christianos tanquam Cæsaris uxorem etiam à calumnijs puros esse. Ex omni enim parte insidiatur eis Satan, & quos non in aperta conjicit crimina, satis ei est, si suspicionem aliquam de eis concitare potest. Ideo necessarium hoc est præceptum, quod ad prudentiam Christianam pertinet, ne quoquo modo propter nos Evangelium Christi malè audiat. Et hæ sunt virtutes, quæ Christianum respectu sui concernunt.*

## PARAPHRASIS HVIVS PARTIS.

QUod reſtat, Cariſſimi, etiam atq; etiam peto, ut verbi divini miniſtros, qui docendo & exhortando utilem vobis laborem præſtant, in precio habeatis, diligatis, & veram cum ipſis concordiam alatis, propter officium, quod gerunt. Si qui ſuo ſaltem arbitrio vivere volunt, & non juxta leges, hos corripite: qui infirmitate carnis laborant & in tentationib9 fathiſcunt, hos erigite: qui ex infirmitate peccant, hos tollerate & inſtruite: quin imò omnium mores benè ferre ſtudete: nolite malum retribuere malo; omnibus potius prodeſſe laborate. Cor veſtrum ſemper ſit gaudio plenum: Semper ad Deum ingemiſcite: ſemper Deo gratias agite, prout Dominus Deus noſter fieri voluit in Chriſto: quæ habetis dona Spiritus Sancti, ea in vobis exſuſcitate: donum interpretandi ſcripturas magnifacite: ſingulorum interpretationes examinate, optimum reliquis præferte: omnem mali ſpeciem vitate.

## QVÆSTIO I.

Videte, *inquit Paulus*, ne quis malum pro malo alteri reddat v. 15. annon pugnat hoc cum lege talionis, de qua Chriſtus Luc. 6, 38. Eadem menſura, qua accenſi fueritis, remetientur vobis, & in Apocalypſi de Babylone dicitur: Reddite illi, ſicut & ipſa reddidit vobis Apoc. 18, 6.

*Resp. Duplex est vindicta: una publica, altera privata. De publica dicit Dominus: Mihi vindicta, ego retribuam* Deut. 32,35. *Retribuit autem Deus malum in caput inimicorum populi sui, sicut scriptum est: annuntient in Sion ultionem Domini Dei nostri, ultionem templi ejus* Jer. 50, 29. *Hanc vindictam cum hostes nostri sunt pertinaces, à Deo petere possumus, sicut David* Psal. 94, 2. *Deus ultionum, redde retributionem superbis, &* Psal. 69, 23. *fiat mensa eorum ipsis in laqueum, in retributionem, in scandalum: & Iudæi, tempore captivitatis Babylonicæ, dicunt* Psal. 79, 12. *redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum &c. Hanc vindictam exercet Deus per magistratum & milites in legitimo bello, ubi si prædatores vicissim spoliantur, non peccatur, sed vindicta Domini exercetur: Væ namque qui spolias, quia spoliaberis* Esa. 33, 1. *Ita Deus de Babylone dicit: juxta omnia, quæ fecit, faciteilli* Jer. 50, 29. *Vindicta autem privata est, cum quis erga proximum suum malè affectus est, nihil pati potest, & etiam levissimè læsus de vindicta cogitat, quam se ipso opere implere nequit, in votis tamen & optatis habet. Maligno huic affectui opponit Apostolus suam cohortationem, non tantum hoc in loco, verum etiam* Rom. 12, 19. *non vosmet ipsos ulciscentes, carissimi, sed date locum iræ: & Salomon: Ne dicas, reddam malum, expecta Dominum, & liberabit te. Oportet enim verum Christianum injuriarum esse patientissimum qui non interitum, sed salutem etiam inimici sui sitiat, juxta tritum illud: Christianum est, benè facere & malè audire. Ideo Paulus noster hic vult potius bonum sectari ad omnes: nam & benefaciendo delinire possumus inimicorum animos, ut nos odisse desinant, quod scriptura vocat ignitos carbones super caput inimici colligere* Prov. 25. 21, Rom. 12, 20.

Prv. 20. 22

## QVÆSTIO II.

Semper gaudete, *inquit Apostolus, v. 16.* Cur ergo alibi: flete cum flentibus Rom. 12, 15. & Christus discipulis suis prædixit: amen amen dico vobis, plorabitis & flebitis, mundus autem gaudebit Ioh. 16, 20?

*Resp. Scriptura duplex agnoscit gaudium Christianorum, unum est mundanum, alterum spirituale. Mundanum est, quod res hujus mundi habet objecti loco, ut cum quis gaudet propter sanitatem corporis, felicem rerum suarum successum, liberorum prosperitatem, & alia Dei dona, quæ hilari animo agnoscere debet. Hoc gaudium suas habet vices, & magno sæpe cum luctu intermixtum est, unde Salomon dicit, esse tempus flendi, & tempus ridendi Eccl. 3, 4. Et Sanctissimi etiam hoc modo non semper gaudere possunt; occasionem enim tristandi & flendi accipiunt ex agnitione suorum peccatorum; ex persecutionibus suis, & odio mundi, cui sunt obnoxij, ex publicis Ecclesiæ calamitatibus, & afflictionibus proximi; ex proprijs etiam calamitatibus suis & suorum. De hoc ergo gaudio dici non potest: Semper gaudete. Spirituale gaudium est, gaudium bonæ conscientiæ, quod alias Paulus vocat gaudium in Domino* Phil. 4, 4. *& Salomon, juge convivium* Prov. 15, 15. *Consistit enim in propitio Deo, in pace cordis, & testimonio Spiritus Sancti, certaq; spe melioris vitæ; quæ omnia etiam tempore externæ tristitiæ durant, & gaudium verum in ipsis tribulationibus pariunt: qua ratione semper gaudere Christianorum propria nota est: illi enim regnum*

*Dei, quod in gaudio Spiritus Sancti consistit, intra se habent, omniaque perferre possunt adversa, propter eum, qui fortificat ipsos, Christũ. Vnde Paulus rectè scribit: gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem; probatio verò spem, spes autem non confundit* Rom. 5, 4. *& Petrus scribit: communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes* 1. Pet. 4, 12. *Similia habet D. Iacobus cap. 1, 2. Plura hac de re vide in Epistola ad Philipp. cap. 4. quæst. 4.*

## QVÆSTIO III.

Paulus ait, gratias agendas in omnibus: ergo etiam in tristibus? nam de lætis nemo dubitat:

*Resp. Vtiq; etiam in tristibus, quæ per gratiarum actionem emolliuntur. Age Deo gratias, & mutatur malum in bonum, ait Chrysostomus super hunc locum. Ita fecit Beatus Iob, qui nomen Domini benedictum dicebat etiam in summis suis calamitatibus* Job. c. 1, 21. *Sic & David; Calicem Domini accipiam, inquit, calicem tribulationis intelligens, & nomen Domini decantabo* Psal. 116, 13. *Ratio est, 1. quia à Deo est piorum adflictio, sine cujus nutu ne passer quidem cadit in terram* Matt. 10, 29. *Quidquid autem à Deo est, bonum est, & gratiarum actione dignum. 2. quia tristia, qualiacunq; sunt, exercitia piorum, frenantia carnem, excitantia spem & patientiam, augentia preces, & avertentia cor nostrum à mundo ad Deum: quæ certò singularia sunt beneficia Dei, quibus multi destituuntur, qui absq; adflictione sunt. 3. Omnes tribulationes piorum cedunt ipsis tandem in bonum: & certò paratum est afflictis gaudium perfectius quam absq; tribulatione per-*

*cepissent*

cepissent unquam. Ita etiam temperat Deus ipsorum tristitiã, ut subinde exhilarentur iterum, & gustum quendam divinæ bonitatis percipiant, qui tempore tranquillo non erat tam perspicuus, quò refer locũ Tob. 3, 22. Thren. 3, 31. Sir. 2, 13. Hæc omnia magna Dei beneficia sunt, quæ nobis præstat, etiam dum mala infligere videtur. Gratitudinem ergò à nobis requirunt ipsius Dei nomine: Voluntas enim Dei est, inquit Paulus, nimirum ut in omnibus grati simus ipsi, qui nunquam exitiũ, semper salutem suorum quærit, eamq; etiam per adversitates sæpè maximas promovet, quemadmodum exempla Iosephi, Davidis & aliorum docent, quos per carceres ad regna, per exilia ad patriam, per ingnominiam denique ad gloriam erexit.

## QVÆSTIO IV.

Rectenè ex eo, quod prophetias spernere prohibemur v. 20. colligitur, quod qui donum prædicendi futura hodie jactant, audiendi sint?

Resp. Abutuntur hac sententia novi Prophetæ, qui etiamsi ipsorum vaticinia per eventum & experientiam, stultorum magistram, multoties refutata sint, nihilominus audiri cupiunt, eò quod scriptum sit: Prophetias nolite spernere. Sed in explicatione textus ostendimus, prophetias hic notare interpretationem scripturarum, sicut hæc vox usurpatur 1. Cor. 14. De Prophetis autem quibusvis, qui notitiam futurorum jactant, intelligi nõ possunt, partim quia manifestum textum habemus in contrarium: Nolite omni spiritui credere, inquit Iohannes epist. 1. cap. 4, 1. Sed probate Spiritus, num ex Deo sint, quia multi pseudoprophetæ exierunt in mundũ: partim quia non promisit Deus populo suo novos prophetas ante finem seculi:

Et

*Et quanquam non negamus, ipsum tales excitare posse: temeritatis tamen esset, hoc donum affectare, vel jactare, cum veri prophetæ olim ferè inscij prædixerint ea, quæ Spiritus Sanctus ipsis revelarat: hi verò & scire & ex ore Dei audijsse gloriantur, ignari licet, utrum ater vel albus spiritus ipsis apparuerit. Quod si vaticinia ipsorum essent divina, ut cum scriptura sacra ex asse convenirent, necesse esset, pleraq; autem novorum prophetarum dogmata scripturæ sunt adversa, quin & ipsam scripturam una cum ministerio verbi ordinario rident, ad nova dogmata, ad bella, ad seditiones & tumultus occasionem præbent. Proinde confidenter tales prophetias spernimus, sicuti monitum Salvatoris nostri, qui nos pseudoprophetas cavere jussit Matth. 7. plura de prophetis egi in Cap. 4. prior ad Timoth. part. 1. quæst. 1.*

## TERTIA PARS.

### TEXTVS.

Αὐτὸς δὲ ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης ἁγιάσαι ὑμᾶς ὁλοτελεῖς· καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τηρηθείη.

Πιστὸς ὁ καλῶν ὑμᾶς, ὃς καὶ ποιήσει.

Ἀδελφοὶ, προσεύχεσθε περὶ ἡμῶν.

Ἀσπάσασθε τοὺς ἀδελφοὺς πάντας ἐν φιλήματι ἁγίῳ.

23. IPse autem Deus pacis sanctificet vos totos: & integer vester Spiritus, & anima & corpus, ita ut in nullo possitis culpari in adventu Domini nostri Jesu Christi, servetur.

24. Fidelis est qui vocavit vos, qui idem efficiet.

25. Fratres, orate pro nobis.

26. Salutate fratres omnes cum osculo sancto.

Ὁρκίζω ὑμᾶς τὸν Κύριον, ἀναγνωσθῆναι τὴν ἐπιστολὴν πᾶσι τοῖς ἁγίοις ἀδελφοῖς.

Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μεθ' ὑμῶν. Ἀμήν.

Πρὸς Θεσσαλονικεῖς πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Ἀθηνῶν. Ἐν στίχοις ϛλγ΄.

27. Adjuro vos per Dominum, ut recitetur hæc epistola omnib9 sanctis fratribus.

28. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit vobiscum Amen.

29. Ad Thessalonicenses prima scripta fuit ex Athenis.

*Epilogus Epistolæ hujus constat voto, consolatione, & precibus. Votum ita habet:* Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: ut integer spiritus vester, & anima & corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur v. 23. *Sanctificatio hominum in scriptura triplex reperitur una est legalis externa, consistens in mundatione vestium, manuum, in abstinentia à certis cibis, in unctione & alijs ceremonijs, quibus ad sacra olim præparabantur ex instituto Domini: de qua sanctificatione legitur* Exod. cap. 29, 39. 37, 29. Lev. 8, 9. Num. 6, 21. &c. *Altera est Evangelica, quæ consistit in mundatione peccatorum per sanguinem Christi, quæ aliàs vocatur justificatio, ita Christus sanctificare dicitur populum per sanguinem suum* Hebr. 13, 12. *& sanctificare Ecclesiam, cum mundat eam lavacro aquæ in verbo* Eph. 5, 26. *Tertia est legalis interna, quæ est effectus justificationis, & consistit in sanctimonia adfectuum cordis, in sanctitate vitæ, & integritate morum, de qua loquitur scriptura* Rom. 6, 19, 22. 2. Cor. 7, 1. 1. Thess, 4, 3, 4. &c. *Postremam hanc sanctificationis speciem intelligit Paulus noster, eamq; precatur Corinthijs à Deo pacis, quem & Christus orat, ut sanctificet electos in veritate* Joh. 17, 17. *quod fit, cum spiritu sancto corda ipsorum regit, ut cogitent, faciantq; ea, quæ electos Dei filios decent, ut similes fiant æterno Patri, qui*

*hanc ab ipsis sanctitatem requirit* Lev. 19, 2. *Optat autem Paulus eis totalem & perfectam sanctificationem, quæ attingat Spiritum, animam & corpus hominis, ut totus homo in ultimo Christi adventu sit inculpatus, qui aliàs, licet sanctissimus, hac in vita quotidiè peccatorum suorum remissionem orare teneatur.*

*Monemur hîc* 1. *de corruptione naturæ nostræ. Nam cum sanctificatione Dei indigeamus, naturâ nostra nos pollutos & extremè vitiosos esse necesse est, nec tantum in aliqua parte, sed ὁλοκλήρως, & per omnia, ita ut mens nostra tota sit aversa à Deo, nec sapiat, quæ sunt Dei, nec intelligat mysteria Dei, & voluntas abhorreat á bono, proclivis semper ad malum. Quam ob causam omne figmentum cordis nostri malum esse dicitur à pueritia* Gen. 6, 5. *& omne nostrum Φρόνημα inimicitia adversus Deum* Rom. 8. *Fallunt ergo Pontificij, qui concupiscentiam, in qua potissimum corruptio naturæ nostræ consistit, vel tantum vel præcipuè ad inferiorem animæ partem restringunt, h. e. carnem, qua rebellat rationi, qua de re vide Staplet. lib. 1. de universa justifi. ratione, & Bellarm. lib. 5. de amiss. grat. cap. 15. Apostolus noster huic malo spiritum etiã hominis involvit, quando & illum sanctificari à Deo exoptat. Et nos colligimus inde peccatum originis propriam suam sedem habere in animâ, & quidem in principali ejus facultate, unde Paulus mentis transformationem & renovationem inprimis urget* Rom. 12, 2. Eph. 4, 23. *negari tamen non potest, subjectum hujus horrendi mali esse totum hominem, corpore & anima, cum omnibus ejus facultatibus animæ consideratum, ideo Paulus sanctificationem corporis, animæ, & Spiritus necessariam esse docet. Nihil autem monstrari potest in homine, quod à corruptione ista sit exemtum: qua de causa Lutherus scripsit super Psal.* 51. peccatum est hoc to-

tum

tum, quod natum est ex patre & ex matre: *Sedes ejus prima gutta seminis & sanguinis* Psal. 51,5. *cor.* Gen. 8. *mens* Ephes. 5. *Caro*, Rom. 7. *os, lingua, labia, guttur, pedes* Rom. 3. *omnia membra, in quibus est lex peccati* Rom. 7.

II. *Etsi verò purgatio peccati fit in Baptismo, quam comitatur sanctificatio seu renovatio nostra: imperfecta tamen est sanctificatio, ideo Paulus Thessalonicensibus, utiq; regeneratis & spiritu Sancti donatis sanctificationem ex omni parte perfectam precatur: & alibi hortatur renatos & fideles; reconciliemini Deo* 2. Cor. 5, 20. *renovemini spiritu mentis vestræ* Eph. 4, 23. *induite novum hominem ibid. mundate vos perficientes sanctificationem* 2. Cor. 7, 1. *Nondum enim deposuimus carnem, quæ in renatis etiam est residua: ideo novus homo de die in diem renovatur* 2. Cor. 4, 16. *& Augustini dictum notum est:* Reatus concupiscentiæ in Baptismo continuò aboletur, sed non infirmitas continuò sanatur *epist.* 105. *& iterum:* Baptismus sanat vitiatum à reatu statim, ab infirmitate paulatim *lib.* 2. *cont. Iulianum.*

III. *Sanctificatio nostra non est opus humanarum virium, sed Dei, à quo cum Paulo semper petendum est, ut sanctificet nos perfectè, quod fit illuminatione mentis nostræ, & gubernatione voluntatis omniumq; affectuum, ut sapiamus & desideremus ea, quæ justa & sancta sunt: naturá enim ad illicita proclives sumus. Ideo Propheta orat: converte tu me & convertar* Jer. 31, 18. *& David, cor novũ crea in me Domine,* Psal. 51, 12. *Scriptura quidem jubet nos ipsos facere nobis cor novum & spiritum novum* Ezech. 18, 31. *induere novum hominem* Eph. 4, 13. *perficere sanctificationem* 2. Cor. 7, 1. *sed his præceptis nihil adscribitur viribus nostris: quia à mandato Dei ad vires nostras in divinis argumentari non licet: neq; tamẽ sunt inania & inutilia præcepta; sed ostendunt infirmitatem nostram, & occasionem præbent petendi à Deo quæ*

nobis desunt, & utendi medijs, per quæ Deus sanctificationem nostram perficit. Loquuntur etiam de renatis, qui in quotidiana pœnitentiâ cooperantur Spiritui Sancto non quidem ex proprijs viribus, sed ex ipsius spiritus Sancti gratiâ: ideo vocantur συνεργοῦντες 2. Cor. 6, 1. &c. Et hoc fuit Pauli votum.

Iam, ne de impletione voti hujus dubitent, consolationem addit, petitam à bonitate & potentia Dei, qua & velit & possit ipsos ad magnum illum Domini adventum servare inculpatos: Fidelis est, inquit, qui vocavit vos, qui etiam faciet v. 24. Deum effecturum id quod voverat Apostolus, h. e. perfecturum ipsos in sanctimonia, probat à fidelitate Dei, quæ complectitur tum bonitatem ejus, per quam est optimus, tum potentiam, per quam est maximus: illâ benè vult electis suis; hac juvare & conservare eos potest in bono. Utrumq; declaravit in vocatione ad Ecclesiam, quæ merè est gratuita, non enim ex operibus quæ fecimus nos, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data nobis est per Iesum Christum 2. Tim. 1, 9. est etiam divinæ potentiæ opus, qua vocata sunt ea, quæ non sunt, ut sint Rom. 4, 17. qua ex non populo factus est populus Dei Ose. 1, v. 11. Ex hac gratuita & potente vocatione nostra colligit Paulus Deum esse fidelem, sibiq; semper constantem, qui electos suos, ut ut hac in vita infirmitatibus carnis etiam obnoxios, in sanctitate perfecturus sit.

Habemus hic verum πεκμήριον, ex quo perseverantia nostra in bono judicare possumus, nimirum fidelitatem Dei, ad quam etiam remittimur 1. Cor. 10, 13. & 2. Tim. 2, 13. Probavit eam nobis in fœdere, quod pepigit nobiscum in Baptismo, quod ex sua parte semper ratum manet, etiamsi nos excidamus, negare enim seipsum non potest 2. Tim. 2, 13. & dona ejus sunt ἀμεταμέλητα Rom. 11, 29. Nostrum ergo est reverti ad Deum verâ pœnitentiâ, à quo peccatis discessimus; orare

etiam

etiam pro perseverantia, & custodia in bono, ne fidei naufragium faciamus; & Deo confidere, ipsum preces exauditurum & nos confirmaturum in bono. Nam qui dedit salutis primordia in vocatione, is etiam quæ necessaria sunt, superaddet. Qui cœpit in uobis bonum, perficiet etiam usq; in diem Iesu Christi Phil. 1, 6. Ipse enim solus operatur in nobis, & ut velimus, & ut efficiamus, pro bonâ sua voluntate, Phil. 2, 13. Quæ omnia tentationibus carnis nostræ opponenda sunt & dubitationi de salute. Nam quia salus non dependet à nostris viribus, sed à Dei bonitate & potentia, ideo nõ succumbemo, etiamsi interdum affligamur; & quia Deus ille noster fidelis est infideles certè nos essemus, si salutem nostram in dubium vocaremus: quid enim hoc esset aliud, quàm de ipsa Dei bonitate ac potentia, quin & de verborum suorum veritate dubitare? Hac ergo ratione Paulus voti sui certitudinem obsignavit.

Restant preces & monita quædam Apostoli ad Thessalonicenses in specie directa. 1. Primum est: Fratres orate pro nobis v. 25. Materiam precum exprimit Eph. 6, 19. Orate pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia, notum facere mysterium Evangelij &c. idem repetit Colos. 4, 3. Necessariæ enim erant preces pro tanto viro, à quo salus tot Ecclesiarum dependebat. Observa hic 1. illustre humilitatis exemplum. Apostolus tam sanctus non modò Thessalonicenses fratres suos nominat, sed & preces eorum desiderat apud Deũ. Nullus enim sanctorũ tam perfectus est, quin aliorũ precibus opus habeat: nemo etiam piorũ tam abjectæ sortis in mundo, quin preces ejus, si alioquin rectè habeant, gratum sint sacrificium coram Deo: ideò Paulus preces fieri vult pro omnibus hominibus, etiam pro ijs, qui in eminentiâ sunt constituti 1. Tim. 22.

2. Quam necessariæ nobis sint preces mutuæ, Paulus testatur, qui cum precibus suorum carere noluerit, nos nostri officij admonuit,

*admonuit, quod caritas Christiana à nobis requirit. Orate pro invicem, ut salvemini, inquit Iacobus* cap. 4, 16. *& Christus ideò precum formulam in plurali numero posuit, ut hanc partẽ caritatis Christianæ nobis commendaret* Matt. 6, 9.

11. *Secundum est*: Salutate fratres omnes, cum osculo Sancto, v. 26. *Osculum frequens erat apud Iudæos & familiare benevolentiæ ac amicitiæ signum, sicut apud nos porrectio dexteræ: Quo utebantur* 1. *amici in primis congressibus, exempla sunt Esavi & Iacobi* Gen. 33, 4. *Iacobi & Rahelis* Gen. 29, 11, *Iethronis & Mosis* Exod. 18, 7. *Raguelis & Tobiæ, Tob.* 7, 6. 2. *in discessu & valedictionibus: exempla sunt Nahemi & Arpad* Rhut. 1, 14. *David & Berzellai,* 2. Sam. 19, 39. *Elisæus & parentes ejus* 1. Reg. 19, 20. 3. *in reconciliatione dissidentium: exempla sunt David & Absolon,* 2. Sam. 14. 33. *filius prodigus & pater ejus* Luc. 15, 20. 4. *in coronatione regũ addebatur osculum, observantiæ & subjectionis gratia, ut* 1. Sam. 10, 1. 5. *in primitiva Ecclesia Apostolorum osculum erat signum consensus in fide & caritate, quo sensu Paulus à novitijs Christianis mutuum requirit osculum, non tantum in nostro textu, verum etiam* 1. Cor. 16, 20. 2. Cor. 13, 11. *unde factum, ut qui ad sacram communionem accedebant, se prius oscularentur, in signum fraternæ amicitiæ, mutuiq; consensus in fide. Hujusmodi morem jam tum Tertulliani tempore usitatum fuisse, ipse testatur, tum in lib. de veland. virgin.* cap. 14. *sub fin. ubi non probat, si virgines inter amplexus & oscula concalescant (ita enim ex osculo sancto fiebat osculum impudicum) tum in lib. de oratione* cap. 14. *sub init. ubi similiter improbat, quod jejunantes habita oratione cum fratribus, subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis.* Quando autem magis, *inquit*, cum fratribus conferenda pax est, nisi quum oratione commendabilior adscendit &c? *Ad*

*hunc*

*hunc morem pertinet præceptum Pauli de osculo. Vult autem esse osculum sanctum, quod opponitur impudico, & est Sancti amoris, quem Spiritus Sanctus accendit indicium externum.*

*Commendatur ergo nobis hic fraterna amicitia, quæ inter ejusdem fidei socios meritò esse debebat, sacrosancta, cujus fundamentum non sit quæstus aut emolumentum aliquod, multò minus voluptas aliqua carnalis, sed fidei consensio, quam Spiritus Sanctus conciliat, & per eam animos hominum etiam locis dissitorum conjungit.* Vera enim necessitudo illa est (*ut hoc de suo mihi largiatur Hieronymus ex prologo galeato*) & Christi glutinæ copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia tantum corporum, non subdola, & palpans adulatio: sed Dei timor, & divinarum scripturarum studia conciliant. *Absit ergo hic hypocrisis, absit osculum Judæ, aut Ioabi, sed quemadmodum fides, quam profitemur, instar lactis sincera est, ita etiam sit animorum in fide consentientium conjunctio sincera & absq; fuco. Odit enim Dominus cor machinans cogitationes iniquas, & extemplò veniet perditio ejus, & subitò conteretur.* Prov. 6, 15, 18. *Obser.*

*III. Tertium*: Adjuro vos per Dominum, ut recitetur hæc epistola cunctis sanctis fratribus v. 27. *Pertinet hoc præceptum ad primarios Ecclesiæ Thessalonicensis, ad quos missa videtur epistola: qui ne eam inferioribus inviderent, juramento quasi obligantur, ut cum omnibus ac singulis istius Ecclesiæ membris eam communicent, annuncians iram Domini, si non faciant, hoc enim est, adjurare per Dominum. Noluit enim Apostolus tam divinas consolationes, quibus hæc epistola plena est, denegari cuiquam, cum singulos eis indigere non ignoraret.*

*Monemur*

*Monemur hic* 1. *quantæ autoritatis sint epistolæ Paulinæ: nam quod de hac dicitur, de cæteris omnibus intelligendum est, quia ab uno proficiscuntur spiritu, quas singulis Ecclesiæ membris commendat, & familiares esse vult Apostolus. Neq; id ex nimio amore erga suum fœtum factum est, sed ita officium ejus requirebat, ut, quia sciebat doctrinam hanc suam esse* Θεόπνευστον, *omnibus Christianis eam redderet quam commendatissimam. Amemus ergo & nos scripta Pauli, & tantum quisq; in studio Theologico se profecisse putet, quantum in his scriptis profecerit. Magnæ autem impietatis est, homines à lectione epistolarum Paulinarum arcere, quod in Papatu fit, partim prohibitione lectionis Biblicæ in genere, partim verò & inprimis, contemtu scriptorum Paulinorum, quasi sint incomta & malè cohærentia, troporum, voraginum, concisionum, hyperbatorum plena, ac instar librorum Sibyllinorum vulgò prohibenda, quemadmodum olim Martinus Peresius Hispanus impudenter scripsit, fortè in hunc finem, ut hæc scripta papatum funditus evertentia, è piorum manibus eliderentur: quod mysterium iniquitatis aperuit Antonius quidam legatus Pyranensis, qui hominibus non concedendum dixit, ut epistolas Paulinas legant: multos enim scio, inquit, qui ex solis Pauli epistolis Lutherani effecti sunt. Quo infensiores ergo Papiculæ sunt his divinis D. Pauli scriptis, eò magis nos amemus ea, locũ dantes admonitioni Apostoli, adjurantis eos, qui Ecclesiæ præsunt, ut epistolas suas cum omnibus sanctis fratribus comunicent.*

2. *Admonemur etiam, doctrinam cœlestem nemini piorum esse invidendam. Ideo quàm simplicissimè proponenda est, ut omnes intelligant, siquidem omnium interest, ut fundamenta pietatis rectè jaceant, & fidei suæ rationem omni inter-*

*roganti*

roganti reddere discant. Quò pertinet illud, quod Apostolus Ecclesiæ ministros œconomos mysteriorum Dei nominat, à quibus nihil requiratur aliud, quam ut fideles reperiantur 1. Cor. 4, 2.

3. Sed & hoc observandum est, licitum esse, juramento aliquem obligare in re seria, & quæ alicujus sit momenti, quemadmodum Paulo adjurat Thessalonicensium primores, & Saul populum suum 1. Sam. 14, 24. Quemadmodum enim juramentum finis controversiarum dicitur Heb. 6, 16: ita commodissimum medium est, indagandæ veritatis. Nemo ergo detrectet juramentum, si legitimè & justis de causis à superioribus ei offeratur.

Tandem usitato voto Epistolam hanc claudit Apostolus, quo in omnibus Epistolis uti solet: Gratia Domini nostri Jesu Christi sit vobiscum, Amen. Gratiam per Christum partam intelligit, quæ consistit in remissione peccatorum, in dono Spiritus S. in conscientiâ purâ, quæ offertur in verbo & apprehenditur fide, quæ ex peccatore facit justum, & jam tum hac in vita gustum præbet æternæ felicitatis. Omnia ergo penes illum bona sunt, penes quem hæc est gratia: quam propterea Apostolus, tanquam pretiosam coronidem & totius suæ doctrinæ summam omnibus epistolis suis adnectit. Quæ gratia nobiscum etiam sit & semper maneat per Iesum Christum Dominum ac Salvatorem nostrum, cui una cum Patre & Spiritu S. uni vero Deo sit honor, gloria, & imperium sempiternum, Amen.

## PARAPHRASIS HVIVS PARTIS.

ORo Deum pacis autorem ut vos sanctos & impollutos reddat in omnibus, quo totus vester homo integer & incõtaminato reperiatur in ad-

ventu Christi ultimo. Spero id facturum ipsum, quia ad hoc vocavit vos, quem vocationis vestræ finem fideliter implebit. Quod superest, Charissimi, commendo me precibus vestris, & oro, ut sancto osculo vestrũ consensum in fide & charitate testatum faciatis. Obtestor autem in domino, ut epistolæ hujus lectionem cum omnibus sanctis fratribus communicetis. Ita gratuitus Domini nostri Jesu Christi favor omni tempore vobis affulgeat. Amen.

## QÆSTIONES EX HAC PARTE CAPITIS.

### QVÆSTIO I.

Num ex verbis Pauli. v23. ut integer vester Spiritus & anima & corpus sine querela in adventum Domini nostri Iesu servetur, colligi potest, hominem tribus constare partibus, Spiritu, anima, & corpore?

*Resp. Ita quidam collegerunt, ex retentioribus, qui & aliys scripturæ locis abutuntur, ubi similiter Spiritus ab anima distinguitur, ut* Luc. 1, 46. *Magnificat anima mea Dominum, & exultat spiritus meus &c. & apud Iobum: absolvisti animam meam à spiritu meo. Sed, scriptura cum de partibus hominis accuratè loquitur, non nisi animam à corpore distinguit, tanquam partem à parte, ut* Eccles. 12, 7. *Corpus redit in terram unde sumtum est, spiritus redit ad Deum, qui dederat illum. Hic Spiritus pro anima ponitur, sicut* Psal. 31, 6. Act. 7, 59. *Et Deus in prima creatione non spiritum & animam, sed spiraculum vitæ inspirasse legitur* Gen. 2, 7. *quod tàm spiritum quàm animam notat, quia flatus sive halitus est; & tamen anima homini inspirata voce intelligitur. Quod ad locum Apo-*

*stoli:*

*stoli nostri attinet, Chrysostomus quidem una cum Scholiaste græco pec spiritum non intelligit animam, aut aliquam ejus partem, sed dona Spiritus Sancti, quæ servare jubeat Apostolo, ut maneant in nobis, aliàs periremus in adventu Domini. Sic & Theophylactus in hunc locum Apostoli scribit:* Spiritus est Charisma, quod accepimus in Baptismo. *Rectius autem Spiritus ab anima distinguitur, non ut pars à parte, sed facultas una animæ ab altera. Per spiritũ enim intelligitur superior animæ facultas, qua sapimus, alias mens seu intellectus appellatur: per animam vero inferior facultas, qua sentimus & appetimus, & alias voluntas & appetitus dicitur. Vult ergo Apostolus, ut ita Deus sanctificet, quo neq; intellectu neq; voluntate quidquam contra sacrosancta ejus mandata facianus. Eodem sensu vocabulum Spiritus usurpatur de anima rationali seu de mente hominũ, quando Paulus dicit, Caro concupiscit adversus spiritum* Gal. 5, 17. *Eundem spiritum mentem nominat* Rom. 7 25. *Sic exponit hunc locum Augustinus* lib. 4. de anima cap. 22. *& Didymus de Spir. San. apud Hieronym. tom. 9 Gregorius Nyssenus autem, notante Theophylacto, per spiritum intelligit partem rationalem, per animam sensitivam, per corpus, vim, qua vita nostra redditur vegetior atq; crescit. Alij per spiritum hominem renatum, quem scriptura Spiritualem nominat, intelligunt, per animam verò hominem animalem. Sed quæ sit simplicissima hujus loci sententia, jam diximus.*

## QVÆSTIO. II,

Rectène ex verbis Apostoli v. 27. Adjuro vos per Dominum, ut legatur hæc epistola omnibus sanctis fratribus, colligitur, epistolas Paulinas ad universam pertinere Ecclesiam & ab omnibus legendam esse?

Resp.

*Resp. Vulgo existimatur in papatu, Paulum epistolas suas ad certos homines & tempus certum adaptasse, ita ut hodie nõ ubiq; sit earum usus. Contrarium autem docent hæc verba. Obtestatur enim Thessalonicenses, ut hanc epistolam, quod inter scripta Paulina prima fuit, omnibus fratribus legendam darent, ut videlicet omnibus de doctrina Pauli, quam hactenꝰ voce vivâ proposuerat, constaret: voluit enim scripta sua esse ὑπομνήματα sermonum in Ecclesia habitorum, propter eos, qui ad res divinas audiendas idonei futuri erant, referente Nicephoro lib. 2 cap. 34. Quæ ratio cum sit generalis, rectè colligimus, voluisse Paulum hoc suum scriptum legi à fratribus omnibus, qui ad res divinas audiendas idonei unquam futuri essent. Malè ergo fit in Papatu, quod lectio harum epistolarum prohibetur, & quod illæ pro norma fidei non habentur. Vocat quidem Benedictus Iustinianus ineptias, cum ex hoc & similibus Pauli locis concluditur sacras literas passim omnibus proponendas: sed non aliter probat, esse ineptias, quam quod Nazianzenus Hebræorum autoritate docuerit orat. 7 non omnia scripturæ volumina omnibus fuisse permissa. Verum hoc non ideo factum, quasi lectio illa prorsus & omni tempore illis sit interdicta, sed quod in quibusdam capitibus, ut in cap 1. Genes. & Ezechielis quædam occurrunt obscuriora, quæ reservanda erant ijs, quibus purior erat intellectus, donec & simplicioribus illis Spiritus S. lucem intelligentiæ accenderit. Sed quid hoc contra nostram sententiam? qui ex Paulo docemus Epistolas Paulinas omnibus fratribus legendas, proponendas, & explicandas esse, tanquam fundamentum fidei Christianæ cum quo quæcunq; doctrina non convenit, ea haud immeritò ut erronea & hæretica est repudianda.*

Finis hujus Epistolæ.

IN NOMINE
PATRIS, FILII ET
SPIRITUS SANCTI
AMEN.

Παῦλε & Απος όλε ἡ πρὸς Θεσσαλονικεῖς ἐπιστολὴ δευτέρα.

PAuli Apostoli ad Thessalonicenses Epistola posterior.

*Argumentum Occasio & partitio Epistolæ.*

QUemadmodum prior ad Thessalonicenses primùm omnium scripta fuit: ita hæc posterior Epistola in ordine Epistolarum Paulinarum secundum locum occupat, paulò post priorem exarata Athenis, ubi Paulus aliquandiu, propter furores Judæorum substitit. Etsi verò qua occasione scripta fuerit, varient interpretes: tres tamen hujus scriptionis causæ ex utriusque epistolæ collatione colligi queunt. Prima est voti Apostolici impletio. Nam quantopere desiderarit Apostolus videre Thessalonicenses, & doctrinam,

quam vivâ voce primum, deinde per Epistolam tradiderat, confirmare, cap 4. illius epistolæ v. 10 indicaverat; *nocte ac die*, inquit, *abundanter oramus, ut videamus faciem vestram, & compleamus ea quæ desunt fidei vestræ.* Cum verò coràm cum ipsis agere prohiberetur, hac jam Epistola defectum illum supplere, depositumque doctrinæ sanæ apud ipsos confirmare & desiderium suum quodammodo lenire voluit. Secunda causa est doctrinæ antea traditæ melior declaratio. Nam quæ de ultimo Christi adventu scripserat, multi non satis percepisse videbantur. Dixerat, *nos qui superstites erimus, simul cum eo rapiemur obviam in nubibus* cap. 4, 17. quæ verba primo intuitu ita poterant intelligi, ac si dies ille Domini jam tum instaret: quam opinionem seductores nonnulli non parum confirmabant, qui se ista ex ore Pauli audijsse mentiebantur, ut ex 2. cap. v. 2. hujus epistolæ liquet. Sed cum hac opinione Christus mendacij argueretur, qui signa quædam diem illum anteceßura prædixerat, & multi pij in officijs suis aut re familiari segniores fierent, quasi, qui frustrà laborem insumunt, quem propediem dies ille Domini intercepturus esset: ideo Paulus ejusmodi cogitationes eis eximit, osten-

dens,

dens, Antichristum prius revelandum esse, qui tunc temporis adhuc in obscuro quasi latuit. Tertia denique causa est hominum inordinatorum correctio. In priori enim epistola cap. 5. v. 14. τῶν ἀτάκτων meminit, *quos monendos judicavit.* Per hos intelligit eos inprimis, qui opinione instantis novissimi diei, otiosi circumvagabantur, & cum non ipsi laboribus suis victum adquirerent, publicis Ecclesiæ sumtibus alebantur, & sic pauperum eleemosynas ad se rapiebant, quos in ordinem cogendos esse docet cap. 3, 11. ne alij quibus bona Ecclesiastica inprimis servire debebant, propter ipsos defraudarentur.

Præcipuus autem hujus Epistolæ scopus est confirmare fidem Thessalonicensium, quæ tum propter persecutiones, tum propter novas quorundam opiniones & inutiles disputationes periclitabantur. Idcirco fidem ipsorum magnoperè commendat, & ut in ea inoffenso pede pergant, hortatur: ne facilè fidem habeant quibuslibet opinionibus aut rumoribus monet, ante novissimum Christi adventum Anti-Christi revelationem expectent, precibus curriculum Evangelij promoveant, pietati studeant,

& omnes in otio & aliàs inordinatè viventes à communione excludant. Etsi verò multi sunt in hac epistola loci Theologici, ob quos utiliter tractari potest in Ecclesia: sunt tamen præcipuè quatuor, quæ eam insigniter nobilitãt. 1. novissimi judicij memorabilis descriptio, cap. 1. 2. doctrina de traditionib9 Ecclesiæ 3. de Antichristo & 4. define mundi: quæ instar stellularum in hoc scripto leucent, illudq; nobis inprimis commendant. Partes Epistolæ tres sunt secundũ tria ejus capita: Prima est *consolatoria*, Secunda *didactica*: Tertia *hortatoria* ad bonos mores. De quibus omnibus, ut quæ sana sunt & salutaria, proferamus & discamus, adsit nobis Christus Jesus, laborum nostrorum fons atq; finis. Amen.

## CAPUT I.

## ARGVMENTVM ET PARtitio Capitis.

*PRæmisso voto, gratulatur Apostolus Thessalonicensibus de præclarâ in Christum fide, quam hactenus inter tribulationes multas probaverant: simulq; consolatur eos largissimâ retributione pietatis & constantiæ suæ, justaq; animadversione Dei in*

*persecutores suos, cujus rei causa Christum ad judicium venturum ait, cujus adventu ut hujus vitæ molestias leniant, simul hortatur. Bipartitum ergo Caput est.*

In I. parte est gratulatio de incremento fidei Thessalonicensium à principio cap. usque adversʃ. 6.

In II. est consolatio, ne incrementum illud in persequutionibus deficiat; usque ad finem cap.

## PRIMA PARS
### *TEXTVS.*

Παῦλος καὶ Σιλουανὸς καὶ Τιμόθεος, τῇ ἐκκλησίᾳ Θεσσαλονικέων, ἐν Θεῷ πατρὶ ἡμῶν, καὶ Κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ.

Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ὑμῶν, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Εὐχαριστεῖν ὀφείλομεν τῷ Θεῷ πάντοτε περὶ ὑμῶν, ἀδελφοὶ, καθὼς ἄξιόν ἐστιν, ὅτι ὑπεραυξάνει ἡ πίστις ὑμῶν, καὶ πλεονάζει ἡ ἀγάπη ἑνὸς ἑκάστου πάντων ὑμῶν εἰς ἀλλήλους.

1. PAulus & Silvanus & Timotheo, Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

2. Gratia sit vobis & pax à Deo patre nostro & Domino Jesu Christo.

3. Gratias agere debemus Deo semper de vobis, fratres, ut par est, quod vehementer augescit fides vestra, & exuberat mutua vestra omnium charitas cujusque in alterum.

Ὥστε ἡμᾶς αὐτοὺς ἐν ὑμῖν καυχᾶσθαι ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ Θεοῦ, ὑπὲρ τῆς ὑπομονῆς ὑμῶν, καὶ πίστεως ἐν πᾶσι τοῖς διωγμοῖς ὑμῶν καὶ ταῖς θλίψεσιν αἷς ἀνέχεσθε.

4. Adeo, ut nos ipsi de vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, de tollerantia vestra & fide super omnibus persecutionibus vestris & afflictionibus quas sustinetis.

Ἔνδειγμα τῆς δικαίας κρίσεως τοῦ Θεοῦ, εἰς τὸ καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ ὑπὲρ ἧς καὶ πάσχετε.

5. Documentum justi judicii Dei in hoc ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini.

EXordium primis duobus versiculis comprehensum, idem est cum eo, quod in præcedente Epistola habuimus. Nomen suum præmittit Paulus, ut de autoritate hujus scripti constet, quod & charactere manus suæ confirmarit, ut patet ex cap. 3, 17. Apostolatus non meminit, quia illi, ad quos scribebat, Paulum noverant, & in pretio habebant: Silvanum & Timotheum sibi adjungit, humilitatis & consensus causa: eundem sibi adjungit 2. Cor. 1, 19. Silas nominatur primus frater Act. 15, 22. Petrus vocat eum fidelem fratrem 1. Pet. 4, 12. scribit Ecclesiæ Thessalonicensium, quæ est in Deo patre & Domino Jesu Christo, ad differentiam Synagogæ Iudaicæ, quæ erat Thessalonicæ, in qua non erat vera cognitio Dei patris aut Christi. Precatur eis gratiam, h.e. constantem Dei favorem, & pacem seu tranquillitatem conscientiæ ex illo gratuito Dei favore ortam: idque à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo, quia extra Christum Deus nemini favet. Non enim Christus hic à Deitate excluditur, sed, ut causa meritoria ab efficiente salutis & felicitatis nostræ distinguitur. Hoc exordium

excipit

*excipit propositio primæ partis v.* 3. Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat caritas uniuscujusque omnium vestrum in invicem v. 3. *Gratulatur Thessalonicensibus de præclaris in Christianismo profectibus, quos Deo adscribit operanti initium & finem omnis boni in nobis, cui propterea non tantum immortales agit gratias, sed & eo nomine se debitorem agnoscit*, Debemus, *inquit*, Deo gratias agere, ficut dignum est: *ita enim gratulandum est de aliquo bono, ut autorem ejus gratâ mente agnoscamus, ne quid humanis tribuatur viribus. Materia gratulationis est incrementum fidei & caritatis, quæ sunt præcipuæ duæ partes Christianismi, quarum illa cor elevat ad Deum, hæc flectit ad proximum; illa præcedit, & per se placet Deo, semperq; gignit opera caritatis: hæc sequitur & placet propter fidem: utriusq; incrementum est signum perfectionis, qualis quidem hac in vita in hominem pium cadere potest. De quo incremento cum Paulus gratias agat Deo, simul etiam Thessalonicenses ad gratitudinem indefessam extimulat. Constat ergo gratulatio Pauli primùm, gratiarum actione erga Deum: Deinde gloriatione apud alios: ita enim porrò scribit:* Ita ut & nos ipsi gloriemur in vobis in Ecclesijs Dei, pro patientiâ vestrâ in fide in omnibus persequutionibus vestris & tribulationibus quas sustinetis v. 4.

*Duo in hoc versiculo exprimuntur*: I. *effectus abundantis illius fidei & caritatis, quæ gloriatio Pauli de tam præclaris discipulis, quorum studium & pietatem alijs Ecclesijs*

*ad imitationem proposuit. 2. Signum istius abundantiæ in fide, quia fidei junxerunt patientiam in tribulationibus, quæ veram pietatem comitari semper solent. Patientia autem, ὑπομονὴ est, quæ mala tolerat propter Christum, quæ depelli poterant, propriaq; Christianorum virtus est. Addit autem duas rationes, cur Deus sinat pios affligi in mundo. In exemplum, inquit, justi judicij Dei, ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini, v. 5. Prima ratio est, testimonium, ἔνδειγμα, seu declaratio & manifestum documentum futuri judicij, in quo Deus unicuiq; reddet, quod suum est, ideoque & injuriam patientibus largissimam compensationem tribuet. Altera est, præparatio ad regnum gloriæ, ad quam per tribulationes multas ingredi nos oportet, Act. cap. 14, 21. quo pacto regno illo Dei digni reddimur. Tres ergo sunt virtutes, quas hoc loco Paulus in Thessalonicensibus commendat: & ad perseverantiam in eis tacitè hortatur; fides, caritas, & patientia. Argumenta exhortationis sunt. 1. quia tam præclarum virtutum suarum præconem nacti sunt. 2. quia virtutes illæ jam tum in plurimis Ecclesijs innotuerunt 3. quia hac ratione ad gloriam regni Dei dignè præparantur: æquum igitur est in bono illo proficere & constanter perseverare.*

## PARAPHRASIS PRIMÆ PARTIS.

EGo Paulus cum fratribus Timotheo ac Silvano Ecclesiæ veræ, quæ Deo patri ac filio eius Domino Jesu Christo Thessalonicæ colligitur, gratuitum Dei favorem, veramque conscientiæ tranquillitatem à Deo propter Christum ex animo precor. Nostrū est,

carissimi,

carissimi, perpetuas Deo agere pro vobis gratias, quia æquum est agnoscere singularem Dei gratiam erga vos, quod tam præclara fidei vestræ incrementa dedit, & cariatem erga vos mutuam multiplicavit, adeò ut occasio nobis suppeditetur commodissima, gloriandi apud alias Ecclesias, quod tam dociles habuerim discipulos, qui suam in ferendis adversis patientiam abundè satis probarunt. Quæ adversa fideliũ certum sunt indicium restare diem justi judicij, ubi cuilibet retribuetur, prout gessit, & præparatio vestri ad regnum gloriæ Dei, cujus gratia adversitates istas toleratis.

## QÆSTIONES EX HAC PARTE CAPITIS.

### QVÆSTIO I.

Annon cum imperfectione nostræ renovationis pugnat, quod fides dicitur ὑπεραυξάνειν & caritas πλεονάζειν v. 3.

*Resp. Valde emphatica sunt verba Apostoli, quibus non simplex incrementum fidei & caritatis notat, sed tale omnino, quod abundantiam quandam includere videtur. Certum autem est, magnam esse Renatorum imperfectionem etiam hac in vitá: noster enim homo, qui foris est, corrumpitur, & is qui intus est, renovatur de die in diem 2. Cor. 4, 16. & fides etiam in sanctissimis tentationum fluctibus labefactatur, caritasque ipsorum interdum refrigescit, quia caro semper concupiscit adversus spiritum* Gal. 5, 17. *Non ergo simplex abundantia*

*fidei vel caritatis hic potest intelligi, cui nihil possit addi, sed certis respectibus limitata. Primum enim fides Thessalonicensium ὑπεραυξάνει & caritas eorum πλεονάζειν dicitur, respectu aliarum Ecclesiarum, quarum fides atq; caritas in adflictionibus & tentationibus æquè non inclaruit. Sic Noa dicitur justus ac perfectus in generationibus suis, h. e. comparatè, factâ nimirum collatione ad alios ejusdem ætatis & generationis homines, Gen. 6, 9. Sic & Davidi, Iobo, Asæ & similibus pijs πλειοτέλεια fidei & caritatis tribuitur, quando simplices, recti ac perfecti appellantur 2. Reg. 20, 3. 2. Paral. 15, 17. Iob. 1, 8. non absolutâ illâ simplicitate, rectitudine ac perfectione, quam Lex requirit sed comparatâ, quatenus simulationi & alijs pijs quorum fides atque caritas tantoperè non excelluit, opponitur: nam & Sanctissimi peccatorum suorum remissionem precibus efflagitare necessum habent Psal. 32, 6. quod infallibile est indicium, ipsos quoq; imperfectione aliqua laborare. Deinde fides Thessalonicensium vehementer crescere, & caritas abundare dicitur, respectu priorum temporum, ubi gradum istum excellentiæ in ipsis hæ virtutes nondum consequutæ fuerant. Nam Cap. 3. v. 12. prioris Epistolæ precabatur Paulus, ut Dominus multiplicet eos, & abundare faciat caritatem erga se invicem & in omnes. De cujus voti sui impletione jam sibi & ipsis gratulatur. Habent enim virtutes Christianorum suos gradus, qui nec in omnibus nec omni tempore sunt æquales, in illis autem ὑπεραυξάνειν & πλεονάζειν dicuntur, qui semper in bono proficiunt, ita ut manifesta incrementa indies appareant, licet ad summam illam ἀκμὴν, quam Lex requirit, nunquam perveniatur. Denique abundantia illa fidei & caritatis intelligenda est, non secundum gradum, sed secundum partes, h. e. non quod absolutissimum gradum perfectionis attin-*

*gat,*

gat, sed quia fides in periculis etiam satis apparet firma, & sic respectu infirmæ fidei, quæ etiam fides est Matth. 17, 20. ὑπεραυξάνειν dicitur magna fides, cum videlicet per ignem tentationum non probatur saltem, sed & ardentior & splendidior reddit.

[Talis fides in Cananæa, in capitaneo Capernaitico, quorum respectu discipuli erant ὀλιγόπιστοι]

Sic caritas πλεονάζει, cum non uni vel alteri benefacit, nec uno saltem beneficio se exerit, sed omnibus, quo ad ejus fieri potest, & quocunque beneficij genere gratificatur. Utrobiq; autem talis est abundantia, cui semper aliquid addi potest: idcirco cum imperfectâ nostrâ renovatione non pugnat.

## QVÆSTIO II.

Cum Paulus glorietur de Thessalonicensibus v. 4. an non gloriatur in hominibus & in carne, quod in alijs improbat, 1. Cor 3, 21. 2. Cor. 11, 18. & in solo Domino gloriari jubet 1. Cor. 1, 31. & 2. Cor. 10, 17. ex Ierem cap 9, 22.

*Resp.* Quadruplex est gloriatio in scriptura: una in carne, altera in Domino: tertia in nobis ipsis, quarta in alijs. Gloriatio in carne est jactantia donorum vel laborum, quibus palmam alijs præripuimus: & hæc tanquam vanitas merè carnalis, & superbia à pio homine aliena, simpliciter est prohibita. Ioh. 5, 44. Gal. 5, 26. Phil. 2, 3. In Pseudo apostolis damnavit eam Paulus 2. Cor. 11, 18. à se verò removet 1. Thes. 2, 6. Gloriatio in Domino est summus gloriæ nostræ gradus, quem obtinemus per Christum, qui Deum nobis fecit placatum, ut possimus ab eo, velut ab uberibus matris dependere, omnem in ipso fiduciam nostram col-

*locare, omnia ab ipso bona expectare. De hac Paulus,* 1. Cor. 1. 31. 2. Cor. 10, 17. *qui gloriatur, in Domino glorietur, h. e. confidat ei soli, & hanc primariam suam gloriam ducat, propitium habere Deum: ideo gratiâ Dei & non ex operibus salvari dicimur, ne quis glorietur, de meritis nimirum suorum operum,* Eph. 2, 9. *unde & fiducia justificans gloriatio spei nostræ appellatur* Hebr. 3, 6. *Gloriatio in nobis est nihil aliud, quam testimonium bonæ conscientiæ, quæ est in ijs, qui gloriam in Deo habent: aliàs appellatur secundaria gloriatio; primariò enim in Deo gloriandum, qui peccatores non deseruit, sed in gratiam recepit propter Filium, secundariò verò gloriari possumus in bona conscientiâ. Nam si cor nostrum nos non condemnat, fiduciam habemus ad Deum* 1. Joh. 3, 21. *Hujusmodi gloriationem sibi tribuit Apostolus* 2. Cor. 1, 12. *gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, hoc est, conscientia mea me amplissimo testimonio ornat, in quo gaudeo, si maximè mundus labores meos respuat, & me pro Catharmate habeat. Sic alios hortatur, ut probet unusquisq; opus suum, & sic habebit gloriam ex semetipso & non in altero* Gal. 6, 5. *h. e. studeant bonæ conscientiæ, & sic in ejus testimonio suaviter adquiescant, si maximè in mundo contemnantur. Sic in justitia sua gloriari aliquis potest, sed non coram Deo, sed coram hominibus, ut Paulus exemplo Abrahæ docet* Rom. 4, 2. *Ita verò semper in nobis ipsis gloriandum est, ut dona quæ in nobis sunt, non nobis, sed Deo adscribamus, à quo sublimatio contemtissimorum in mundo esse dicitur, ne glorietur omnis caro in conspectu ejus* 1. Cor. 1, 27. *Gloriatio deniq; in alijs est, magnificatio boni alicujus in alio, ejusq; prædicatio; Sic Paulus Corinthios vocat gloriam suam* 2. Cor. 1, 14. *quia laborum suorum felicem apud illos successum vidit. Eodem sensu coram alijs Ecclesijs gloriatur de Thessalonicensibus, h. e. fidem &*

*caritatem*

*caritatem, summamq; malorum tolerantiam laudat in ipsis, sibiq; gratulatur, quod Deus ministerio suo in ista Ecclesia tam clementer benedixit, aliisq; Ecclesijs virtutes istas ad imitandum proponit. Nihil ergo commune habet hæc gloriatio, cum gloriatione carnali, quia non gloriatur de rebus carnalibus, quas ipse illis attulerat, sed de beneficijs divinis, quæ Deus eis concesserat: nec gloriatur in hominibus, sed in Deo, qui ministerio suo benedixit: nec suam quærit gloriam, sed Dei, cui honor omnis debetur, etiam cum proximum florere videmus, & utilitatem aliarum Ecclesiarum, quas hoc suo gaudio & gloriatione ad similem pietatem invitat.*

## QVÆSTIO. II.

Quomodo possumus esse digni regno Dei, pro quo patimur v. 5. cum tamen alibi scribatur, non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis Rom. 8, 18?

*Resp: Duobus modis vocabulum ἄξιος & ἀξιοῦσθαι in scriptura usurpatur. 1. legaliter. 2. Evangelicè. Primo sensu, qui ferè vulgatissimus est, digni dicuntur, qui aliquid merentur. Est enim vocabulum relativum, quod respectum habet ad mercedem: & sic operarius mercede sua dignus dicitur* Matth. 10. v. 10. 1. Tim. 5, 18. *vir morte dignus* 1. Reg. 20, 48. *opus risu dignum.* Jerem. 51, 18. *Sermo acceptione dignus.* 1. Tim. 1, 15. 4, 9. *honore digni Presbyteri* 1. Tim. 5, 17. &c. *Secundo sensu dignus idem est, ac conveniens & idoneum. Sic jubemur fructus facere dignos pœnitentiæ*

Matth.3, 8. Luc.3,8 *& opera digna pœnitentia* Act. 26, 20. *h. e. opera, quæ homines verè pœnitentes decent, & ex quibus pœnitentiam fuisse seriam, agnosci potest. Ita Paulus de se scribit* 1. Cor.16,4. *si fuerit ἄξιον, dignum, ut & ego proficiscar, h. e. si conveniens erit. Et Christus* Matth.10. *qui diligit patrem & matrem plus quam me, non est me dignus, h. e. non convenit ut inter meos referatur. Sic Deus dignos nos fecit partem habere cum sanctis in lumine* Col. 1, 12. *ubi in græco est vox ἱκανώσας, idoneos reddens, quod latinus interpres reddit dignos: & in* Apocal. 3, 4. *de electis dicitur, quod cum Christo ambulent, quia digni sunt, h. e. quia æquum est, & ita decet, ut fideles à Christo nunquam separentur: ubi quilibet intelligit, non respici ad meritum operum seu dignitatem legalem, sed ad fidem & ἐπιείκειαν Dei, qui fideles dignos censet beneficijs, quæ eis promisit.* † *Eodem sensu qui patiuntur aliquid pro regno Dei, digni eo ducuntur, non quasi ipsis regnum Dei debeatur, ut meritum aut merces passionum suarum, sicuti Sophistæ in Papatu volunt, ita enim Paulus expressè ait, non esse condignas passiones nostras ad futuram gloriam, quia nulla inter ista dona & passiones nostras est proportio: sed quia conveniens est, ut qui pro Christo passi sunt, cum eo etiam regnent, & quia ad flictionem passi omnium maximè sunt idonei ad gloriam: quemadmodum Christus ipse pati debuit, & sic intrare in gloriam suam* Luc.24, 26. *non quod sibi patiendo demum eam gloriam promeruerit, habuit enim eam juxta divinitatem suã ante constitutionem mundi* Joh. 17. *juxta humanitatem verò à primo conceptionis suæ momento; sed quia conveniens erat ordinationi æterni patris, ut quò plura passus erat Christus, eò magis exaltaretur.*

Pertinet

*Pertinet ergo dignitas ista hæc, de qua Paulus noster, non ad legem, sed ad Evangelium, non ad justitiam, sed ad βασιλειαν Dei. Secundum legem certè nullius sancti passio tanti est, quæ gloriam regni Dei promereri queat: secundum Evangelium verò ex benignitate Dei tribulationes piorum acceptantur, tanquam sacrificium gratissimum, quod remuneratione sua non carebit. Deus enim gratuitò promisit gloriam & honorem fidelibus, juxta voluntatem suam afflictionem patientibus,* Act. 14, 21. Rom. 8, 17. 2. Tim. 2, 12. *Ex hac ergo voluntate, promissione atq; ordinatione Dei, non merito quodam nostro, digni censemur regno Dei, quod Christus disposuit suis, quemadmodum ipsi à Patre dispositum fuit* Luc. 22, 29. *quæ dispositio utrobiq; afflictionem præsupponit* Luc. 24, 26. Act. 14, 21. *Dignum enim est, h. e. conveniens ordinationi & promissioni divinæ, ut pij, qui molestias plurimas sustinuerunt, tandem molestiarum suarum relaxationem inveniant. Quæ omnia observanda sunt contra ea, quæ Bellarm. disputat de dignitate meritoq; operum nostrorum lib. 5. de justificat cap. 2.*

## Aphorismi locorum communium ex hac parte

*I. Dignum est, gratulari Ecclesiæ de incremento donorum spiritualium, eoq; nomine Deo gratias agere v. 3. Agnoscitur enim hinc donorum illorum autor Deus, qui plantante Paulo, rigante Apollo, solus dat incrementum* 1. Cor. 3. 7. *agnoscitur promissionum divinarum veritas, quod nimirum electi Dei non sint laboraturi frustra* Esa. 65, 23.

*quod*

*quod tam ad doctores pertinet, per quos Deus cum Ecclesia agit, quorum verbum non redibit ad ipsum vacuum* Esa. 55, 11. *quam ad auditores, quorum laborem non inanem futurum in Domino, dixit Apostolus* in 1. Cor. 15, 58.

2. *Gratulatio illa non fiat coram hostibus, hi enim ratione istâ facilius ad persequendum, quam ad imitandum excitarentur; quia suam Ecclesiæ felicitatem, & verbi Dei successum invident, clamitantes, Exinanite, exinanite usq; ad fundamentũ* Psal. 137. 7. *sed coram alijs Ecclesijs, quæ hoc exemplo confirmantur in curriculo incoato, sibi etiam similia pollicitæ donorum augmenta. Hac ratione à conversis confirmantur fratres, quod Christus D. Petrum monuit* Luc. 22, 32. *quam ob causam Paulus quoq; scribit, Thessalonicenses factos fuisse formam credentibus in Macedoniâ & Achaia* 1. Thessal. 1, 7.

3. *Fides suos habet gradus: in quibusdam est instar grani sinapis, ut in archisynagogo* Joh. 4, 49. *& discipulis* Matth. 8, 20. *In quibusdam verò instar arboris proceræ, ut in Capitaneo Capernaitico* Matth. 8, 8. *& in Cananæa* Matth. 15, 28. *Etsi verò etiam minima fides non est contemnenda: opera tamen danda est, ut quotidiè crescat, inprimis autem Dominus à quo fidem habemus, rogandus, ut fidem in nobis augeat* Luc. 17, 5. *& infirmitati nostræ succurrat,* Matth. 9, 24. *Eam ab causam Evangelium, ex quo fides nascitur, confertur grano in agro delitescenti, quod pedetentim crescit, & aliquandiu emortuum quasi videtur, cultura autem jucundum est, ut fructum ferat, qui tamen non ubiq; æqualis est, ut Christus in Parabola docet* Matth. 13, 19. Mar. 4, 20. *sic & fides etiam diligenter exculta inæqualem habet mensuram, prout cuiq; Deus dedit.*

4. *Caritas, per quam fides operatur* Gal. 5. 6. *etsi hac in vitâ*

*nun-*

*nunquam ad perfectam suam ἀκμὴν perveniet, abundare tamen dicitur, quando non uni nec in uno tantum beneficio, nec uno tantum tempore, sed omnibus, & in omnibus, & semper inservit. Cum omnibus ergo pacem habeamus, quantum in nobis est,* Rom. 12, 18. *non enim abundat caritate, qui unum vel alterum diligit, reliquos contemnit & odit, conspiratio hæc est, non amicitia: Operemur bona ad omnes, dum tempus habemus, maximè verò domesticos fidei* Gal. 6, 10. *omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur* Prov. 17, 17.

5. *Licitum est de ijs, qui per nos in bono profecerunt, sanctâ quadam lætitiâ gloriari, sicut Paulus noster de Thessalonicensibus v. 4. sic parentes, præceptores, magistratus de liberis, discipulis & subditis morigeris haud immeritò gloriantur, agnoscentes benedictionem Domini, quam laboribus ipsorum subministravit. Quam ob causam Siracid. de parente scribit. qui docet filium, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur.* Sirac. 30, 2.

6. *Fides & patientia conjunguntur v. 4. ut sæpè alibi in scriptura, tanquam duo præclustria requisita pij hominis. Nam fideles in mundo non sunt absq; persequutione* Matth. 16, 24. 2. Tim. 3, 2. Act. 14, 21. *ibi verò patientia opus est, ut faciamus voluntatem Domini* Heb. 10, 36. *Hinc à Deo nobis datum est, ut non saltem credamus in Christum, sed & pro nomine ejus patiamur,* Phil. 1, 29. *Fides nos adoptat in filios Dei, patientia in ὑοθεσία conservat: illa operatur patientiam, hæc in fide perseverantiam: ideo imitatores eorum esse jubemur, qui per fidem ac patientiam hæreditarunt salutem* Heb. 6, 12.

7. *Tribulationes piorum eximio ornantur elogio, quod fieri dicuntur pro regno Dei, eosq; qui patiuntur, dignos eo efficiunt v. 5. Non enim patiuntur, ut malefici, sed juxta volun-*

*tatem Dei, & pro gloriâ Dei: idcirco pretiosa est in conspectu Dei mors ipsorum* Psal. 116, 15. *Patienter ergo feramus, quod mutare non possumus. Hæc enim est gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tribulationes, patiens injustè* 1. Pet. 2, 19. *Igitur nolite peregrinari in fervore tentationum, quasi novi aliquid vobis contingat, sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Nemo autem patiatur ut fur, aut maledicus, aut alienorum: appetitor si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum isto nomine* 1. Pet. 4, 12. seqq.

8. *Universale judicium post resurrectionem mortuorum certò futurum est; id quod fatemur in symbolo, & probatur ex scriptura* Matth. 25, 31. Rom. 14, 11. 2. Cor. 5, 10. &c. *Paulus verò hoc in loco peculiare hujus rei ἔνδειγμα (ut vocat) seu judicium ejus ostendit; nimirum quia multi piè vixerunt, & tamen non nisi tribulationes passi sunt in mundo, alij verò impiè, & tamen in flore semper fuerunt. Cum verò Deus justus sit, & verax, qui promissiones pijs, & minas impijs factas, non retractabit, idcirco necesse est, restare judicium post hanc vitam, ubi unicuiq; rependatur, quod justum est. Terreat ergo hoc judicium impios, quia non evadent manus Domini, etiamsi ad tempus florent. Soletur verò pios, quod Deus eos sinit affligi, & largitur vires, ut possint perferre, & quod liberationis plenariæ spem habent in die judicij, gratæq; vicissitudinis: ibi enim ipsi consolationem accipient, hostes verò ipsorum torquebuntur*
Luc. 16, 25.

PARS

# PARS ALTERA.

## TEXTVS.

Εἴπερ δίκαιον παρὰ Θεῷ ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς θλῖψιν.

Καὶ ὑμῖν τοῖς θλιβομένοις ἄνεσιν μεθ' ἡμῶν, ἐν τῇ ἀποκαλύψει τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ ἀπ' οὐρανοῦ μετ' ἀγγέλων δυνάμεως αὐτοῦ.

Ἐν πυρὶ φλογὸς, διδόντος ἐκδίκησιν τοῖς μὴ εἰδόσι Θεὸν, καὶ τοῖς μὴ ὑπακούουσι τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Οἵτινες δίκην τίσουσιν, ὄλεθρον αἰώνιον, ἀπὸ προσώπου τοῦ Κυρίου, καὶ ἀπὸ τῆς δόξης τῆς ἰσχύος αὐτοῦ.

Ὅταν ἔλθῃ ἐνδοξασθῆναι ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ, καὶ θαυμασθῆναι ἐν πᾶσι τοῖς πιστεύσασιν, (ὅτι ἐπιστεύθη τὸ μαρτύριον ἡμῶν ἐφ' ὑμᾶς) ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ.

Εἰς ὃ καὶ προσευχόμεθα πάντοτε περὶ ὑμῶν, ἵνα ὑμᾶς ἀξιώσῃ τῆς κλήσεως ὁ Θεὸς ἡμῶν, καὶ πληρώσῃ πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης, καὶ ἔργον πίστεως ἐν δυνάμει.

6. SIquidem justum est apud Deum, reddere ijs qui affligunt vos, afflictionem.

7. Et vobis qui affligimini, relaxationem nobiscum, quum revelabitur Dominus Jesus de cœlo, cum angelis potentiæ suæ.

8. Cum incendio flammæ, qui infligit ultionem ijs qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi.

9. Qui pœnam luent, interitum æternum, à facie Domini, & à gloria fortitudinis illius:

10. Cum venerit ut glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in omnibus credentibus, (quod fides habita sit testimonio nostro erga vos) in die illo.

11. Ad quod etiam oramus semper pro vobis, ut vos dignos habeat ista vocatione Deus noster, & compleat omne bonum propositum bonitatis, & opus fidei cum potentia.

Ὅπως ἐνδοξασθῇ τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν ὑμῖν καὶ ὑμεῖς ἐν αὐτῷ, κατὰ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.

12. Ut illustretur nomen Domini nostri Jesu Christi per vos, & vos per illum, juxta gloriam Dei nostri, & Domini Jesu Christi.

HActenus gratulatus est Apostolus Thessalonicensibus de incremento fidei, quæ se per abundantem caritatem & admirandam patientiam exeruit: jam consolatur eos 1. hoc argumento, quia omnes qui affligunt ipsos, à Deo puniuntur, idq; probat à justitiâ Dei: Siquidem justum est apud Deum, retribuere tribulationem ijs qui vos tribulant v. 6. *Iustum, hoc est, æternâ Dei justitiâ, qua irascitur omnibus iniquitatem facientibus, Psal. 7, 12. quæ ejus ira revelatur de cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum, Rom. 1, 18. Iustum autem est* apud Deum, *quia aliud est judicium mundi quam Dei. Mundus eos qui tribulationem patiuntur, plerumq; odit tanquam catharmata, & homines à Deo prorsus abjectos: alios autem qui tribulationem inferunt, laudat, quia potentes sunt, & in flore constituti, quos metuere alij cogantur. Sed Deus afflictorum miseretur, & affligentes pœna dignos judicat. Mundus etiamsi sciat, impios & injuriam facientes puniendos esse, impunitos tamen relinquit, propter opes aut potentiam eorum, aut similem causam. Deus verò sine προσωποληψία justè judicat, pœnasque decernit omnibus injuriam facientibus. Pœnas autem intelligit æternas, ut v. 9. explicatur, quia hoc in sæculo impunes sæpè evadunt. Primum ergo hoc solatium esto, quod hostes non relinquantur impuniti. 2. Alteram petit à compensatione omnium tribulationum*: Vobis verò qui tribulamini requiem, scil. retribuere justum est, *inquit Paulus v. 7.*

In

*In græco* ἄνεσις *promittitur tribulationem patientibus h. e. non tantum relaxatio mali, & ab æterna morte, quæ manet impios, liberatio: verum etiam æternæ felicitatis donatio. Hæc etiam fiet secundum justitiam Dei, qui cum justè punit injuriam facientes, eo ipso etiam liberat eos, & ad requiē ducit, qui eas patiebantur. 3. Tertia consolatio petitur à communione sanctorum similia patientium: justum enim est, inquit, vobis, qui tribulamini, requiem tribuere* Nobiscum *v. 7. h. e cum omnibus sanctis, qui similes experti sunt tribulationes. Solet autem afflictis solatio esse societas eorum, qui similiter affliguntur. Ex quo fundamento Petrus simile solatium petebat* 1. Pet. 5, 9. *4. Quartam consolationem suppeditat tempus justæ illius retributionis. Erit hoc tempus extremi judicij, ubi coram universi triumphante â Ecclesiâ distributio pœnarum & præmiorum sequetur, & tantò severius erit judicium, quantò angustior ille cœtus, coram quo sententia pronunciabitur. Hac verò occasione digreditur Paulus in præclaram descriptionem judicij extremi: ubi primum est notatio nominis. Nam adventus Christi ad judicium appellatur* ἀποκαλυψις, manifestatio Domini Jesu de cœlo. *Ante istum adventum corporalibus nostris oculis ordinariè non cernitur: judicia quoq; ejus non semper sunt conspicua, cum sæpè malis benè sit, & bonis malè. Est ergo dies illa manifestatio Domini Iesu, qui visibiliter apparebit in nubibus cœli, & sententiam dicet omnibus notam, eamq; in conspectu omnium exequetur. Deinde comitatus judicis additur, idemq; geminus. Primum enim* veniet cum angelis virtutis ejus. *Cum omnibus angelis venturus dicitur* Matth. 25, 31. *& cum sanctis millibus suis Iudæ v. 14. ideo Daniel postquam thronos vidit positos ad ferendum judicium, subjungit: millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millium assistebant ei*

Daniel.7,10. *Nam à prima conceptione inservierunt Angeli huic suo Domino: ea horâ qua carnem adsumsit* λόγος, *angelus adstitit Mariæ, tantæ rei nuncius* Luc.1,26. *in nativitate primi fiunt Evangelistæ,* Luc.2,14. *sub initium ministerij ejus ministrant ei in deserto,* Matth.4,11. *post resurrectionem albis apparent vestibus in sepulcro* Marc.16, 5. *in adscensione ejus ad cœlos etiam apparent angeli* Act.1,10. *æquum ergo erat, ut jam in majori gloria apparenti, ministrarent. Appellantur autem Angeli virtutis Christi, non tantum quia ipsi admiranda virtute ac potentiâ à Christo conditore suo sunt ornati; verum etiam, quia ad gloriam majestatemq; Christi judicis multum facient, qui per angelos congregabit electos suos ex omnibus mundi partibus,* Matth.24,31. *suamq; potentiam in perdendis impijs palam faciet. Quemadmodum enim cœlestes hi messores triticum congregabunt in horreum: ita Zizania colligent ad comburendum* Matth. 13,30. *Deinde veniet comitatus flammâ ignis, cujus duplex erit usus. (1.) adventus Christi revelationem ex flammâte illo igne Iudicem jam adesse constabit. (2.) mundi conflagrationem, cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent* 2. Pet. 2,12. *Tertiò opera judicis indicantur, quæ, quemadmodum homines ad judicium sistendi duorum generum sunt, duplicia sunt. Vnum consistit in puniendis impijs, alterum in glorificandis pijs. De priore opere ita loquitur: Qui dabit vindictam ijs,* qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi v.8. *Pœnæ inflictio hic exprimitur, non autem additur instrumentum supplicij. Ignem fore scriptura testatur, quæ divitem epulonem in flamma ignis cruciatus pati monstrat* Luc.16. *& Christum introducit maledictos abigentem in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis ejus* Matth. 25,41. *Sed qualis ille ignis sit,*

*postea videbimus. Impij supplicio afficiendi in duas classes dispescuntur ab Apostolo. In prima classe sunt gentiles extra Ecclesiam, quos vocat μὴ εἰδότας θεὸν, ita describuntur Ethnici* Eph. 2,12. *quod sint ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ &* 1. Cor. 1,21. *quod per suam sapientiam Deum non cognoscant,* & Gal. 4,8. *quod ignorantes Deum serviant ijs, qui naturâ non sunt Dij. In altera classe sunt Reprobi, quas Paulo vocat μὴ ὑπακόοντας τῷ εὐαγγελίῳ, qui non obediunt Evangelio Christi: profitentur quidem Evangelium, sed non dignè eo vivunt. His easdem pœnas dictat:* Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini & à gloria virtutis ejus v. 9. *Pœna damnatorum vocatur ὄλεθρον αἰώνιον: erit exitium: nam etsi victuri sunt, vivent tamen cum ignominia & damno intolerabili, ita ut vivere nollent: ideo clamabunt, montes cadite super nos, & colles operite nos,* Luc. 23,30. *Erit exitium æternum ratione durationis, ex inferno enim nulla redemptio, ibi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur* Esa. 66,24. *Quod autem additur,* à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, *id pœnam ipsam exprimit, projicientur enim à facie Domini, cum vocem ejus audient: non novi vos, discedite à me,* Matth. 7,23. *abite in ignem æternum,* Matth. 25,41. *quæ projectio bona pars est pœnarum infernalium, quam deprecantur sancti: imò hoc supplicium sufficeret damnatis, Deum non videre, & à gloriæ ejus conspectu procul esse non enim nisi diabolos videt, & ignominiam cruciatusque inferni sentit, qui non est cum Deo:* 2. *modum ultionis divinæ ostendit: solo enim conspectu suo Deus terrebit impios, qui gloriam judicis ferre non poterunt, sed pro maximis erit cruciatibus, Deum habere iratum:* 3. *Causam judicij tacitè innuit: non enim opus erit prolixâ causæ cognitione, sed jam tum, cum vi-*

*derint*

derint impij judicem suum, conscientiâ suâ convincentur, quod stare non possint in hoc judicio. Et hæc de opere Iudicis respectu damnatorum. De posteriori opere ita loquitur Paulus: Quum venerit, ut glorificetur in sanctis suis, & admirabilis fiat in omnibus qui crediderunt (quia creditum est testimonium nostrum super vos) in die illo, v. 10.

Primùm explicat, quando pij sua adepturi sint præmia, nimirum eo ipso die, quo veniet ad judicium. Simul enim ac semel sententia dicetur pijs ac impijs. Præmium autem illud erit gloria corporis ac animi, qua nos conformes redditurus est corpori suo glorioso Phil. 3, 21. aliàs enim ipse glorificari non potuisset in sanctis, nisi & ipsi gloria & honore coronati fuerint. Causa hujus gloriæ non sunt opera sanctorum, sed Christus fide apprehensus: glorificandi enim illi sunt omnes credentes, qui fidem habuerunt testimonio Apostoli de Christo. Nam quemadmodum Deus fide justificat, ita & fide salvat & glorificat credentes: utrobig. Christus fide apprehensus primas tenet. Finis gloriæ est glorificatio Christi, quæ consistit in manifestatione bonitatis ac potentiæ suæ in fidelibus, quo pacto in Pharaone glorificari dicitur Deus, qui potenti brachio ipsum cum omni exercitu in aquis suffocavit Exod. 14, 17. 2. in celebratione nominis sui, quæ fiet à sanctis absque fine. Apocal. 5, 13. 3. in præconio sanctorum angelorum, qui & ipsi electis congratulantes, dignum judicabunt agnum, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem & sapientiam, & fortitudinem, & honorem & gloriam & benedictionem Apoc. 5, 11. Sic ergo glorificabitur Christus in gloria fidelium ab hostibus, à fidelibus ipsis, & à beatis angelis. Eodem modo & admirabilis fiet illis omnibus propter subitam mutationem sortis eorum, qui in mundo erant abjectissimi,

tum

*tum verò sublimes ingloriâ. Mirabuntur angeli, quibus tunc plenè innotesceret multiformis sapientia Dei, secundum Præfinitionem seculorum* Eph. 3, 10. *mirabuntur electi, quia se non existimabant dignos istâ gloriâ, ideo coronas suas ante thronum Dei proijcient, dicentes: Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam & honorem & virtutem* Apoc. 4, 10. *mirabuntur deniq; etiam damnati, quando videbunt justum stare contra ipsos magna cum confidentia* Sap. 5, 1. *seqq. Hi ergo sunt fontes consolationum in adflictionibus, quæ terminantur tandem in gloria vitæ æternæ. Quam gloriam ut adipiscantur Thessalonicenses, sub finem capitis preces addit Apostolus*: In quo, *inquit*, seu, unius rei gratia etiam oramus semper pro vobis, ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute v. 11. *Gradus quosdam constituit, per quos ad plenam illam gloriam, in qua & Christus glorificatur, adducimur. Primus gradus est benevola Dei voluntas, ab eo enim est & initium & finis salutis nostræ: secundus gratuita ejus vocatio ad Ecclesiam, extra quam nulla gloriæ vel salutis æternæ spes est: tertius, fides quæ in Ecclesia ex verbo hauritur: quartus perseverantia in fide, ideo fidei virtutem addit, δύναμιν, robur & potentiam, quæ eam in periculis succumbere non sinit. Hæc omnia sequitur tandem salutaris ille effectus:* ut glorificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis & vos in illo secundum gratiam Dei nostri, & Domini Jesu Christi v. 12. *Conjunguntur hic glorificatio Christi, & gloria electorum, ex hac enim illa oritur, ut in præcedentibus explicatum fuit, idq; non secundum opera, sed secundum gratuitam Dei misericordiam. Duo ergo hic sunt fines fidei & constantiæ in ea: 1. unius hujus & futuri seculi simul, nimirum glorificatio nominis*

*Christi, quæ ex fidelium operibus redundat, ideo jubentur lucere coram mundo, ut glorificetur pater in cœlis* Matth. 5, 17. *2. alter futuri seculi, glorificatio nimirum nostra, qua corpus & animam in vitâ æternâ: quæ dum precatur Paulus suis Thessalonicensibus, nullo certè majori beneficio eos afficere potuisset. His enim omnibus impetratis, nihil amplius ad summam felicitatem supereſt.*

## PARAPHRASIS HVIVS PARTIS.

JUstitia namq; Dei postulat, ut affligentur etiam, qui vos afflixerunt, viciſſim autem, ut vos, quo afflicti fuistis, ex omnibus malis liberati relaxationem habeatis, eum sanctis omnibus, qui similem afflictionē sunt experti. Idq; fiet in magno illo die critico, quo Jesus Christus judex justus revelabitur gloriosè in nubibus cœli. Veniet enim cum multis millibus fortisimorū angelorum, & cum ardente flammas ultionem retributurus omnibus, qui in, infidelitate & malitia sua è vita discesserunt, tam in quam extra Ecclesiam. Hic omnes æternum patientur exitium, projecti à facie Dei glorioſi. Pij verò & ipso die judicij novisimi sua accipiēt præmia, glorificati à Deo quæ corpus, quæ animam ut & ipsi gloria & honore afficiant Deum, eò fidem habuerunt Evangelio nostro. Ad quā gloriam ut vos omnes adducat Deo, eumq; in finem vos in fide conservet, etiam atque etiam precor, ut & Christus in vobis & vos in ipso gloria ac honore afficiamini.

## QÆSTIONES EX HAC PARTE CAPITIS.

### QVÆSTIO. I.

Licitumne, lætari in pœnis inimicorum, cum

Siracides dicat, noli de mortuo inimico tuo gaudere Sirac. 8,8. &, Christus jubeat benefacere ijs, qui nos oderunt Matth. 5,44.

*Resp.* Oritur hæc quæstio ex eo, quod Paulus dicit, ijs, qui tribulant nos, justè tribulationem retribui, idq; solatij loco suggerit afflictis v. 6. Si verò ita est, cur non gaudere liceat nobis, cũ ad pœnas trahuntur hostes nostri, quia evenit ipsis, quod justũ est. Id verò παιχαιρεκακίας speciem habere, & contra allegata scripturæ dicta esse videtur. Sciendum ergo est, lætitiã hoc in genere esse vel ex miseriâ delinquentis, vel ex justitia Dei punientis; illa ex odio erga inimicum est, hæc ex amore erga Deũ: illa pugnat cum caritate Christiana, lætatur enim vel quia malè videt esse inimico, cui felicitatem suam invidet, & hoc vel παιχαιρεκακίας est, quia inimici tribulationibus se jam exemtum opinatur; & hoc impatientiæ, aut certè securitatis, quæ de novo inimico non cogitat: hæc verò licita est, quæ quidem mallet homini semper benè esse, justitiam tamen Dei improbare non potest, quæ semper sancta est & homini utilis, etiã cum maximè videtur esse noxia. Correctionem quoq; proximo invidere non potest, quæ dum punit Deus, sequitur vel in inimico qui punitur, vel in proximo, qui à simili malitia absterretur. Ita namq; sancti in novissimo die mundum judicabũt 1. Cor. 6,2. h. e. justam Dei sententiam de damnatis approbabunt, licet eis æternum benè esse maluit. Quin & Deus ipse solẽ suum oriri sinit super malos æquè ac bonos, & tamen malos nõ sine delectatione punit, quia justitiæ suæ satisfieri gaudet. Idcirco videre dicitur in interitu reproborũ Prov. 1,26 & Christus æterno Patri εὐδοκίαν tribuit eo in opere, quo ex justo judicio mysteria regni sui abscondit sapientibus hujus seculi, qui ea ob perversum rationis suæ judicium pertinaciter respuebant Matth. 11,26. Ita scriptum est in psalmo: lætabitur justus, cum viderit vindictam impiorum, manus suas lavabit in sanguine

*peccatoris* Psal. 58,11, *& animæ martyrum sub altari desiderant vindicias sanguinis sui, non ex odio inimicorum, sed ex amore justitiæ divinæ*, Apoc. 6,10. *Eodem modo ad hanc quæstionem respondet Augustin: in Psal.* 78. Cum & homo justus, *inquit*, & homo malus de inimicis suis valuit à Domino vindicari, unde discernentur, nisi quia justus & magis cupit inimicum suum corrigi quàm puniri, & cum in eum videt à Domino vindicari, non ejus delectatur pœnâ, quia non eum odit, sed divinâ justitiâ, quia eum diligit. Denique si in hoc seculo in eum vindicatur, vel pro illo etiam lætatur, si corrigitur, vel certè pro alijs, ut eum timeant imitari. Ipse quoque fit melior, non supplicio illius odia sua pascendo, sed errata emendando. Ac per hoc de benevolentia est, non de malitia, quod lætatur justus, cum videt vindictam, & manus suas lavat, id est opera sua mundiora efficit in sanguine, h. e. in exitio peccatorum, sumens inde non mali alicujus gaudium, sed divinæ admonitionis exemplum. *Et paulò post concludit.* Sic ergo inimicus diligatur, ut non displiceat Domini justitia, qua punitur, & sic placeat justitia, qua punitur, ut non de malo ejus, sed de bono judice gaudeatur. Malevolus enim animus contristatur, si ejus inimicus correctus evaserit pœnam: & cum puniri eum videt, vindicari ita se gaudet, ut non justitia Dei, quem non diligit, sed illius, quem odit, miseria delectetur &c.

QUÆ-

## QVÆSTIO II.

Si justum est, apud Deum, requiem retribui in novissimo die, ijs, qui tribulationem passi sunt, ut Paulus scribit v. 7. an non requies illa vitæ æternæ piorum fit meritum atque debitum?

*Resp. Ita quidem volunt Pontificij, docentes, vitam æternam meritis renatorum reddendam, & quidem ex debito reddendam esse, quia bonis renatorum operibus nihil desit, quò minus divinæ legi pro hujus vitæ statu plenè satisfaciant, & vitam æternam verè promeruisse statuantur, & huc referunt dicta, quibus labor noster non inanis esse scribitur in Domino,* 1. Cor. 15, 5. 8. *& non est injustus Deus, ut operis vestri obliviscatur &c.* Heb. 6, 10. *& quæ de remuneratione confidentiæ nostræ agunt.* Heb. 11, 6, 26. &c. *ut apparet inter alia ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 16. & Bellarm. lib. 5. de justific. cap. 2. In Apostoli nostri textu duo inprimis vocabula urgent,* 1. τὸ δίκαιον θεῦ, *justum Dei, &* 2. τὸ ἀνταποδοῦναι, *quod retribui dicitur requies: hinc tota infertur propositio, Deus requiem vitæ æternæ non ex gratia donat fidelibus, sed ut mercedem solvit, quia pro laboribus eorum eam retribuit, idque ex debito, quia ut hoc faciat, apud Deum justum est. Huic verò opinioni scriptura contradicit, quoties vitam æternam gratiam & donum Dei nominat, & nos gratis justificari ac salvari ait, fide, non ex operibus, quæ dicta probè nota sunt, item, cum remissionem & expiationem peccatorum soli merito Christi tribuit, quia propterea vocatur propitiatio pro totius*

*mundi peccatis* 1. Joh. 2,2. *& unus mediator inter Deum & hominem* 1. Tim. 2,5. *In reconciliatis verò ac justificatis bona opera, quia ex fide in Christum fiunt, placent Deo, & habent remunerationem hujus & futuræ vitæ,* 1. Tim. 4, 8. *non ex debito justitiæ aut merito, nequaquã enim perfectè bona sunt* Esa. 64,6. Phil. 3,7,13. *Sed ex gratuito Dei promissò, quia Deus etiam incoatam obedientiam præceptorum suorum ex gratia acceptat, eaque corporalibus & spiritualibus præmijs propter filium ornat. Sic operibus justorum promittitur merces vitæ æternæ copiosa* Matth. 5,12. *beneficentiæ promittitur retributio in resurrectione justorum* Luc. 14, 14. *benefacientibus fructuosa messis* Gal. 6,8. *bene operantibus remuneratio* 1. Tim. 4,8. *& deniq; nostro in textu justum esse dicitur, ut tribulationem patientibus retribuatur requies. Iustum est, justitiâ non legali, quæ respicit meritum, sed justitiâ Evangelica, quæ respicit promissionem, quæ Deum nobis fecit debitorem; promisit enim Deus adflictiones justorum non fore perpetuas* Psal. 55,23. *& ipsa ratio quodammodo adsequitur, Deum vindicem esse scelerum, & remuneratorem bonorum operum; illud ex justitiâ Dei æternâ fit, quia scelera hominum sunt perfectò mala: hoc ex justitiâ Dei adfectu misericordiæ temperatâ, quia bona opera sunt imperfectè bona, quæ tamen Deus ex gratiâ acceptat, & irremunerata non relinquit. Iustum etiam est, quia misericordia Dei sic requirit; nam justitia Dei in scripturis interdum idem est ac misericordia, ut* Ps. 51,16 Dan. 9,16. (*secundum omnes justitias tuas averte iram tuã*) Psal. 143,1. (*exaudi me Deus in justitia tua*) Psal. 71, 2. (*in justitia tua libera me Domine*) Rom. 3,25. 1. Joh. 1,9. *& hæc est justitia Evangelica, quæ in Evangelio revelatur,* Rom. 1,17. *& aliàs δικαίωσις ζωῆς appellatur* Rom. 5,18. *Retributio verò bonis operibus tribuitur, non quasi ea Deum*

*move-*

*moverint, ut meritum aliquod alicujus beneficij adredden dũ aliquod bonũ. Sed quia Deus reconciliatos non vult esse otiosos, sed in novitate vitæ semper ambulantes, & in bono occupatos. Præcedit ergo labor & exercitium piorum ex ductu Spiritus Sancti; sequitur requies & benedictio Domini ex gratia promittentis, etiamsi labor benedictioni non exactè respondeat: & hujus ordinis respectu beneficia Dei seu præmia pietatis appellantur ἀνταπόδοσις & μισθαποδοσία retributio & remuneratio.*

## QVÆSTIO III.

Rectene corporalis Christi absentia à terris colligitur ex eo, quod Christus ultimo suo adventu revelandus dicitur de cœlo v. 7?

*Resp. Ita quidem argutatur Zanchius super hunc locum, tom. 6. operum fol. 436.* Absconditus est pijs, *inquit*, quia corporali præsentiâ abest: & ubi? in cœlo, unde revelandus est: ideo ait de cœlo. Isti ergo cæli velum sunt, quo impedimur, ne illum videamus: & iterum: cœli intermedij velum quoddam sunt, quo tectus à nobis videri non potest Dominus Iesus. Revelare etiam quid est aliud, quam ablato velo aliquid retegere? *& hac voce, ἐν τῇ ἀποκαλύψει omnium vbiquitarium, quod vocat, de corpore Christi ubiq; existente, sed invisibiliter, repelli somniat. Est ergo Zanchio revelatio Christi, corporis Christi præsentatio in cœlis. Sed, etsi libenter concedimus, τὴν ἀποκάλυψιν, juxta etymon vocis, nihil esse aliud, quam rei alicujus, remoto velo, retectionem, non tamen sequitur, quod ἀποκάλυψις τ̃ χρις τ̃ seu revelatio Christi præsupponat corporalem, ejus à terris absentiam. Primum enim, non*

agit

agit Paulus de revelatione Carnis Christi in supremo quodam cœlo inclusæ, & intermedijs cœlis obvelatæ sed de revelatione Christi, à quo λόγος non est excluſus, cujus vel ſolius intuitu interpretatio iſta locum habere nequit, is enim nullo prorſus velo tegi poteſt. Deinde Paulus alibi ſcribit, Deum revelaſſe filium ſuum in ſe, Gal. 1, 16. certè non quaſi ei antea fuiſſet abſens, Chriſtum enim in ſe vivere ait Gal. 2, 20. & in corde ſuo habitare Eph. 3, 17. ſed (quemadmodum ipſe addit) ut evangeliſaret ipſum in gentibus: ergo revelatio Chriſti non ſignificat corporis Chriſti antea abſentis præſentationem, ſed myſterij de Chriſto patefactionem. Sic & Chriſtus in noviſſimo die revelabitur, non quaſi corpore ſuo antea à nobis abfuiſſet, ſed quia ſingulari cum gloria ac majeſtate nobis pateſiet. Quemadmodum Deus ipſe, licet, quò ad eſſentiam nobis ſemper præſentiſſimus, revelari dicitur nobis, quoties ex abſcondita ſua luce prodit, & peculiari quodam opere manifeſtatur, ut in plagis Ægypti 1. Sam. 2, 27. in miſſione filij Eſa. 40, 5. in prædicatione verbi 1. Sam. 3, 21. in cuſtodia Eccleſiæ Eſa. 53, 1. Quibus in locis omnibus id quod antea erat occultum, fit manifeſtum. Sic & Chriſtus corpore ſuo revelabitur in judicio noviſſimo ita ut videatur coram omnibus, qui hactenus ad dextram Dei erat inconſpicuus, nullibi tamen abſens aut excluſus. Præterea non ſequitur, Chriſtus revelatur, remoto velo, ergo antea fuit abſens: nam & ea, quæ adſunt, revelãtur, remoto velo quando ſiunt conſpicua, ſicut Anti Chriſtus revelabitur ſub noviſſimum Domini adventum, certò non abſens, quia jam tum operabatur myſterium iniquitatis 2. Theſs. 2, 7, 8. Summa: revelatio non eſt abſentium, ſed præſentium. Sed revelabitur Dominus de cœlo, inquiunt: ergone de cœlo quodam creato & ſupra firmamentum conſtituto? ubi hic ſcriptura? Somnium ergò hominum eſt,

dicere

*dicere cœlos intermedios Christi corpus in supremo illo cœlo utopico quasi velo quodam tegere. Nondum enim docuerunt, tale cœlum supremum esse super firmamentum, multò minus, Christum corpore suo in cœlum illud ascendisse. Nec dicit Apostolus, revelabitur de cœlo in terra, ut jam ibi præsens sit, ubi antea non fuit: nam ἀποκάλυψις illa fiet in nube* Matth. 26,64. *& describitur non respectu præsentiæ, sed intuitus ejus: veniet enim cum nubibus, &* videbunt *eum omnis populus* Apocal. 1, 7. *Revelabitur ergo Dominus de cœlo, quando carne sua, qua jam in medio nostrum habitat* Matth. 18,20. *visibiliter rediturus est, ad judicium. In hunc sensum ista explicat Ambrosius in caput* 10. *Luc, lib. 7. super parab. de eo, qui inter latrones cecidit*: Quando reverteris Domine, *inquit,* nisi in die judicij? Nam licet ubique sis semper, & stans in medio nostrum non cernaris à nobis, erit tamen tempus, quo universa caro te aspiciat revertentem.

## QVÆSTIO IV.

Num omnes beati afflictionem passi, eas pro regno Dei passi sunt, ut Paulus innuere videtur vers. 5.

*Resp: Nemo eorum, qui in Domino moriuntur, absque afflictione fuit in mundo: omnes autem pro regno Dei affligi dicuntur, sed diversimodè. Aut enim ita affligitur, quis, ut planè nulla alia causa sit, quam regnum Dei, quod prædicando propagat in mundo: quo sensu solus Christus Salvator noster*

*pro regno Dei passus est, h. e. regni sui honorem ad mortem usq; tutatus, & per passionem suam in regnum ingressus* Luc. 24,26. *Aut affligitur quis pro regno Dei, hoc est, quia profitetur, se regni illius civem, & honorem ejus amplificat, quod mundus ferre non potest, habet tamen ipse adhuc peccata, quibus afflictionem meritus est: Sed hoc non intendunt hostes, ut peccata puniant, sed ut regni Dei civem persequantur. Ita omnes pij per tribulationes multas ingrediuntur in regnum Dei* Act. 14,21. *semper q; cohærent apud ipsos fides & patientia* Phil. 1,29. Heb. 6,12. *Aut denique affligitur aliquis ob peccata sua, quæ pœnitendo agnoscit, pœnam sibi debitam fatetur, & patienter fert, & sic beatè moritur. Is etiam patitur pro regno Dei consequendo, à quo impœnitentes & impatientes, qui cum fremitu contra Dominum moriuntur, sunt excluſi. Quo pacto latro in cruce mortuus est pro regno Christi, cujus etiam eo ipso die adhuc, ex promissione Christi factus est particeps* Luc. 23,43. *Tria ergo sunt genera eorum, qui patiuntur pro regno Dei. Quidam solùm pro eo, & nullam aliam ob causam, ut solus Christus. Quidam immediatè quidem & manifestè pro regno Dei, propter quod persequutiones patiuntur, mediate tamen & consequenter etiam propter sua delicta, propter quæ à Domino corripiuntur, cum judicantur* 1. Cor. 11,32. *Quidam verò mediatè pro regno Dei, dum immediatè & manifestè ob delicta sua plectuntur, quæ tamen pœna ipsis via fit ad regnum Dei. Primi generis exempla imitari non possumus: Secundi generis possumus & debemus; tertij, possumus quidem, sed non debemus. Nemo enim pati debet ut fur, aut homicida, aut maleficus, sed si, ut Christianus, non erubescat* 1. Pet. 4. 15. &c.

QUÆ-

## QVÆSTIO V.

Quænam sunt pœnæ infernales, quas Deus inflicturus impijs dicitur v. 8. & 9?

*Resp.* De pœnis infernalibus Paulum loqui, manifestum est. Luent enim eas impij, cùm apparuerit Dominus in potente suâ gloriâ, quam immensam prorsus esse, & intolerabilem ex eo constat, quod damnati mortem optabunt, quæ fugiet ab eis Apoc. 9, 6. ¶ Erunt autem pœnæ tam animæ, quam corporis: æquum enim est, ut totus homo luat, quia totus peccavit: per quæ quis autem peccat, per eadem punietur Sap. 11, 17. De pœnis illis in genere Augustinus scribit, de triplici habitaculo cap. 1. Lacus inferni plenus est tenebrarum, discordiæ, odij, stultitiæ, miseriæ, turpitudinis, amaritudinis, offensionis, doloris, adustionis, sitis, famæ, ignis inextinguibilis, tristitiæ, vindictæ perennis, & omnis ineffabilis mali, quod nec dici nec cogitari potest. ¶ Sacræ literæ has ferè pœnas inferni recitant, 1. *ignem* Matth. 13, 30, 25, 41. Marc. 9, 48. Luc. 16, 24. Psal. 19, 6. Esa. 66, 24. 2. *tenebras* Matth. 8, 12. 22, 13. 3. *vermes* Esa. 66. 24. Judith. 16, 21. Mar. 9, 48. 4. *Sulphur, unde infernus vocatur stagnum ardens igne & sulphure* Apoc. 21, 8. & *qui adoraverint bestiam, cruciabuntur igne & sulphure*, Apoc. 14, 10. 19, 20. 5. *fletus & stridor dentium* Matth. 8, 12. 13. Act. 22, 13. Luc. 13, 28. Pœnæ hæ pleræque communes sunt corpori ac animæ. ¶ Peculiariter tamen animæ tribuuntur vermes. Etsi enim nonnulli vermes veros in inferno esse putant, quibus absque consumtione carnes impiorum corrodantur, in qua opione est Hugo de S. Victore

Pœnæ animæ in inferno.

1. Vermes.

*lib. 4. de anima cap. 13. & Innocent. lib. 3. de contemtu mundi cap. 2. Augustinus etiam utrumq; & ignem & vermem pœnam carnis nominat lib. 21. cap. 9. de civ. Dei: rectius tamen vermis ille, de quo scriptura, intelligitur de animæ cruciatibus, & quidem in specie (1.) de morsu conscientiæ, quem dum impij etiam hac in vita interdum sentiunt, ideo infernum suum secum circumferre dicuntur (2.) De invidia, quæ semper dolet de beatorum felicitate, & hæc instar vermis rodentis aut pestilentissimi serpentis est, qualis in Caino fuit adversus Abelem* Gen. 4, 5 *& in damnatis fore describitur.* Sap. 5, 1. seqq. (3.) *De desperatione, non enim ulla spes erit vel liberationis vel mitigationis tormentorum infernalium, & hæc instar vermis mordebit, sed nihil proficiet* (4.) *de perpetuo fremitu adversus Deum, qui ex desperatione oritur. Deinde*

2. Tenebræ. *ad pœnas animæ pertinent* Tenebræ, *per quas intelligunt nonnulli veras densissimasq; tenebras, quæ nullo ignis splendore rarefiunt. Rectius intelligitur (1.) summa excæcatio mentis ac voluntatis. Nam damnati non poterunt apprehendere Deum, ut bonum, sed tantum ut malum, non agnoscent ejus justitiam, non diligent bonum, sed constanti malitiâ ferentur adversus Deum, impetu licet frustraneo, & quantò majorem hîc scientiam adquisiverunt, tantò gravius augebitur supplicium, dum per omnia cognoscunt, quantum Beatitudinis damnum sua culpa patiuntur (2.) memoria tam bonorum quam malorum in hac vita. Bona sunt voluptates hujus seculi, quibus sibi jam carendum esse dolebunt: mala sunt peccata, propter, quæ in locum tormentorum sunt depulsi; utriusq; exemplum præbet Epulo* Luc. 16, 25. *Hujusmodi ergo recordatio instar tenebrarum erit, satius enim esset, ipsos istorum non amplius meminisse* (3.) *Privatio visionis Dei & gloriæ cœlestis, quæ dolorem omnem incomparabiliter superabit, teste*

*Chrysost.*

*Chryſoſt. homil. 24. in* Matth. (4.) *horribilis confuſio clamorum, ululatuum, lamentorum, maledictionum & blaſphemiarum contra Deum ipſoſq; Diabolos, & ipſorum damnatorum contra ſeipſos & ſocios, quo reſpectu Iob infernum appellavit terram miſeriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo & ſempiternus horror inhabitat* Job. 10, 22. (5.) *extrema triſtitia, qua ita obtenebrabitur intellectus, ut mallent ſe non eſſe natos. Et hæ ſunt pœnæ animarum in inferno.*

*Pœnæ corporum in inferno.*

*Corpora damnatorum erunt incorruptibilia, nam & peccatores induere dicuntur incorruptionem, non ad honorem vitæ, ſed ad diuturnitatem ſupplicij profuturam, ſcribit Auguſtinus ſerm. 81. de temp. Corporum ergo illorum pœna*

*1. Ignis.*

*erit* (1.) Ignis, *quo affligentur & cruciabuntur graviſſimè, nunquam tamen corrumpentur; Hoc ſcriptura in locis ſupra allegatis teſtatur, an autem ignis ille materialis ſit aut alius, non exponit. Sunt qui materialem eſſe contendunt eiusdemq; ſpeciei cum noſtro igne elementari, quaſdam tamen habentem proprietates differentes, ut, quod ſucceſſione non indiget, nec lignis nutritur, nec unquam extinguitur. Ita ſentiunt Pontificij, propter autoritatem Gregorij Papæ, & Scholaſticorum, vide Bellarm.* lib. 2. de purgat. cap. 11. *Jodocum Lorichium in theſauro novo Theol. voce* Infernum. 4 Pet. *Thyræum de glorioſa Chriſti apparit.* cap. 26. num. 52. *Eadem eſt ſententia Hieron. Zanchij in cap. 1. epiſtolæ poſt. ad Theſſal. tom. 6. oper. fol. 458. Ita verò hac de re diſputant, ut explicare non poſſint, quomodo hoc igni materiali atq; elementari, animæ & dæmones uſtulari queant, tandem ad extraordinariam Dei potentiam, & modum ineffabilem confugientes ſed non eſt opus fingere miracula, ſine ſcripturæ teſtimonio. Deum enim multa poſſe, non ignoramus, ſed potentiam*

*ejus ad certam facti speciem restringere absq; verbo non debemus. Relinquimus ergo hanc opinionem, & Pontificijs eundem Gregorium Magnum Opponimus qui lib. 15. Moral. cap. 14. super illa verba Iobi: devorabit eum ignis, qui non succenditur, hunc in modū commentatur.* Miro valde modo paucis verbis expressus est ignis gehennæ. Ignis namque corporeus, ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis, qui quum necesse est, ut fervetur, per congesta ligna procul dubio nutritur, nec valet, nisi succensus est, & nisi refossus, subsistere. At contra gehennæ ignis cum sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis &c. *Zanchio opponimus Franciſc. Iunium, qui in Notis ad controv. 5. Bellarm. cap. 11. lib. 2. num. 4. tribus argumentis probat, ignem infernalem non esse proprium aut elementarem* (1.) *quia nihil materiatum & physicum absolutè potest per se aut in se capere proprietates supernaturales, ut sunt, æternitas & sedes futuri seculi* (2.) *quia omne agens agit per formam & potentiam activam suam in subjecto capace solum, potent. activa & passiva prædito, qualia subjecta capacia non sunt dæmones aut animæ* (3.) *quia eadem est ratio ignis in inferno & lucis atq; gaudiorum in paradiso: sicut autem hæc non sunt corporalia, licet ad corpus per unionem & consensum pertineant; ita neq; ille est corporalis &c. Sunt ergo alij, qui simpliciter infernalem ignem, elementarem propriumq; esse negant, & per analogiam quandam sic vocatum dicunt, qui miris modis sed tamen veris agat, ut Augustinus loquitur lib. 21. de civ. Dei cap. 10. Qualis autem ille sit, exprimere nolunt. Cujus sententiæ est Augustinus serm. 81. de temp.:* Ignis illius potentiam, *inquit,* nulla vox exponere nullus

*Ignis infernalis non est Elementaris.*

sermo

fermo potest explanare: & *Damascen. lib. 4. orth. fid. cap 28. scribit*, impios & peccatores venturos in ignē æternum, non materialem illum, qualis est apud nos, sed qualem novit Deus. *Ejusdem sententiæ est Beda lib. 1. in Lucam cap. 3. ex recentioribus Flacius in clav. script. part. 1. voce Ignis & Francisc. Iun. l. d. Quam modestiam & nos imitandam judicamus, & ignem illum infernalem ignem esse credimus, soli Deo cognitum, ad cujus cruciatum nulla martyrum supplicia sunt æstimanda.*

*Eadem est ratio sulfuris & picis infernalis, quod de vero natura aliq; sulphure interpretatur Thyræus de glor. Christi apparit. cap. 26. num. 67. partim quia necessaria fuit aliqua materia, in qua ignis accenderetur in inferno, ab ejusdem ignis materia aliena; partim ut fœtore suo damnatorum pœnas augeret, nec odoratui sua deessent tormenta. Sed rationes hæ tanti momenti non sunt, ut in hanc sententiam eamus. Potest enim & ignis ille foveri, & odoratus suum habere tormentum, etiamsi nullum hic vulgare suphur intelligatur. Existimamus itaq; hisce vocibus ignis, sulphuris, picis summos notari cruciatus, quibus corpus damnatorum torqueri potest. Solet enim scriptura de rebus spiritualibus & ad futurum seculum pertinentibus, phrasibus hujus seculi loqui, quemadmodum gaudia vitæ cœlestis per nuptias & convivia describit* Matt. 8. & 22. Luc. 22, 30. *Est ergo hic prima pœna corporis in inferno.*

*Secunda est*, fletus & ululatus, *qui quidem in damnatis fiet non effusione lacrymarum, quæ sine humoris augmento (quod in damnatis fieri nequit) effluere non possunt, sed instar flentium turbabuntur, & voces lamentantium emittent; qua in parte assentimur* 2. Fletus & ululatus.

Tho-

3. Stridor dentium.

*Thomæ in supplemento art. 3. (3.) Tertia est* stridor dentiũ, *quem Hieronymus in cap. 20. Iobi de rigore frigoris intelligit quia fortè in ipsa gehenna talis sensuum cruciatus fiet his, qui in ea torquebuntur, ait, ut nunc quasi ignẽ ardentem sentiant, nunc nimium algoris incendium, & pœnalis commutatio, nunc frigus sentientibus, nunc calorem faciet, sic, ut de loco in locum transire videantur. Rectiꝰ autem fortè censendum est, stridorem istum oriturum partim ex iracundiæ rabie, qua fremunt adversus Deum, ejusq; sanctos; partim ex seriâ contritione delictorum, quæ eos illuc conjecerunt, partim etiam ob memoriam bonorum amissorum, ut placet Domin. à Soto* in dist. 50, quæst. un. art. 4. (4.) *Quarta est* luctuosa conversatio cum Diabolis, *quorum aspectus supra modum terribilis, tormenta sine fine gravia, & ululatus planè intolerabiles erunt. Quas pœnas omnes rudi hic Minerva describere malumus, quàm reipsa experiri, & ne unquam experiatur eas quisquam nostrum, prohibeat Altissimus.*

4. Conversatio cum Diabolis.

## QVÆSTIO VI.

Pœna damnatorum in inferno quî potest esse æterna, ut Paulus loquitur v. 9. cum tamen Christus dicat, Deum corpus & animam occidere in gehenna Matth. 10, 28.

*Resp. Verba Apostoli nostri satis clara sunt v. 9. impij pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini: unde colligimus, pœnas infernales finem habituras nunquam. Hinc ignis infernalis appellatur ignis æternus* Matth. 25, 41. & *supplicium æternum v. 46. ignis qui non extinguetur*

Esa. 66,24. Marc. 9,44. *opprobrium semper duraturum*, Dan. 12,2. *cruciatus die ac nocte in secula seculorum* Apoc. 20,10. &c. *Certa hæc sunt ex sacris literis: duorum tamen generum adversarij, huic luci tenebras offundunt. Ex una parte est Origenes Adamantius, de quo Augustin.* de hæresibus hær. 43. *quod putaverit, etiam diabolos cum omnibus damnatis post multa millia annorum spem habere liberationis ex inferno: & lib. de* Eccles. dogmat. cap. 9. *scribit, Origenem delirasse dæmones vel homines impios post tormenta quasi supplicijs expurgatos, illos quidem in angelicam, qua creati sunt, redituros dignitatem, istos verò justorum societate potituros: eò quod hoc divinæ conveniat pietati, ne quid ex rationali pereat creaturis, sed quolibet modo salvetur. Huic verò errori semper contradixit purior antiquitas. Augustin: ad Orasium cont. Priscillian. & Origenistas cap. 5.* Quantum possumus, *inquit*, commoneo, ut de diaboli angelorumque ejus correctione & in pristinum statum reparatione sapere nihil audeas &c. *& in sermone ad Eremitas:* In inferno nulla est redemtio, quoniam qui illic damnatus & demersus fuerit, ulterius non exibit &c. *Idem habet Gregorius lib. 4. moral. cap. 10. Damasc. lib. 2. orth. fid. cap. 4. &c. Quæ omnia ideò sanctè sunt tenenda, ne sub spe alicujus refocillationis, aut plenariæ liberationis securos reddamus peccatores. Immutabilis enim est justitia Dei de æternis pœnis eorum, qui hac in vitâ misericordiæ ejus locum dare noluerunt.* ¶ *Ex altera parte sunt Photiniani, quorum aliqui dubitant, quid de æternis damnatorum cruciatibus statuere debeant. Valentinus Smalcius quæstionem hanc satis difficilem esse scribit, & nihil certi statuit, in Refut. disp. 7. in parte 2. D. Franzij, quæ est de extremo judicio pag. 414.* pœnam quidem æternam concedit, sed non cruciatus.

*Reliqui existimant, diabolos & impios in ultimo judicio in-* nihilum redigendos esse, tunc enim piorum tantum fore gaudia, nullus verò diabolorum & impiorum cruciatus, quia hos Deus tunc prorsus sit deleturus. Ita enim scribit Faust. Socinus contra Volanum part. 2. fol. 206. Scelerati homines prorsus perdentur (*in novissimo die*) atque æternæ morti adjudicabuntur; nos & servabimur, & vitæ æternæ compotes efficiemur: & Osterodus in Instit. cap. 42, 5, in inferno esse, *nihil putat esse aliud*, quam mortuum, aut in statu mortuorum esse. *Si ergo, qui in inferno sunt, mortui sunt, non certè cruciatus ullos amplius sentient. Huic verò errori opponimus* (1.) *ea dicta omnia, quæ supra de pœnis damnatorum æternis adduximus. Pœnæ verò absq; cruciatu non sunt, ideo dives in inferno refrigerium linguæ petit* Luc. 16. & *dum justorum animæ tormentum nõ pati dicuntur* Sap. 3. *è contrario sensu damnati in tormentis esse necesse est.* (2.) *addimus ea scripturæ dicta, quæ expressè impijs post resurrectionẽ pœnas dictant sempiternas, ut quod maledicti in die judicij voce judicis ablegentur in ignem æternum* Matth. 25, 45. *impij in novissimo die, prodituri sunt in resurrectionem judicij* Joh. 5, 29. *ergo non prorsus delebuntur in novissimo die, sed restat eis tunc luenda pœna, quam scriptura passim vocat æternum & inextinguibilem ignem: Respondet Smalcius in Refutat. disp. 6. de Bon. operibus pag. 171.* locum Johan.: intelligendum allegoricè de vocatione gentium, quæ sub monumentis esse dicuntur propter statum eorum, in quo tunc erant, deploratissimum, & processuros ex monumentis impietatis ignorantiæ & impietatis præteritæ, eos qui audito Evangelio, mala fecerunt, in hunc finem, ut judicium tandem severissimum experiantur.

Sed

*Sed ut de allegorica ista explicatione nihil dicam, quia non est hujus loci, hoc tantum addimus, Apostolum Paulum pœnas illorum, qui non obediunt Evangelio nominare æternas* 2. Thess. 1, 9. *supplicium maledictorum appellari ignem æternum* Matth. 25, 41. *non verò ita æternum & inexstinguibilem, sicut ignis Sodomorum æternus dicitur, qui tamen hodie nullus est, quia æternum eis attulit exitium, ut Smalcius argutatur cont. Franzium pag.* 414. *scriptura enim valdè emphaticè loquitur, quod vermis damnatorum non moriatur* Psal. 66. *quod crucientur die ac nocte in secula seculorũ* Apoc. 20, 10. *quod fumus tormentorum adscendat in secula seculorum, quodque damnati non habeant requiem die ac nocte* Apoc. 14, 9, 10. *quæ sanè est descriptio cruciatuum nunquam finiendorum. Scitè ergò August. serm.* 81. *de temp.* propterea ignis æternus inextinguibilis dicitur, non solum quia ipse non extinguitur, sed quia nec eos, quos suscipit extinguet aut perimet: scriptura enim dicit, quia & peccatores induunt incorruptionem, scil. non ad honorem vitæ, sed ad diuturnitatem supplicij perfuturum. ¶ *Quod autem Christus ad discipulos dicit* Matth. 10, 28. *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt: Sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna: id nihil juvat adversarios. Nam Christus non dicit, Deum* ἀπολέσαι *sed* ἀπολέσαι ψυχὴν καὶ σῶμα, *quæ* ἀπόλεια *etiam cruciatibus fit sempiternis. Non enim semper destructionem substantiæ notat, sed sæpe bonitatis defectum, quemadmodum domus Israel* ἀπολωλὸς Matth. 10, 6. 15, 24, *homines* ἀπολωλότι Matth. 18. 11. *vocantur. Sic utres* ἀπολῦνται Mar. 2, 22. *unus ex parvulis* ἀπόλ. Matt. 18. 14. *qui non delentur prorsus, sed*

*corrumpuntur. Verè autem perierunt, qui nullam salutis, nullam restitutionis aut refectionis spem habent, licet quò ad substantiam adhuc sint superstites.*

## QVÆSTIO. VII.

Annon Deus injustus est, qui pro temporali delicto æternum infligit supplicium?

*Resp. Absit ut Deum ullius accusemus injustitiæ. Quemadmodum enim liberrimè proposuit leges, non secundum placitum hominum, sed pro suo judicio: ita etiam transgressoribus liberè dictavit pœnas, etiamsi ratione durationis delicto non respondeant; justitiæ tamẽ Dei exactè congruunt, qui gravitatem delicti non tempore, sed justitiâ suâ & pravitate hominum ponderat. Duplici ergo nomine delictis hominum æternum debebatur supplicium (1.) quia æterna & infinita Dei justitia ab ipsis fuit læsa: æternum ergo debebatur supplicium delinquentibus: ideo Deus judex justus appellatur. 2. Tim. 4, 8. (2.) quia voluntas peccandi nunquam mutata fuisset, si æternum vivere potuisset homo. De qua postremâ ratione Beda scribit in prov. Salom. lib. 2. cap. 24.* Inferni tormenta non replebuntur, terminum accipiendo simpliciter, & intentiones eorum qui humana sapiunt, insatiabiles sunt in desiderio peccandi, qui & ideo sine fine pœnas luunt, quia voluntatem habuerunt sine fine peccandi, si naturam haberent, sine fine vivendi; *Et Gregorius in Dialogo: Ad magnam justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui nunquam voluerunt carere peccato.*

QUÆ-

## QVÆSTIO VIII.

Nunquid præmium beatorum, & pœna damnatorum in die judicij demum incipit, ut colligi posse videtur v. 7. & 8?

*Resp. Quò ad corporum præmia vel supplicia, dubium nullum est, quin ea in novissimo demum die incipiant, ubi resuscitabuntur vel ad vitam vel ad mortem* Dan. 12, 2. Joh. 5, 29. *& de his agit Apostolus noster. De animabus verò aliter se habet. Animas beatorum quod attinet, sunt, qui eas purgatorio includunt, infernalibus ignibus aliquandiu ustulandas. Gregor. in 4. Dialog. animas in certis vagari sedibus contendit usq; ad diem judicij. Augustinus abdita quædam receptacula eis assignat, in quibus usq; ad diem illum quiescant. Enchir. ad Laur. cap.* 109. *idem etiam Tertull. lib.* 4. *Origenes lib.* 5. περὶ ἀρχῶν *animas in illis receptaculis tanquam in schola erudiri de fide, & institutas emigrare decet. Iren. lib.* 5. *adv. hær. cap.* 26. *asserit, animas abire à corporibus in invisibilem locum definitum eis à Deo, & ibi usq; ad resurrectionem commorarari. Arabici animas in corporibus mori, & in die novissimo resurgere statuerunt, quos Origens una disputatione refutavit teste* Euseb. lib. 6. cap. 39. *& August.* de hæres. hær. 83. *His affines sunt, qui putarunt animas in certo quodam* τῷ *dormire usq; ad diem novissimum: unde psychipunchitæ dicti sunt: qui error olim Anabaptistarum fuit. Hæc omnia ut sacris literis partim manifestè contraria, partim minus congrua, reijcimus: adversus eos enim victoria est, sententiæ eorum manifestatio, dicente Irenæo* lib. 1. cap. 35. *Scriptura enim animas eorum, qui in Domino moruntur, eo ipso*

*momento, quo corpora egrediuntur, in sinum Abrahæ, seu in manum Dei, & cœlestem paradisum mittunt* Luc. 16, 22. Sap. 3, 1. Luc. 23, 43. Apoc. 14, 13. *ubi statim cœlesti perfruuntur gaudio in conspectu Dei, ideo Paulus mori desiderans mox cum Christo esse volebat* Phil. 1, 23. *& Christus animam latronis ad se in paradisum mandat* Luc. 23. *Hoc tamen ex scriptura etiam constat, quod beatitudo animarum nondum undiquaq; sit perfecta antequam corporibus suis iterum jungantur, ideo animæ sub altari cum desiderio corporum suorum resurrectionem expectabant* Apoc. 6, 10. *& quiescere jubentur donec complerentur conservi & fratres eorum, & sancti qui ante nos ex hac vita discesserunt, non sine nobis consummari dicuntur* Heb. 11, 40. *Consummatio ergo & perfectio sequetur in die restitutionis omnium, ubi animæ corporibus suis restitutæ, juxta Christi sententiam in vitam ingredientur æternam* Matth. 25, 46. *Eadem est ratio damnatorum, quorum animæ jam tum corporibus solutæ in locum tormentorum veniunt, ut parabola de divite epulone docet: tandem verò in resurrectione mortuorũ, una cũ corporibus suis publicè ac solenniter igni adjudicabuntur, ubi verisimile est, cruciatuũ quasi perfectionem secuturam, quas solæ antea animæ extra corpora sua sentiebant.*

## QVÆSTIO. IX.

An nulla erit pœnarum infernalium differentia, cum Paulo noster scribat, tam eos, qui Deum planè non noverunt, quam qui Evangelio Christi non auscultarunt, pœnas æterni exitij luituros v. 8?

*Resp.*

*Resp.* Apostolus hoc loco tantum agit de supplicio æternæ damnationis, quod in omnibus damnatis erit æquale. Omnes enim privabuntur conspectu Dei, omnes sentient inæstimabiles corporis animæq; cruciatus: gradus tamen erunt cruciatuum inæquales, pro æqualitate delictorum. Unusquisque enim referet, prout gessit, inquit Paulus 2. Cor. 5, 10. Gravius ergo punientur, qui Evangelio non ascultarunt, quam qui Deum planè non noverunt: quia servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis Luc. 12, 47. & tolerabiliorem fore conditionem in die judicij Sodomorum, Tyriorum & Sidoniorum, quam Capernaitarum, & reliquorum, quibus Evangelium prædicatum fuit, Salvator docet Matth. 11, 21. seqq. Æqualis ergo erit pœna omnium damnatorum, quo ad extensionem; attamen quo ad intensionem & quantitatem, inæqualis. In hanc sententiam scribit Augustinus lib. 4. de Baptis. cont. Donat. cap. 19. Dubitandum non est, ipsas pœnas, quibus cruciabuntur, qui regnum Dei non possidebunt, pro diversitate criminū esse diversas, & alias alijs acriores, ut in ipso igne æterno pro disparibus ponderibus peccatorum sint disparia tormenta pœnarum. Neque enim frustra ipse Dominus dicit: tolerabilius erit Sodomis, quam nobis in die judicij. Idem docet Chrysost. serm. 4. in cap. 2. ad Ephes. & Gregor. Dialog. lib. 4. cap. 43.

Apho-

## Aphorismi locorum communium ex hac parte.

1. *Iustitia Dei in remunerandis pijs, & puniendis impijs est immutabilis: quæ quidem hoc in mundo exemplis multis probatur, ut sunt Iosephi, Iobi, Tobiæ, Davidis, & aliorum sanctorum, quibus post afflictionum nebulam, sol gaudij & honoris illuxit: Sic & exempla Pharaonis, Herodis, Sennacheribi & aliorum hostium populi Dei testantur, impietatem tyrannorum non relinqui impunitam. Plena tamen justitiæ divinæ executio reservatur ad diem universalis judicij, de quo Paulus v. 6, 7. & in 2. Cor. 5, 10. Quæres opponenda est non tantum impatientiæ carnis, verum etiam perversis mundi judicijs, quasi Deo curæ non sit hominum vel pietas vel malitia, de quibus vide* Malach. 3, 14. seqq. & Sap. 4, 17. seqq.

2. *Magna solatij vis est in communione gaudij cum omnibus sanctis, quod in die judicij conferetur fidelibus: Ait enim Paulus, vobis qui tribulamini, requiem NOBISCVM tribui justum est v. 7. Nam si Apostolus Petrus solatium ponit in communione miseriarum hujus seculi* 1. Pet. 5, 9. *longè efficacius erit solatium in communi illo gaudio, de quo sibi pij rectè spem faciunt in communibus miserijs. Quin & Angelorum gaudium ideo crescit in pœnitentiâ peccatoris, quia sodalitium suum augeri vident: quò major enim est numerus eorum qui æterna felicitate perfruuntur, eò magis ipsa felicitas intenditur. Quo circa nemini salus sua invidenda est, nisi nobis ipsis partem aliquam felicitatis æternæ invidere velimus.*

3. *Vita æterna dulcissima appellatione nominatur ἄνε-*

σις, requies v.7. qua voce fit ἀνάπαυσις hujus & futuræ vitæ. Hæc vita plena est laborum & tribulationum, qua de re Sir. 40,1. Job.14,1. Psal,90,10. & passim alibi legi potest. Futura verò vita adfert requiem à labore, à persequutione, à morbis, ab ipsâ denique morte. Ideo mortui in Domino quiescere dicuntur à laboribus suis Apoc.14,13, & non pati tormentum Sap. 3,1. Si ergo sub spe fructus percipiendi arare & triturare licet 1.Cor.9,10. utique & sub hac spe quietis laborandum est, in vocatione, in periculis, in tentationibus & tribulationibus. Tunc enim cum Deo homo beatus erit, inquit Bernhardus de præmio patr. cœlestis, in cujus conscientia peccatum inventum non fuerit. Videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad jucunditatem. In æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Sicut habet permanendi æternitatem, sic cognoscendi felicitatem, requiescendi felicitatem: civis siquidem erit sanctæ illius civitatis, cujus angeli cives sunt, Deus pater templum, Filius ejus splendor, Spiritus Sanctus caritas.

4. *Iucundus erit pijs conspectus Christi venientis ad judicium: apparebit enim de cœlo & cum angelis potentiæ suæ* v.7. *de cœlo veniet, quò nos præcessit paraturus nobis locum* Joh.14,2. *unde & salvatorem nostrum expectamus* Phil.3,1. *qui intromissurus nos est ad nuptias* Apoc.19,9. Matth. cap, 25,10. *Cum angelis autem apparebit, qui sunt administratorij Spiritus emissi propter eos, qui hæreditabunt salutem* Heb.1,14. *conservi nostri* Apoc. 19,10. *qui gaudent in felicitate hominum* Luc,15,7. *& beatitudinis suæ socios cum tripudio excipiunt. Non igitur extimescamus illum Domini adventum, sed erectis capitibus præstolemur, quia tunc nostra appropinquat redemtio* Luc,21,28.

5. *Discrimẽ primi & novissimi adventus Christi satis luculentum est, quod in primo venit humilis & despectus duodecim inermibus discipulis comitatus* Matth,21,7. *in novissimo verò veniet cum angelis potentiæ suæ. Ibi venit ad crucem & mortem, hic ad gloriam & judicium: ibi venit judicandus, hîc judex. Beatos ergo omnes, qui non offenduntur in primo Christi adventu, sed Deum gloriæ cum gaudio excipiunt, hi in secundo adventu cum ipso erunt in gloriâ, ubi reliqui qui primum ejus adventum injurijs multis dehonestarunt, in confusione summâ relinquentur. Videbunt enim eum etiam qui pupugerunt, & plangent omnes tribus terræ* Apoc. 1,7.

6. *Duo sunt genera damnatorum: unum eorum, qui non noverunt Deum, alterum eorum, qui non auscultant Evangelio, v. 8. Illi sunt extra Ecclesiam & dicuntur ἄθεοι, seu infideles, quia etsi Deum ex lumine naturæ & operibus creationis quodammodo agnoscunt, salutaris tamen Dei cognitio eis deest, quia filium Dei ignorant: qui autem non honorificat filium, non honorificat patrem* Joh,5,23. *nam extra Christum nulla salus est, etiamsi reliqua omnia in vitâ rectè habeant. Hi sunt in Ecclesia, & vicissim duas constituunt classes, videlicet hæreticorum & hypocritarum. Duobus enim modis non auscultatur Evangelio Christi, vel cum à sacris sermonibus Domini receditur, & doctrina cœlestis corruptelis humanæ sapientiæ depravatur: & qui hoc faciunt, appellantur seductores proficientes in pejus, errantes & in errorem mittentes* 2. Tim.3,13. *Vel cum doctrina quidem sana recipitur, in vitâ verò non exprimitur; Evangelium enim non tantum externam professionem requirit, sed & erudit nos, ut abnegatâ impietate & secularibus desiderijs, sobriè, justè & piè vivamus in hoc seculo* Tit,2,12.

*Hos ait Paulus, speciem pietatis habere, virtutem autem ejus abnegare* 2. Tim. 3, 5. *Hos omnes pœna manet à facie Domini, & à gloria virtutis ejus: nam impij, qui in mundo in autoritate & interdum etiam cum imperio fuerunt, coram facie judicis sui ne admonentum stare potuerunt. Nam si Israelitæ in deserto non poterant audire vocem legis, sine honore & tremore cordis, cum tamen Deum non viderent* Exod. 20. *quantò major erit consternatio apud legis transgressores, cum fulmina illa audient, quæ in ipsos juxta rigorem legis torquebuntur: unde haud absre scriptum est, horrendum esse incidere in manus Domini* Hebr. 10, 31.

7. *Admiranda piorum gloria in novissimo die v.* 10. *opponenda est ignominiæ & miseriæ eorum in hoc seculo. Gloriam hanc habituri sunt in anima ac corpore à Christo: erit enim ea gloria, in qua & Christus post resurrectionem apparuit, eadem quidem specie, sed non quantitate. Nam & corpora fidelium conformia reddet glorioso suo corpori* Phil. 3. 21. *ita tamen ut in omnibus ipse primas habeat* Col. 1, 18. *per hanc electorum gloriam Christus ipse glorificabitur, quia coram universo mundo patebit, quàm facilè sit ipsi, excultoribus suis adflictissimis, glorioso reddere cœli incolas. Non ergo detrectemus ignominiam & adflictionem in mundo, propter nomen Christi, sed exhibeamus nos Dei ministros, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam* 2. Cor. 6, 8. *Beati enim qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* Matth. 5, 10, 11.

8. *Perseverantia in bono semper à Deo petenda est, exemplo Pauli vers.* 11. *Nisi enim ipse, qui nos dignos judicavit vocatione suâ, etiam impleat opus fidei & voluntatem suam in nobis, jam actum est de salute nostra.*

*Multa enim sunt, per quæ Satan palmam nobis intervertere studet: ideo Christus vigilantia & precibus Diabolo resistere jubet* Matth. 26, 41. *quod qui faciunt, his promittitur, quod Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos perficiet, confirmabit, & consolidabit* 1. Pet. 5, 10. *Et hæc omnia quilibet piorum alteri precari debet, tanquam votum omnibus maximè necessarium, quod Paulo nostro in Epistolis suis familiare est.*

9 *Nemo dignus est æternâ felicitate, nisi Deus eum dignum fecerit v.* 11. *Facit autem nos dignos nullo intuitu nostrorum meritorum, sed ex mera gratia, qua electi sumus* Eph. 1, 4. *vocati ad Ecclesiam* 2. Tim. 1, 9. *justificati* Rom. 3, 24. *salvati* Eph. 2, 8. *Qua ratione omnis gloria homini adimitur, soliq; Deo relinquitur, qui impium justificat* Rom. 4, 5. *unde pax, quam cum Deo habemus, omnem superare intellectum dicitur* Phil. 4, 7. *Cum autem nimis facilè nos tantis Dei beneficijs indignos reddere soleamus, ideo non obliviscamur admonitionum illarum, quibus jubemur dignè vivere Evangelio Christi* Phil. 1, 27. *& dignè Deo* Col. 1, 10. 1. Thess. 2, 12. *fructusq; ferre pœnitentiâ dignos* Matth. 3, 8. Luc. 3, 8. Act. 26, 20.

10. *Finis fidei nostræ & perseverantiæ in ea geminus est. Unus ex parte nostra, quem Petrus vocat salutem animarum* 1. Pet. 1, 9. *alter est ex parte Dei, nempe glorificatio ejus de qua Paulus noster v.* 12. *Quemadmodum enim nomen Dei blasphematur ob infidelitatem & inconstantiam hominis* Esa. 52, 5. Ezech. 36, 20. Rom. 2, 24. *ita vicissim honoratur, si ipsi soli adhæremus, & in gravissimis etiam periculis ab eo non dimovemur. Eò ergo contendamus omnes, ut fidem & bonam conscientiam retineamus inculpatè: sic & nobis ipsis æternum benè erit, & glorioſus ille semperq; benedictus Deus,*

gloriæ

*gloriæ ac majestatis suæ incrementa obtinebit, qui & gratiam illam nobis largitus est, & seipsum omnium nostrarum virtutum finem ultimum constituit, sicut scriptum est, omnia ad gloriam Dei facite* 1. Cor. 10, 31.

## CAPUT II.

## ARGVMENTVM ET PARTITIO Capitis.

*CAput hoc familiam ducit in hac epistolâ, in quo D. Paulus de novissimo Domini adventu & fine mundi ita disserit, ut sive expectationem, sive metum omnem suis eximat, antequam Anti-Christus reveletur, qui multos à veritate aversurus erat ad mendacia. Hujus revelationem singularem notam novissimi illius adventus constituit, de qua etiam accuratè agit, Antichristi qualitates, opera, regnum dilucidè describens. Quo expedito consolatur Thessalonicenses, ne defectionem à veritate metuant, & ut Deus eos in fidei constantia custodiat, precatur. Duæ sunt partes capitis.*

I. Prima agit de ultimo adventu Domini & revelatione Antichristi, qua adventum illum notavit usque ad v. 12.

II. Altera habet Exhortationem & preces pro confirmatione Thessalonicensium in bono à v. 13. usque ad fin. cap.

## PRIMA PARS
### TEXTVS.

Ερωτῶμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, ὑπὲρ τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ' αὐτόν.

Εἰς τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ νοός, μήτε θροεῖσθαι μήτε διὰ πνεύματος, μήτε διὰ λόγου, μήτε δι' ἐπιστολῆς δι' ἡμῶν, ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ Χριστοῦ.

Μή τις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ κατὰ μηδένα τρόπον: ὅτι ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον, καὶ ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἀπωλείας.

Ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν, ἢ σέβασμα, ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ ὡς Θεὸν καθίσαι, ἀποδεικνύοντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ Θεός.

Οὐ μνημονεύετε ὅτι ἔτι ὢν πρὸς ὑμᾶς, ταῦτα ἔλεγον ὑμῖν.

Καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε, εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτὸν ἐν τῷ ἑαυτοῦ καιρῷ.

(Τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, μόνον ὁ κατέχων ἄρτι, ἕως ἐκ μέσου γένηται.)

1. ROgamus autem vos, fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtri aggregationem in illū.

2. Ne cito demoveamini à mente, neq; turbemini neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tanquam nobis autoribus, quaſi inſtet dies Chriſti.

3. Ne quis vos decipiat ullo modo: quoniam (*non advenit Dominus,*) niſi venerit defectio prius, & revelatus fuerit homo ille ſceleroſus, filius perditus.

4. Qui eſt adverſarius, & effertur adverſus omnem qui dicitur Deo, aut numen, adeo ut in templo Dei ſedeat, oſtentans ſeipſum eſſe Deum.

5. Annon meminiſtis quod quum adhuc eſſem apud vos, hæc dixerim vobis.

6. Et nunc quid detineat ſcitis, nempe ut ille reveletur in ſuo tempore.

7. (Nam myſterium nunc agit iniquitatis, tantum qui tenet, in præſentia (*teneat,*) donec è medio tollatur.)

Καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος, ὃν ὁ κύριος ἀναλώσει τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ, καὶ καταργήσει τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ.

8. Et tunc patefiet iniquus ille, quem Dominus conficiet Spiritu oris sui, & abolebit claritate adventus sui.

Οὗ ἐστιν ἡ παρουσία κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ, ἐν πάσῃ δυνάμει, καὶ σημείοις, καὶ τέρασι ψεύδους.

9. Cujus adventus secundum operationem satanæ, cum omni potentia, & signis, ac prodigiis mendacibus.

Καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις, ἀνθ' ὧν τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας οὐκ ἐδέξαντο εἰς τὸ σωθῆναι αὐτούς.

10. Et cum omni deceptione injustitiæ in iis, qui pereunt, pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, in hoc ut salvi fierent.

Καὶ διὰ τοῦτο πέμψει αὐτοῖς ὁ Θεὸς ἐνέργειαν πλάνης, εἰς τὸ πιστεῦσαι αὐτοὺς τῷ ψεύδει.

11. Et propter ea mittet illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio.

Ἵνα κριθῶσι πάντες οἱ μὴ πιστεύσαντες τῇ ἀληθείᾳ, ἀλλ' εὐδοκήσαντες ἐν τῇ ἀδικίᾳ.

12. Vt judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed approbaverunt injustitiam.

*CVm Thessalonicæ multi essent, qui prætendebant, jam tum instare diem Domini, hortatur Paulus hac in parte fideles, ne rumoribus istis fidem habeant. Propositio hæc est: Nolite credere præsoribus jam esse diem Domini vers. 2. Eam non nudè ponit, sed Rhetorico ornatu eleganter illustrat. Primum rogat, ne his sermonibus fidem habeant.* Rogamus autem *inquit*, vos fratres per adventum Domini, h.e. nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsũ v. 1. *Seria hæc est obtestatio*

duabus

duabus munita rationibus. Obtestatur enim eos 1. per adventum Domini, h.e. per fidem ac spem, quam de adventu Domini habent. Præpositio ὑπὲρ obtestationis & juramenti vim habet, ut 2. Cor. 5, 20. δεόμεθα ὑπὲρ χριστοῦ obsecramus per Christum. 2. per jucundam illam conversationem, quam habituri sint coram facie Christi, in die illo: hæc enim est illa ἐπισωαγωγὴ sanctorum in Christum, aggregatio nimirum ipsorum & conventus optatissimus cum Christo, qui pios omne tanquam oves ab hædis separatos sibi aggregabit, & ad dextram suam collocabit: ita ergo vertendus est græcus textus: rogamus vos & per aggregationem nostri in eum, de qua supra quoq; dixerat: resuscitati rapiemur cum vivis residuis in occursum Domini in aere, & ita semper cum Domino erimus, 1. Thess. 4, 14, 17. Deinde ipsius exhortationis rationes duas addit. Non enim facilè assentiendum est impostoribus illis 1. quia levitatis est: non citò moveamini à vestro sensu v. 2. Aliter jam antè edocti erant priori epistola, & tamen non deerant, qui suis opinionibus doctrinam illam evertere laborabant. His cedere, & priorem sententiam, quam ab Apostolo didicerant, tam citò deponere, levitatis foret, cujus eodem modo & in simili negotio Galatas arguit: miror, quod tam citò transferamini in aliud Evangelium Gal. 1, 6. Beza in Annot. in N. T. vocem νοὸς non de sententia sed ipsa mente hominis accipit, quasi velit Apostolus, ne patiantur fideles se ab impostoribus illis in furorem & insaniam rapi. Sæpe enim fieri, ut qui à Christianismo deficiunt, etiam communi sensu priventur, h. e. ea credant, quæ cum sensu communi pugnant. Tutius autem est, retinere priorem interpretationem, quia sensum communem pro principio religionis non habemus, ideo non statim à veræ fide deficiunt, qui ea credunt, quæ cum ratione aut sensu communi pugnant, siquidem fides

& rationem & sensum omnem superat, est ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, καὶ πᾶσαν καύχησιν.

2. Secunda ratio est, quia facilitas illa in credendo non caret periculo: turbare enim potest ipsorum fidem, ipsosque pudore suffundere, cum animadverterint, diem illum diutius quam credissent, prorogari: neq; terreamini, ait, μήτε θροεῖσθαι, quod verbum propriè de tumultuantibus usurpatur, qui strepitu & clamore subitum incutiunt terrorem. Christus hoc verbo de perturbatione illâ utitur, quæ ex motibus bellorum novissimum diem antecedentibus orietur Matth. 24, 6. Marc. 13, 7. Tertiò docet Apostolus quibus artibus impostores isti hominum animos præoccupare, à sententia sua dimovere & turbare soleant. Faciunt hoc 1. per spiritum, h. e. per revelationes fictas, seu arcanos afflatus, quos somnijs suis prætexunt. Non ergo fidem haberi vult impostoribus, etiamsi revelationes hujusmodi jactent. 2. Per sermonem: non quemvis sermonem sive λόγον intelligit, sed παραλογίαν illam, quam in Pseudoapostolis reprehendit Col. 2, 23. quæ habet speciem alicujus sapientiæ, sed deceptione plena est: qualis sermo sophistarum esse solet, qui verborum phaleris ac cincinnis absurdissima quæq; interdum imperitis persuadent. 3. per epistolam tanquam ab Apostolo scriptam. Apparet ergo hinc, epistolas quasdam sub nomine Pauli aut etiam Timothei & Silvani (quia in plurali loquitur, ὡς δι' ἡμῶν) circumferri solitas, in quibus & ista opinio de imminente adventu Domini sub autoritate atq; pallio magnorum virorum in Ecclesiam Thessalonicensium se insinuavit: quibus Paulus hac sua protestatione omnem fidem derogat: & quia diabolus per sua organa mille habet modos fallendi homines, in genere addit; Ne quis vos seducat ullo modo v. 3. Oportet enim eos de doctrinâ Pauli certos esse, & contra omnes insultus Sa-

*tanæ munitos, ideo si qui contradicere ausint, probatione spirituum opus est, an ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum* 1. Thess. 4,1. *Et hæc fuit propositio Pauli: adventum Domini novissimum nondum imminere, & qui aliter doceant, his credendum minimè esse.*

*Rationem propositionis addit v.* 3. Quoniam, nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis. *Elliptica est locutio, supplenda ergo ex superioribus, scil. non veniet Dominus ad iudicium. Duo autem hic signa novissimi illius adventus indicat.* 1. *est apostasia seu defectio.* 2. *revelatio Antichristi. Hæc duo præcessura ait novissimum diem, quam longe autem temporis intervallo, non addit: nam horam illam & diem, adde & annum & mensem Deus potestati suæ reservavit, in quibus nobis non licet esse curiosis* Act. 1,7. 1. Thess. 5,1. *Defectionem etiam in genere nominat, non addens unde futura sit. Nonnulli defectionem gentium à Romano imperio, alij defectionem Christianorum à fide intelligunt, de quo plura infra: nos posteriorem interpretationem verò magis consentaneam arbitramur. Ex hac defectione oritur alterum signum, nimirum revelatio Antichristi illius magni, h. e. retectio fraudum & mendaciorum ejus, quibus aliquandiu totum ferè dementavit orbem Christianum. Latuit enim Anti Christus in membris suis, & sic in occulto egit mysterium iniquitatis, tandem verò revelatus fuit, cum omnibus suis artibus & imposturis, quando ipse sibi corpus quasi collegit, regnum erexit, & in eo impunè, & plane pro libidine sua grassatus est. Hunc Antichristum vivis suis coloribus depingit Apostolus, quos si rectè consideraverimus, & cum eventu, qui vaticiniorum omnium optimus interpres est, conferre voluerimus, non erit divinandum amplius, de quonam ei sermo fuerit. Primum,*

tribus

tribus eum ornat epithetis. 1. vocat hominem peccati, usitato Hebraismo pro homine peccatis dedito, vel scelerato, & quidem non vulgariter, sed κατ' ἐξοχὴν & extremè flagitioso, quasi scelus & flagitium ipsum dixeris, qui & ipse flagitia multa impunè committet, & alijs licentiam peccandi concedet. Damascenus lib 4. orth. fid. cap. 28. hac voce ipsum Satanam intellectum putat. Sed Paulus hominem vocat, substantiam ejus exprimens, peccati verò hominem, conditionem ejus notans, quod videlicet & ipse plurimum peccabit, & alios ad peccandum coget, quemadmodum Chrysostomus & Theodoretus explicant (2.) Appellat eum Paulus filium perditionis eodem Hebraismo, quemadmodum impij dicuntur filij infidelitatis Eph. 2, 2. Sic filius perditionis h. e. & ipse extremè perditus, & alios animâ & corpore perdens, quoscunque & impia sua doctrinâ & sceleratissimis suis moribus corruperit, hinc alibi ἀπολλύων vocatur Apoc. 9. 11. (3.) nominat ἀντικείμενον adversarium, Christi scil. & verbi ejus, unde communiter Antichristus dicitur. Quemadmodum enim Christus tantum benè egit omnia: sic iste non nisi sceleratus esse potest: & sicut Christus salutis autor est, ita iste perditionis, omnibus qui ipsi adhærebunt: & sicut Christus voluntatem patris docuit, sic iste voluntati divinæ adversatur, omniaq; pro libitu suo facit, id quod Daniel etiam sub typo Antiochi de Antichristo prædixit Dan. 11, 36. Deinde ingenium ejus admodum superbum describitur: extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus v. 4.

Duo hic exprimuntur, (1.) fastus Antichristi, qui nullum curabit Deum, quod partim de vero Deo intelligi potest, sicut in Daniele habetur, elevabitur & magnificabitur

adversus omnem Deum, & adversus Deum Deorum loquetur magnifica cap. 11. cujus ordinationem & leges pedibus concalcatum ibit, neq; quidquam verebitur vel majestatem vel potentiam: partim etiam de omnibus ijs, quæ divinam quandam autoritatem, aut magnam quandam potentiam habent, ob quam Dij appellantur, ideo Paulus λεγόμενον θεὸν vocat, sicut 1. Cor. 8, 5. multi dicuntur dij in cœlo & in terra. Hos omnes non curabit ille, de quo Paulus, sed alto supercilio contemnet. Nec curabit ullum numen, σέβασμα est in græco, quidquid colitur, vel ad cultum divinum adhibetur, sicut Act. 17, 23. de idolis gentilium usurpatur hoc vocabulum, religionem simpliciter omnem conculcabit, tantum ut ipse pro Deo quodam terrestri habeatur, & ab omnibus magnâ cum devotione colatur, ideo tantam sibi majestatem arrogabit, quãtam nullum unquam numen gentilium, nullus unquam homo in terris habuit, tanquam Dominus quidam mundi, cœli & inferni, caput & inspector omnium. (2.) locum ostendit, ubi inveniendus sit: in templo nimirum Dei, h. e. in medio veræ Ecclesiæ sedebit hoc idolum: voce sedendi & dominium, quod sibi affectabit, & potentia, qua terrorem alijs incutiet, notatur. Sedebit autem ut Deus quidam, non tantum quia se dicturus sit Deum, sed & quia divinam quandam majestatem operibus & miraculis, omnia tamen per impostura, præ se ferre videbitur: vel etiam quia vicem quandam veri Dei seu Christi geret, unde & Antichristus appellatur, quia vicarius Christi, qui partes vicarias Christi agens, fuit ejus adversarius: quia ἀντὶ non tantum oppositionem, sed & substitutionem significat, ut Luc. 11, 11. Huic membro descriptionis Antichristi interserit Apostolus protestationem, se non nova scribere, sed valde nota, ne dicant Thessal. se talia nunquam audivisse. Num retinetis (rectius annon meministis) quod cum ad-

huc

huc essem apud vos, hæc dicebam vobis? v. 5. *Tacitè reprehendit eos, quod tam obliviosi fuerint, sæpe enim repetita fuit hæc doctrina in Ecclesia, quam si ipsi memoriæ infixissent, somnia illa de jam jam imminente novissimo die non admisissent. Fortè autem longe plura de Antichristo coram eis dixit, quæ ut meminerint, monet: nos verò paucis, quæ hic proponit, contentos esse jubet.* Pergit jam ad tertium descriptionis membrum, quo causam indicat, cur Antichristus tunc nondum fuerit revelandus: *quia nimirum sit aliquid quod ipsum detineat: quo in genere iterum ad scientiam ipsorum provocat, quibo plura hac de re & clariora dixerat:* Et nunc quid detineat, scitis, ut reveletur in suo tempore vers. 6. *Non addit, quidnam eum detineat, aut removetur, quia jam ante notum ipsis fuit. Hinc apud interpretes opinionum fit divortium. Nonnulli Spiritus Sancti gratiam remorari putant revelationem Antichristi: nam quando dona spiritus S. propter hominum malitiam & ingratitudinem è medio sublata fuerint, tunc venturum Antichristum dicunt. Huic opinioni opponunt se Chrysostomus, Theophylactus & Theodoretus; nam de donis Spiritus Sancti apertè loqui Apostolum nihil impedijsset, ipse verò satis obscurè & tacitè agit tanquam periculum quoddam, sic clarius loqueretur, metuens. Et dona illa Spiritus Sancti sunt vel χαρίσματα illa primitivæ Ecclesiæ propria; & sic jam pridem revelandus fuisset Antichristus, quia dona illa jam olim desierunt: vel sunt communia illa omnibus sanctis, & sic nunquam patefieret Antichristus, quia fieri non potest, ut omnis cesset gratia Spiritus Sancti. Theodoretus illud κατέχον, quod detinet, interpretatur de decreto Dei, quod præfinitum habuit tempus suæ executionis: tunc verò cum hæc scriberet Apostolus, tempus illud nondum aderat. Et si verò certum tempus huic revelationi divinitus*

*decretum non negamus, manet tamen adhuc in quæstione, quodnam Deus impedimentum injicere decreverit: illud enim absq; Dei nutu & sententia non incidit. Idem Theodoretus prædicationem Evangelij in universo mundo obstitisse putat. Prius enim remotis gentium idolis ac superstitionibus, Christus innotescere debuit, quàm revelaretur Antichristus. Atque hoc quidem prædixerat Salvator* Matth. 24, v. 14. *& non errabit, qui hoc pro impedimento revelati Antichristi habet. Sed quia Paulus tacitè & quasi cum metu aliquo hujus impedimenti meminit, quod significatione illius causæ opus haud fuisset, ideò rectius cum Chrysostomo, Theophylacto, Hieronymo & alijs* τὸ συνέχον *intelligimus de Romano imperio, cujus potentia detinuit Antichristi tyrannidem: illa verò imminutâ hac plenis velis ingreditur. Et propterea tectè & opacè dixit Paulus (ut hoc de suo mihi largiatur Theophylactus) neq; enim vanas inimicitias recipere volebat stultaque pericula. Si enim dixisset paulò post Romanum imperium dissolvendum, statim eum confodissent, tanquam impostorem, aliosq; fideles cum ipso, tanquam qui super tanti imperij demolitione lætarentur. In quarto membro revelationem ipsam Antichristi exprimit:* Nam mysterium jam operatur iniquitatis, tantum ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat: & tunc revelabitur ille iniquus, vers. 7. *Antichristum jam tum adesse indicat, sed in occulto latitantem, & non aperta tyrannide, sed clam & sub specie pietatis ac mysterij impietatem & impuritatem suam exercentem, ita ut & pios doctosq; viros aliquandiu lateret. Theophylactus existimat adfuisse ipsum in Nerone tanquam in typo: Sed hanc epistolam ante tempora Neronis scriptam constat ex præfat. Theodoreti in epistolas Pauli, & D. Iohannes suo tempore Antichristum in mundo fuisse scribit* 1. Joh. 4, 3.

Nero

*Nero verò nuſpiam vocatur Antichriſtus. Adfuit autem in ſuis præcurſoribus hæreticis, qui impiá doctrinâ, (cui myſterij & pietatis aliquam ſpeciem prætendebant) viam ipſi ſternebant, donec Romanum imperium, quod hactenus tyrannidi ejus obſtitit, loco moveatur aut diminuatur. Hoc enim eſt è medio fieri, nimirum non prorſus tolli, aut extirpari, ut Pontificij volunt: Nam præter quartam Monarchiam, quæ Romanorum eſt, nulla alia eſt expectanda, ſed vires amittere aut de loco in locum transferri, aut aliàs notabiliter mutari. Ita enim phraſis Apoſtoli ἐκ μέσου γενέσθαι uſurpatur, de translatione è loco in locũ* 1. Cor. 5, 2. 2. Cor. 6, 17. Act. 23, 10. *& poteſt aliquid è medio tolli quò ad quid, nempe quò ad potentiam ac majeſtatem ſuam. Sic ergo Antichriſtus vires ſuas exeruit, & tyrannidem abſque metu exercuit, poſtquam Romanum imperium imminutum, & loco quaſi ſuo motum, in que partes diviſum fuit, manentibus adhuc quibusdam ejus ruderibus, cujus tamen nullius apud Antichriſtum terror fuit: quemadmodum Chriſtus cum Romanum Imperium maximè floruit, natus eſt: oportuit enim etiam hac in parte conſtare anthiteſin. Hæc ergo plena uſurpatio tyrannidis & poteſtatis ſuæ vocatur revelatio* Iniqui *illius, (in græco vocatur ἄνομος exlex, nullas enim curabit leges, ſed pro lubitu faciet omnia) qui nunquam melius, quam cum plena vi & apertâ impietate ingreditur, agnoſci poteſt. Quintum membrum meminit ruinæ Antichriſti:* quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui v. 8. *Cladis Antichriſtianæ autor non erit hominum aliquis, ſed Dominus Ieſus. Non enim cadet humaná potentiá, ideo fruſtra exercitu militari impeteretur: gloria hæc ſolius Chriſti eſt, æquum enim erit, ut Antichriſtus à Chriſto vinceretur, cujus regnum cũ in ſcriptura dicatur ſempiternum, neceſſe fuit, ut*

Anti-

*Antichristi regnum interiret, & cum regnum ejus non sit de hoc mundo, non poterat mundanis armis regnum Antichristi, impugnare. Christus ergo dicitur* 1. ἀναλίσκειν *Antichristum, consumere, & atterere, ne quidquam amplius noceat.* 2. καταργεῖν, *abolere prorsus, ne amplius sit. Illud facit quotidie spiritu oris sui, h. e. Spiritu Sancto qui per verbum nobiscum loquitur, & qui æque est spiraculum Filij, ac Patris, à quorum utroq; ab omni æternitate ineffabiliter procedit, ideo spiritus oris Christi appellatur. Beza & socij interpretantur id, de verbo Evangelij, nusquam autem id vocatur Spiritus oris Christi: sed hæc est notatio Spiritus Sancti qui vocatur spiritus laborum Christi* Esa. 11. 4, *qui à filio procedit, ac per verbum operatur. Hoc faciet in novissimo suo adventu, quem illustrem nominat, quia magnâ cum majestate futurus est, coram qua nec Antichristus, nec hæretici, nec tyranni, aut quicunque deniq; hostes Christi stare poterunt. Paulatim ergo atteretur regnum Antichristi per verbum; quemadmodum & paulatim crevit, subito autem in adventu Domini abolebitur, & vires suas nunquam recuperabit. Sextum membrum opera & studia Antichristi indicat, quibus regnum suum in mundo propagaturus est.* Cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute & signis, & prodigijs mendacibus: & in omni seductione iniquitatis ijs, qui pereunt, eò quod caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent v. 9, 10. *Autor operum Antichristianorum dicitur Satan, qui & ipse est* ἀντικείμενος *seu adversarius: Omnia enim hîc sunt adversa Christo, Is suggeret consilia & robur, is talidè cocta potenter in effectum deducet, ideò tributur ei* ἐνέργεια, *non enim erunt opera illa sine effectu. Opera Satanæ nominantur* Ioh. 8, 44. *cædes & mendacia. Talia quoq; erunt opera Antichristi, mendacijs*

*Notatur hic exemplum, ubi relativum refertur non ad proximum nomen, sed ad remotius.*

*doctri-*

doctrinam, cædibus vitam suam reddit commendatam. Autoritatem sibi conciliabit in omni virtute, signis & prodigijs. Idem prædicitur Matth. 24,24. Apoc. 16,14. 13,13. Tribuuntur hæc tria, δύναμις, σημεία, τέρατα, etiam Apostolis Rom. 15,19. 2. Cor. 12,12. quibus autoritatem Apostolatui suo conciliarunt, operante per ipsos Spiritu Sancto, Antichristus ea æmulabitur per efficaciam Satanæ. Δύναμις in hac materia plerunq; notat imperium in diabolos, quibus familiariter utetur Antichristus, ita ut eos in usum suum evocare possit pro lubitu. Σημεία vocantur miracula in morbis sanabilibus edita; prodigia, τέρατα, sanationem defectuum incurabilium, & alia quæ operationem naturæ transcendunt, in quibus omnibus mirè se jactabit Antichristus: sed erunt signa & prodigia mendacia, h. e. ficta & vana, ac ad fallendum comparata. Effectus erit πᾶσα ἀπάθη τῆς ἀδικίας, h. e. seductio in injustitiam: Πάθη enim via trita est, ἀπάθη seductio à via trita in erroneam, quæ ducit in exitium: Ἀδικία significat, & dogmata falsa, & quæ inde sequitur, vitam sceleratam. Faciet ergo Antichristus ementitis suis prodigijs, ut homines viam veritatis negligant, veram & coram Deo valentem justitiam ignorent, sibiipsis justitiam excogitent, & coram mundo etiam omni justitiæ & pietati valedicant. Quinam verò illi homines sint, addit, οἱ ἀπολλυμένοι, qui pereunt. In reprobis ergo doli isti Antichristiani suam habebunt efficaciam: siquidem fieri non potest, ut electi seducantur, quemadmodum Christus prædixit Matth. 24,25. Reprobi ergo erunt subditi Antichristi, & cum horum semper major sit numerus, quam electorum, mirum non est, quod regnum Antichristi regnum Christi multitudine hominum superet. Fiet autem hoc judicio Dei, in debitam pœnam antegressæ contumaciæ: ideo namque perunt, quia caritatem veritatis, seu dilectam veritatem,

*non receperunt, ut salvi fierent. Quibus in verbis est* παρένωσις *quædam: quia non tantum, non receperunt, sed & repudiarunt veritatem in verbo monstratam, & hoc ipso, quia repudiarunt, recipere non potuerunt. Causa enim perditionis est contemtus veritatis. Denique ne quis hanc tyrannidem conscientiarum & seductionem Antichristi putet casu fieri, postremum membrum addit Paulus, quo hæc omnia ad Deum refert justè vindicantem hominum impietatem:* Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacijs, ut judicentur omnes, qui nō credidere runt veritati, sed consenserunt iniquitati, v. 11, 12. *Tribuuntur hæc Deo nō ἀπολογικῶς sed ἐνεργητικῶς h. e. nō ut caussæ errorū efficienti, sed ut justo judici peccata peccatis puniēti. Solet enim Deus plerumq; semper par pari referre. Quemadmodum ergo impij doctrinam veram ab Apostolis prædicatam repudiarunt; ita pœnæ loco errores multiplices, quos aliàs sparsurus erat Satan in mundo, grassari passus est, tantâ cum efficaciâ, ut longè avidius arripti fuerint licet præsenti cum exitio, quam veritas cœlestis, quam rejecerunt: quæ rejectio hic expressè ponitur, ut causa meritoria, efficacissimorum errorum, quibus tanquam gurgiti mendaciorum immersi fuerunt reprobi. Nam cum Deus justus sit, justè omnia disponit, eumque qui puniri non debet, condemnare, alienum à virtute sua putat,* Sap. 12, 15.

*Hoc est vaticinium Apostoli nostri de Antichristo, quo præmunire voluit animos piorum, ne offendantur furoribus Antichristianis, quasi Deus oblitus fuerit Ecclesiæ suæ, quia tam splendida mendacia, & immania facta sub specie veritatis & justitiæ grassari patitur: Præparat autem eos ad certamina, per quæ contendere debeant ad gloriam, quam Dominus Iesus*

*illustri*

illustri suo adventu tandem conferet ijs, qui legitimè certaverint. Et hæc omnia novissimum Domini adventum antegressura prædicit, ne felicitatem æternam pijs promissam jam jam ante fores esse arbitrentur; quem in finem hoc de Antichristo vaticinium prolixius proponere voluit. Iam verò, de quonam isthæc vaticinetur Apostolus, disquirendum est. Et cum vaticinia omnia, antequam implentur, obscuriora sint, mirum non est, quod veterum nonnulli in interprætatione à scopo Pauli aberrarunt. Beda ingenuè fatetur, se hunc Apostoli locum non intelligere. Augustinus verba Pauli obscura & mysticè dicta ait, quare expositionem ipse ab Hesychio petit epist. 80. ad Hesych. Alij Paulum de Nerone loqui dicunt; alij de Mahumete seu regno Turcico: alij de alio quodam insigni nebulone, qui reliquos omnes iniquitate, hypocrisi atque potentiá superet, sub finem mundi, qua insententia etiam Zanchius est in Miscellan. pag. mihi 317. Sunt & hodie, qui Pauli vaticinium tam de Mahomete sive Turca, quam de Papa interpretantur, inter quos est Andreas Hyperius in comment super hanc epistolam fol. 253. Certum autem est, quod neque de Nerone, neque de Turca vel Mahomete loquatur Paulus, quia is, de quo agit, sessurus est in templo Dei, quæ est Ecclesia: isti verò sunt extra Ecclesiam: neque etiam de uno quodam homine scelerato, quia is, de quo Paulus, jam tum operabatur mysterium iniquitatis, & ultimo demum Christi adventu destruendus erat, quod in unum quendam hominem non cadit, nemo enim à Pauli temporibus ad ultimum usq; Christi adventum vixit: nec obscurè describitur ille, de quo Paulus, ut persona Ecclesiastica, quæ in quovis scelerato non reperitur. Vt ergo verum hujus vaticinij sensum rectè percipiamus, sciendum est, vocem

*Antichristi bifariam usurpari* (1.) *in genere de omni, qui Christo est oppositus, sive verbis & doctrina, ut Iudæi & hæretici omnes, sive facto atq; opere, ut tyranni & persequutores Ecclesiæ: quo sensu D. Iohannes scribit: nunc Antichristi multi sunt* 1. Joh. 2, 18. *intelligens Ebionem & Cerinthum, ut & reliquos sui temporis hæreticos, unde Antichristum vocat, qui negat Patrem & filium* 1. Joh. 2, 23. *& qui non confitetur Iesum Christum in carnem venisse* 1. Joh. 4, 3. *Ad exemplum D. Iohannis Tertullianus Arianos vocat Antichristos, adv. praxeam cap.* 31. *circa fin. & omnes Christi rebelles, lib. de Præscript. cap.* 4. *idem facit Ambros. lib.* 2. *de fide cap.* 4. *& Augustin in* 1. *Ioh.* 3. Antichristus, *inquit*, vocatur, qui Christo in cunctis contrarius est, & contraria facit, sic hæretici omnes, si qui factis negant Christum &c. *& Hieron. ad Marcellam*: Adversarius Christi est & Antichristus, cui præcepta displicent Christi. *De hujusmodi Antichristo Paulus hic non loquitur.* (2.) *in specie significat Antichristus, eximium quendam Christi adversarium, qui vi & fraude Christum impugnat, & omnium maximè regno Christi nocet: & hic Antichristus magnus appellatur. Duo autem sunt Antichristi magni: unus orientalis extra Ecclesiam, Turca nimirum, qui non tam doctrinâ, quam apertis blasphemijs & persecutionibus Christo se opponit: sed Paulus loquitur de eo, qui est in Ecclesia, seu in templo Dei. Restat ergo alter Antichristus magnus, quam occidentalem vocant, de quo propriè hic sermo est. Non enim de quocunq; Adversario Christi agitur, sed qui in Ecclesia Dei sub nomine Christi, scil. Christianum se videri volens, extollitur contra Christum, ut Augustinus explicat lib. 2. cont. adversar. legis & prophetarum cap.* 22. *Per hunc magnum Christi adversarium seu Antichristum nullum alium intelligimus, quàm*

Papam

Papam Romanum: *in quo nos non errare, collatio vaticinij Paulini cum eventu, infallibili vaticiniorum interprete, omnium optimè monstrabit. Primum itaq; is, de quo Paulus agit, appellatur homo sceleratus & filius perditionis: id quod in neminem rectius, quam in Papam quadrat, cui nemo dicere ausit, Papa, quid facis, nec quisquam mortalium ipsum redarguere præsumat, quia cunctos ipse judicans, à nemine est judicandus, ut habetur in famoso illo cap.* Si Papa, dist. 48. *& cujus ordinis plerig;, ut* Abbas Panormitanus *fatetur, ita vivunt, ut facilè appareat, non credere illos restare post hanc vitam aliam, aut ullam resurrectionem mortuorum & judicium: quorum scelera etiam atrocissima excusanda censentur, sicut furta Hebræorum, homicidia Simsonis &c. & adulterium Iacob: de quibus in Iure canon.* dist. 41. c. Non nos, *scribitur, B.* Petrum perennē meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ ad posteros transmisisse, & si deficerent in aliquo bona adquisita per meritum, sufficere, quæ â loci prædecessore præstantur. *Vnde rectè colligitur, tantam esse sedis papalis sanctimoniam, ut quicunq; impius, perjurus, & sceleratus in ea consederit, ex illa in sessione confestim sanctimoniam hauriat. Hoc nimirum est, hominem sceleratum esse. Appellatur etiam filius perditionis. Nullibi verò præsentior est perditio, quam in Papatu perditur impietate fides, hypocrisi pietas, luxu corpus, fastu pecunia, apostasia denique à fide & pietate salus & anima. Et scriptores Itali, Petrarcha, Mantuanus, Sannazarius & alij complures nominant Romam papæ sedem, scelerum omnium officinam, Babylonem, Sodomam, scholam errorum, templum hæresewn, scortum perfrictæ frontis.*

*Papa homo sceleratus.*

*Filius perditionis.*

I pudor in villas: si non patiuntur easdem
Et villæ vomicas: Roma est jam tota lupanar,

Christi Adversarius.

*Inquit Mantuanus & Petrarcha in epistolis scribit, fabulam esse quidquid de Labyrinthis, quidquid de Averni limine, deq; tartareis Sylvis legitur? si Romano huic Tartaro admoveatur. Hinc exire jubentur Babylone, tanquam perditissimâ civitate, qui participes fieri nolunt delictorum ejus, nec de plagis ejus aliquid accipere* Apoc. 18. 4. *Appellatur denig; ἀντικείμενος. Nemo verò magis se opponit Christo, quam Papa, sive vitam sive doctrinam spectes. Christi humilitatem & mansuetudinem, φιλανθρωπίαν & pietatem erga quosvis nemo ignorat. Papæ verò fastus planè stupendus, & inhumanitas intolerabilis etiam erga summa Imperij capita passim est decantatissima, ipsig; à pijs & tam stupendæ tyrannidis impatientissimis non semel objecta. Hinc cum Christus in scriptura mitissimo agno & columbæ comparatur, Antichristus ferocissimo leoni, draconi & scorpioni confertur. Christus in disputationibus cum pharisæis & sadducæis ad scripturas provocat, tanquam unicum controversiarum fidei judicem* Matth. 22. *Papa cum suis scripturam solam in judicium non admittit. Christus scripturam commendat & omnibus scrutandam proponit* Joh. 5. *Papa scripturam contemnit, & lectionem ejus laicis interdicit. Christus frustra coli Deum mandatis hominum asserit* Matth. 15, 9. *Papatus verò totus electitijs cultibus refertus est, ubi Ecclesiasticæ leges habentur pro divinis, & obligantibus conscientiam, ideo traditiones Ecclesiæ Romanæ pari pietatis affectu ac reverentia suscipi, sicut ipsam scripturam jubentur* in Concil. Trident. sess. 4. decreto 1. *Christus credentibus in ipsum vitam promittit æternam* Joh. 3, & 6. *Papa fidei in negotio salutis addit opera hominum. Christus libertatem arbitrij in spiritualibus planè tollit,*

*cum ait: sine me nihil potestis facere* Joh. 15, 5. *Papa reliquit homini extra Christum vires applicandi se ad gratiam. Christus se solum redemtorem constituit, quando se torcular calcasse solum ait* Esa. 63, 3. *unde & Paulus ipsum solum agnoscit mediatorem inter Deum & homines* 1. Tim. 2, 2. *Papa verò tot redemtores ac mediatores facit, quot sunt Sancti, qui pro gloria Christi aliquid fuere passi. Christus certam requirit fiduciam à credentibus, & juramento promittit gratiam & exauditionem precum fidelibus* Matth. 9. Marc. 9. Joh. 16. *Papa verò dubitare jubet de gratiâ & certâ precum exauditione. Christus solus est sponsus & caput* Ecclesiæ Joh. 3, & Eph. 5. *Papa quoque se sponsum & caput Ecclesiæ nominat. Christus non auro & argento, verum prætioso suo sanguine nos redemit* 1. Pet. 1. *Papa remissionem peccatorum pro auro & argento venalem exponit &c. Christus in institutione cœnæ omnes ex calice bibere jubet: Papa verò in concilio Constantiensi, etiam hoc non obstante calicis usum laicis interdixit.*

*Nihil dicam, quod nonnulli Papæ fuerunt Ariani, Monotheletæ, Eutychiani, Donatistæ h. e. hujusmodi hæretici, qui doctrinæ Christi è diametro contradixerunt, nonnulli quoque planè pagani & idolorum gentilium cultores. Cui placet, videat antitheses de præclaris Christi & indignis Antichristi facinoribus, scriptas à Simone Rosario, quæ extant* tom. 2. centenar. Ioh. Wolfii fol. 711. & seqq. *ut & viri cujusdam fidelis declarationem de præstantiss. Christi & indignissimis Antichristi moribus apud eundē fol. 746. & seqq. & videbit qualis & quantus Christi ἀντικείμενος sit Papa Romanus.*

*Deinde*

*Deinde ingenium ejus, de quo Paulus, cum ingenio papæ exactè congruit. Nam extollitur supra omne id quod Deus est in medio Dei templo, ostentans se ut Deum. Principes populi in scriptura appellantur Dij*, Psal. 82, 6. *& quis nescit Papam super Imperatores, Reges atq; Principes se extulisse, imò eos pedibus suis subjecisse? Nam Papa, de se si creditur ipsi, superioritatem ad Imperium sine dubio habet, & vacante imperio Imperatori succedit, & Christus Rex regum plenitudinem potestatis Papæ in persona Petri concessit, ut Clemens V. in clement. Pastoralis de re judic. gloriatur. Diabolus in scriptura Deus hujus seculi appellatur* 2. Cor. 4, 4. *Sed & super hunc se extollit Papa, dum Diabolis præcipere audet Clemens VI. in sua Bulla Iubilæi, ne animabus eorum, qui Romam in Iubilæo se conferunt, quidquam noceant, referente B. Luthero super cap. 12. Daniel. In primis autem super verum illum Deum conditorem cœli & terræ sese effert Papa, dum super verbum Dei & contra Epistolas Apostolorum se statuere posse jactitat: ordinationes Dei evertit, conjugium à Deo institutum certo hominum ordini prohibet, magistratum & ministerium suis legibus subjicit: articulos fidei condit, quorum vestigia nulla sunt in sacris literis, quos tamen sub interminatione æternæ damnationis observari credique præcipit: quin & ipsius Dei ἀξίωμα affectat. Nam Papa canonicè electus est Deus in terris, dicitur c. inter corporalia, detest. prælat. & se à Constantino Imperatore Deum appellatum magnopere gloriatur* dist. 96. C. satis, *quod tanquam bonum factum prædicat Augustinus Steuchus Papæ Bibliothecarius in lib. de donat. Constantini pag.* 141. *edit. Lugdun. Anno* 1547. Audis, *inquit*, summum pontificem à Constantino Deum appellatum & habitum pro Deo? *Hoc videlicet factum est, cum illum præclaro illo edicto decoravit,*

*Adoravi*

*Adoravit uti Deum, uti Christi, & Dei successorem, divinos ei honores, quoad ejus potuit, contulit, velut vivam Christi imaginem veneratus est. Hic est fastus Papæ in medio templo Dei, h, e. Ecclesia, quam sponsam suam vocat* c. quoniam de immunitat. in 6. *cui illa tota parere debeat* dist. 93. *in qua ita se habet, ut Sol in Planetis, in quo numen quoddam est, quasi visibilem quendam Deum præ se ferens, ut Ludovico Gomesio placuit. Ita nimirum secundum descriptionis Antichristi membrum apud Paulum nostrum, in neminem rectius, quam in Papam Romanum congruit.*

*Tertiò revelationem ejus suo tempore adhuc impeditam scribit Apostolus: nam majestas Imperij Romani obstitit tyrannidi Papæ, cum nemo se submisit, quam diu timor illius fuit: interim in occulto res suas agebat, & jam tum Apostoli Pauli tempore mysterium iniquitatis operabatur: quia tunc Papisticorum dogmatum fundamenta ponebantur, per pseudoapostolos, in articulo de justificatione, de conjugio, jejunio & similibus, ut constat ex* Gal. 2. & 3. Phil. 3. Col. 2. 1. Cor. 7. *& sic paulatim Antichristi regnum propagatum est & post aliqua demum secula se in arce urbis Romæ & in sede pontificum Romanorum collocavit, cum terror imperij Romani nonnihil minueretur. Factum hoc est primum omnium circa secundum seculum Christi, ubi Victor per græcos à latinis dissentientes circa diem paschatis à communione rescidit: cui se opposuit Irenæus, teste Eusebio* lib. 5. cap. 24. *postea Stephan. 1. cunctis Ciliciæ, Cappadociæ & Galatiæ doctoribus excommunicationis fulmen minatus est. Zozimus, Bonifacius, Cœlestinus per falsatos Niceni concilij Canones primatum extorquere conati sunt, circa seculum quintum superioritatem inter omnes Episcopos invaserunt Papæ Romani, sed quia nondum imminuta erat Romani Imperij majestas, ideo subinde repressi sunt:*

& fuerunt duo humiles Episcopi Romæ Pelagius III. & Gregor. Magnus, qui nullum affectarunt dominium, eosque qui hoc facere voluerunt, reprehenderunt. Tandem post obitum Gregorij Magni circa annum Domini 606. Bonifacius III. œcumenici Episcopi titulum audacter usurpavit, adjutus à Phoca Cæsaricida, quem circa annum Christi 606. in imperio, quod per scelus adeptus erat, confirmavit & ab eo vicissim œcumenici Episcopi titulum obtinuit. Erat autem iste Bonifacius Antichristus adhuc infantulus, recens ex utero egressus, cujus membra nondum obdurverant ad pugnam, ut Imperatores & Principes sibi in obsequium cogeret: nondum enim tunc temporis habebant Papæ Romani plenitudinem potestatis in temporalibus. Nam usq; ad septimum seculum Christi, Imperatoribus obsequi cogebantur: & Benedictus II. fuit primus, qui absq; Imperatore creatus fuit Pontifex circa annum 684, privilegium hoc concedente ei constantino Pogonato. Qua, occasione utroq; gladio temporali & spirituali superbire ceperunt Pontifices, summaq; Imperij capita potestati suæ subjecerunt, quod circa tempora Imperat. Henrici IV. fieri cepit, & postea magno cum conatu continuatum fuit. Postquam vires Imperij magis magisq; imminutæ, & summa ejus capita superstitionibus illius seculi dementata, fasces suos coram hoc idolo submiserunt.

Egit autem Papa omnia in mysterio, quod quartum descriptionis membrum est, quia impostoris suis speciosum illud nomen pietatis & divinorum mysteriorum imposuit, licet mera figmenta essent cerebri humani. Ita sacrificium Missæ, vocabatur mysterium, cultus Sanctorum, πολυπραγμοσύνη in sacra cœna, prohibitio conjugij & certorum ciborum, quin & totius Papatus hierarchia pro mysterio venditabatur, & in occulto habebatur, arcanis etiam spirituum apparitionibus

inni-

*innitebatur, quæ omnia ad decipiendum simpliciores accommodata erant: unde fronte meretricis magnæ (qua regnum Antichristi notatur) nomen μυστήριον inscriptum legitur,* Apoc. 17, 5.

*Sed hoc non faciet impunè, (quod quintum est membrum) interficietur enim spiritu oris Christi, quod factum, quoties confessores veritatis, in medio Papatu decretis papalibus animosè & ad sanguinem usq; contradixerunt, quorum magnus reperitur numerus in catalogo testium veritatis, inprimis autem, quando Spiritus Christi induit B. Lutherum, qui magno zelo ante hos centum annos ἀντικείμενον illum aggressus est, & mysterium iniquitatis tam clarè revelavit, ut jam passim in orbe terrarũ sit agnitum: & quamvis quotidiè adhuc potentia regni Antichristiani à Spiritu Sancto per verbum Evangelij atteratur, formam tamen alicujus regni semper retinebit, donec tandem illustri adventu filij hominis ad judicium planè aboletur.*

*Deniq;, quod studia Papæ attinet, ea quoq; cum descriptione Pauli congruunt. Autorem habet Satanam, non tantum quia doctrina & mores Papæ Christo sunt adversa, ut supra ostendimus: verum etiam quia nonnulli Papæ operá Satanæ insedem illam pestilentiæ evecti sunt, & necromanticis artibus eam nobilitarunt, quod de Sylvestro II. testatur Iohan. Wierus lib. 6. de præstig. dæm. cap. 6. de Iohanne XIX. & Benedicto IX. Balæus, de Alexandro VI. & Gregorio VII. Petrus Asylus IC. in lib. de Tyrannide Antichristi Cap. 10. Autoritatem adquirit per miracula fictitia, quorum plenus est Papatus, quæ & inter notas Ecclesiæ suæ referunt, quorum tamen vanitas & dolus sæpe ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensus est.*

*Et tamen his artibus alliciunt plebeculam, quæ laxam mentem & aures prurientes habet, quæ veritatem in injustitia detinet, & tantò justiorem sibi damnationem accersit, quò clarius splenduit veritas cœlestis in istâ luce Evangelij: ideò Paulus noster istam hominum seductionem in regno Antichristi Deo tribuit, ingratitudinem erga verbum suum hoc, quamvis horribili modo, justè judicanti. Hæc est brevis collatio vaticinij Paulini cum eventu, Romanensium depravationes in quæstionibus paulò post videbimus.*

## PARAPHRASIS HVIVS PARTIS.

SUmmis autem precibus contendimus, carissimi, per eam, quam de ultimo Domini adventu spem habetis, & per eam, quæ tunc certò futura est, Sanctorum consortionem, nolite à vestra, quam à me didicistis, facilè recedere sententiâ, neque terrorem vobis incuti patiamini ab ijs, qui vel per arcanos, quos fingunt, afflatus vel per sophisticam verborum blandi loquentiam, vel per fictitiam aliquam epistolam sub meo, aut alterius cujusdã Apostolici viri nomine editam verbis persuadere satagunt, noviſſimum Domini diem jam instare. Oportet enim prius defectionem aliquam magnam à fide fieri & Antichristum, hominem illum sceleratum & perditum & Christi adversarium, manifestari. Is neque verum Deum, neque ullum qui officij ratione Deus appellatur, curabit, neque ullius hili faciet, quidquid ad cultum divinum adhibetur, sed Ecclesiam tanquam templum Dei occupabit, ibique ut terrestre quoddam numen

domi-

dominium sibi arrogabit. Ne verò putetis, me nova & inaudita scribere, recordemini, quæso, eorum, quæ coram vobiscum ea de re egerim: ubi etiam audivistis, quid ejus revelationem hactenus retardaverit. Nam etiam num iniquitatem in occulto operatur, sub specie pietatis ac mysterij, cum autem id quod ipsum detinet imminuetur, tunc pleno gradu incedet impius ille homo, qui nullis cohercebitur legibus, quem Dominus Jesus in glorioso adventu suo Spiritu virtutis suæ abolebit. Interim dominatur impius ille in mūdo per opera Satanæ per miracula & prodigia ad mendacium composita, quibus ad injustitiam seducentur homines perditi, idque ex justo Dei judicio, quia veritatem, quæ ipsis meritò cara esse debuisset, recipere noluerunt. Deus enim ut justus judex illos efficaces errores in ipsis permittet, ut omnes veritati monstratæ cedere & credere nolentes, sed impietati consentientes, justè puniantur.

## QÆSTIONES EX HAC PARTE CAPITIS.

### QVÆSTIO. I.

Cur Paulus scribit, aggregationem nostri ad Christum fieri in ultimo ejus adventu v. 1. cum scriptura alibi animas piorum cum Christo jungat, quamprimum corporibus solventur Luc. 23, 43. Philip. 1, 23?

*Respon.* Aggregatio nostri ad Christum quatuor modis fit: (1) in regeneratione quæ fit per sacramentum Baptismi, ubi Christum induimus Gal. 3, 27. eique complantamur in similitudinem mortis ejus Rom. 6, 5. & sic ad Christum aggregantur infantes etiam, qui in Baptismo demum fiunt Christiani, nomẽ adepti ab eo, cui sunt implantati, & agglutinati (2.) quotidianâ renovatione, quæ fit per verbum, & sacramentum cœnæ, ubi Christus per fidem habitat in cordibus nostris Eph. 3, 17. istamq; inhabitationem corporis ac sanguinis sui sigillo obsignat, & nos succi & sanguinis sui participes redditos cum Patre & Spiritu Sancto consociat, ac inter nos membra unius mystici corporis facit, quæ est Ecclesia, & hinc συναγωγὴ seu congregatio vel communio sanctorum appellatur, cujus genuini cives sunt omnes, qui Christo adhærent. His duobus modis multi ad Christum aggregantur, qui iterum resiliunt, & inimicis Christi se adsociant: ideo hi demum verè participes Christi facti dicuntur, qui initium substantiæ usq; ad finem vitæ firmum retinent Heb. 3, 14. (3.) Tertia aggregatio nostri ad Christum fit in morte hominis per resolutionem animæ à corpore: & hæc tantum est perseverantium in fide, quorum animæ post mortem sunt cum Christo Phil. 1, 23. in sinu Abrahæ Luc, 16, 23. in manu Dei Sap. 3, 1. in fasciculo viventium 1. Sam. 25, 29. in domo Patris Cœlestis Ioh. 14, 1. in terra viventium, his enim epithetis scriptura statum beatarum animarum describit. Sed hæc animarum tantum est aggregatio (4.) Quarta ergo sequetur in resurrectione mortuorum, seu in ultimo adventu Domini, & fiet per ministerium angelorum, de qua Paulus hîc agit, quia ea est omnium perfectissima & jucundissima, ubi fiet congregatio electorum omnium à quatuor ventis, à summis cœlorum usq; ad terminos ejus, Matth. 24, 31. & perpetua eorum, quà corpus quà

animam,

*animam, conjunctio cum Christo. Erunt enim tunc cum Domino semper* 1. Thessal. 4, 14. *& Ecclesiæ ex angelis ac hominibus collectæ jucunda congregatio sub uno capite Christo, ideo & angelorum & seniorũ cantica audiuntur, circa thronũ agni* Apocal. 5, 12. *Hæc est illa ter exoptata συναγωγή, qua cum nihil jucundius sciat esse Paulus, per hanc solum obtestatur suos, tanquam rem, citra omne dubium, longè pretiosissimam.*

## QVÆSTIO II.

Quî fit, quod Paulus negat, ultimum instare diem, cum tamen reliqui Apostoli contrarium disertè affirment, quando nos in fines seculorum incidisse, ultimum tempus, & novissimam horam adesse, finem omnium imminere, adventum Domini appropinquare scribunt 1. Cor. 10, 11. 1. Ioh. 2, 18. 1. Pet. 4, 7. Iacob. 5, 8?

*Resp. Duorum generum phrases hic sunt explicandæ (1) Finem seculorum incidisse, & ultimum tempus, seu novissimã horam adesse: & (2) finem omnium imminere, & adventum Domini appropinquare. Finis seculorum & ultimũ tempus, seu novissima hora in istis dictis non de quantitate temporis, sed de statu & cõditione mundi intelligi debet: ita enim usurpantur dies novissimi apud Prophetas de tempore N. T.* Esa 2, 1. Jer. 48, 47 Mich. 4, 1. Joel. 2, 28. *quod tempus ab Augustino vocatur sexta mundi ætas lib. octog. trium quæst. quæst. 58. & de catechis. rudib. cap. 22. & vocatur novissimum, quia tunc Ecclesia novam reginimis formam accepit, quæ variatio-*

*ni*

*ni aut mutationi non erit obnoxia, sicut præcedentes ætates, ubi alia erat Ecclesiæ forma ab Adamo usq; ad diluvium; alia à diluvio usq; ad Abrahamum; alia ab Abrahamo usq; ad Mosen &c. is vero Ecclesiæ status à Christo ad finem seculi uniformis erit, quia tunc non πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, ut antiquis temporibus factum, sed per filium suum Deus loquutus est* Heb. 1, 1.

[*Augustin. sex ætates mundi numerat. 1. ab Adam usq; ad Noe. 2. à Noe ad Abrah. 3. ab Abrah. ad David. 4. à David ad transmigrationem Babylon. 5. à transmigr. Babyl. usq; ad adventum Domini 6. ab illo adventu usq; ad finem seculi.*]

*Eodem sensu fines seculi vocantur tempora Novi Testamenti, quæ quanquam jam plusquam sedecim constent seculis, jam tamen tempore Pauli erant fines seculorum, in comparatione præteritorum temporum. Quamdiu enim duratura sint ista secula, nemo hominum novit, Deus id suæ reservavit potestati Act. 1. tam longa verò non erat duratio eorum, quam seculorum V. T. à condito mundo usq; ad Christum, quia abbreviandi fuerunt dies: aliquot tamen seculis tempus illud durare debebat, ut plenitudo gentium ingrederetur. Cum ergo secula N. T. ejus durationis non sint, cujus illa priora, & cum incertum sit, quando finientur, ideo finis eorum semper imminere dicitur. Unde colligimus, phrases hasce non esse contra Paulum nostrum, qui diem novissimum instare negat, propter nondum revelatum Antichristum, & tamen erant tunc fines seculi & novissima tempora, quia N. T. tempora. Deinde finis omnium imminere, & adventus Domini appropinquare dicitur partim respectu nostri, quia tam diuturna N. T. tempora non habemus, quam olim V. T. fuerunt, partim re-*

*spectu*

*spectu Dei, apud quem mille anni sunt instar unius diei Psal. 90, 4. 2. Pet. 3, 8. quiq; nos singulos dies vult habere pro novissimis.*

## QVÆSTIO III.

Cur seductores vocantur, qui dicunt instare novissimum diem v. 3. quorum sermonibus non esse fidendum scribit Apostolus; cum tamen utile sit hujus diei sæpe meminisse?

*Resp. Loquitur Apostolus de suo seculo, quod primus quasi quadrans erat novissimæ illius horæ, qua tempus Novi Testamenti circumscribitur: & tunc ultimi adventus Christi meminisse non prohibet, sed quod jam tum præforibus sit, credi noluit. Nam si in ista opinione relicti fuissent, nunquã de periculosissimo Ecclesiæ statu, quem tempore Antichristi habitura est, cogitassent, sed felicitatem æternam se jam in manibus habere, opinati fuissent, & sic necessariâ parte doctrinæ Christianæ caruissent, in precibus quoq; segniores facti essent, quæ consideratione tristissimæ illius defectionis à fide, quæ Antichristi tempore futura erat, magnoperè accenduntur. Præterea occasionem inde accepissent homines ἀτακτους genio suo indulgendi, bona sua dilapidandi & in otio vivendi, quorum aliqui jam tum reperiebantur apud Thessalonicenses, quos cap. 3. compescuit, cum propter illos Ecclesia & infamiam & dispendium suarum facultatum pati cogeretur. His ergo de causis monet, ne opinione jam imminentis novissimi adventus Domini seduci sese patiantur. aliàs sanè, cum dies ille nobis sit incognitus, & pium est & utile, illius sæpe meminisse,*

*juxta præceptum Siracidæ: memento novissima, & nunquam peccabis* Sir. 7, 40. *Et hoc nostro tempore, cum & Antichristus revelatus, & Evangelium in universo orbe prædicatum, & signa novissimi diei à Christo prædicta plus satis apparent, dubitare amplius non licet, quin propè sit dies ille Domini, de quo jam tum suo tempore Cyprianus scripsit:* Scire debetis, & pro certo credere & tenere, pressuræ diem super caput esse cæpisse, & occasum seculi & Antichristi tempus appropinquasse, ut parati omnes ad prælium stemus. Nec putemus, talia esse, quæ veniunt, qualia fuerint illa, quæ prætergrediuntur lib. 4. *epist.* 6. & *lib.* 3. *epist.* 1. *Malè ergo levitatis notam vocat Petrus Thyræus in lib. de gloriosa filij Dei apparitione cap.* 19. § 11. *si dicatur, tempus ultimi adventus Domini jam instare, quod sine dubio inde factum, quod Romanenses Antichristum trib9 annis cum dimidio ante novissimum illum diem venturum expectant, quem cum nondum viderint, procul se adhuc abesse putant à fine mundi. Sed ò beatos, qui quemlibet diem pro novissimo habent, siquidem jam impleta sunt omnia, quæ diē illum præcessura prædicebantur, & res ipsa docet, lapsum ruinamque mundi brevi scquuturam.*

## QVÆSTIO IV.

Cum Paulus doceat, suo quidem tempore nondum instare novissimum diem, innuit tamen fore hujusmodi diem, quo venturus erit Dominus v. 2. ideo haud absre quæritur, quid statuendum sit de Fine mundi, in quem adventus ille Domini incidit?

*Resp.* De hac quæstione non una semper fuit opinio. (1.) Extra Ecclesiam sunt primùm Athei & Epicuræi, qui fortuitam rerum omnium vicissitudinem, nullumq; mundi interitum credunt, cujus farinæ est versiculus ille Martialis: Summum nec metuas diem, nec optes. Huic opinioni nihil aliud opponimus, quàm quæ scriptura de periculis novissimorum temporum meminit, 2. Tim. 3, 1. 2. Pet. 3, 3. & passim de adventu Christi ad judicium, & quod Diabolum modicum tempus habere asserit Apoc. 12, 12. quæ omnia mundum aliquando interiturum docent. (2.) Aristoteles lib. 8. Phys. mundo immortalitatem quandam tribuit, non ex Epicuræa quadam securitate, sed, ut videbatur, certâ ratione ductus, quia nimirum Deus eum ita ex necessitate naturæ suæ condiderit, ut opus, quod ipse fecit retexere & dissolvere nullo modo possit. Alia duodecim argumenta pro hac sententia ex varijs locis Aristotelis collecta recenset & refutat Pererius lib. 15. de communibus rerum omniũ princip. & affection. cap. 2. Non tamen desunt, qui existimant, Aristotelem de æternitate mundi non apodictice sed topicè disputasse, præsertim quia lib. 1. Top. cap 9. inter problemata dialectica, de quibus rationes certas non habemus, refert illud: utrum mundus sit æternus: quo pacto Aristotelem excusat Thomas part. 1. quæst. 46. art. 1. cui respondet Pererius lib. 15. in præfat. pag. mihi 766. Aristotelis opinionem de æternitate mundi confirmavit Proclus argumentis viginti, quæ recenset & refutat Pererius lib. 15. cap. 4. Averroes eandem opinionem defendit; argumenta ejus duodecim recitantur & refelluntur à Pererio lib. 15. cap. 6. Autor libri de incorruptibilitate mundi, qui vulgò Philo Iudæus censetur, multis argumẽtis etiã probat, mundum nunquam interiturum, nec ab eo statu, quem

nunc habet, vel in deteriorem, vel in meliorem aliquando esse commutandum. Verum enim verò, æternitas illa mundi ipsius Aristotelis principijs repugnat. Nam virtus infinita nequit persistere in finito tempore, ait 8. Phys. cap. 10. tex. 78. & omne æternum esse necessarium, quia caret potentiâ contradictionis ad esse & non esse, docetur in 9. Metaph. tex. 17. mundus verò non est necessarius, aliàs repugnaret omnipotentiæ Dei, & dependentiæ, quam omnis creatura perpetuo habet à Deo in esse: & ex scriptura constat, mundum à Deo liberè fuisse conditum: ergo non est æternus. Et quid tam absurdum est, inquit Ambros. l. b. 1. Hexaem. quam ut æternitas operis æternitati jungatur autoris? (3.) Plato in Timæo, mundum naturâ quidem suâ caducum & dissolubilem esse credidit, eundem tamen Dei voluntate liberum à corruptione statuit. Narrat enim exacto tempore defecturum genus terrenum, mundumq; insolitis motibus agitatum & concussum iri cum ingenti animantium omnium pernicie ac clade, post aliquantum deinde temporis conquieturum opera principis Dei, qui ne concidat intereatq; mundus, gubernacula ejus recipiet, addetque illi sempiternum inventam immortalitatem. Hinc Proclus quidem platoni adfinxit æternitatem mundi: rectius autem referuntur ista verba ad restaurationem mundi, quæ fiet in die restitutionis omnium, cum Deus novum cœlum & novam terram creabit, ut scriptura loquitur: quam propriam scripturæ doctrinam Platonem ex scriptis Mosaicis accepisse arbitratur Euseb. lib. Vndecimo præparat. Evangelicæ. (4.) Relictis autem ijs, qui mundi interitum vel apertè negarunt, vel negare saltem visi sunt, supersunt alij, qui mundi durationem ad annos nimis multos extenderunt. Ægyptij novitatem aliarum gentium fastidientes, ut sibi potissimam antiquitatis opinionem conciliarent, non dubitarunt annorum

anti

*antiquitatem comminiſci, ut videre eſt apud Herodotum lib. 2. ubi à Dionyſio Græcorum deaſtro ad Amaſim regem Ægypti 15000. annorum numerarunt: & refert Plinius* lib. 35. nat. hiſt. cap. *13. Ægyptios gloriari ſolitos, artem pingendi ſex millibus annorum floruiſſe in Ægypto priusquam ea transiret in Græciam.*

[*Finxerunt Ægyptij ex quo tempore ipſi fuerunt, ſidera quater ſuos variaſſe curſus, & ſolem hic occidiſſe ubi nunc oritur. Sic Chaldæi mentiuntur, ſe habere notitiam ſyderum non minus quam ſeptuaginta & quadringentorum mille annorum obſervationibus comprobatam.*]

*Auguſtinus quoq;* lib. 12. de civ. Dei cap. 10. *epiſtolæ Alexandro Magno ad Olympiadem matrem ſuam ſcriptæ meminit, quæ ex relatione AEgyptij cujusdam ſacerdotis ſcripſit, imperium Aſſyriorum quinq; milia annorum exceſsiſſe, Perſarum verò per octo milia continuari, id quod falſiſſimum eſſe hiſtorica monumenta teſtantur. Diogenes Laertius Nili AEgyptij filium Vulcanum fuiſſe ſcribit: ab eo ad Alexandrum Macedonem interceſsiſſe annorum quadraginta octo milia octingentos ſexaginta tres. Pomponius Mela AEgyptios 330. reges ante Amaſim & ſupra tredecim millium annorum ætates certis annalibus numerare fabulatur. Plura & planè portentoſa mendacia AEgyptiorum, ex quibus ſtupenda planè duratio mundi colligeretur, vide apud Ludovicum Vivem in Notis ad cap. 10. lib. 12. de civ. Dei D. Auguſtini. Neq; verò hæc excuſari poſſunt, opinione illa, quaſi AEgyptij brevioribus annis, quam noſtrates ſunt, menſtruis nempe, aut bimeſtribus, uſi ſint, ut opinatur Cenſorinus de Natali die cap. 19. Nam mox à primis mundi originibus annus ex collatione motus ſolaris & Lunaris conflatus fuit, quod inter*

cætera ex anno, quo duravit diluvium, colligitur: is enim 12. mensibus completis & 10. insuper diebus constat, quod ex Gen. 7, 24. & 8, 34. colligitur, & Dn. Gesnerus disp. 8. in Gen. quæst. 1. thes. 18. seqq. ut & Ioseph. Scaliger de emendat. temp. fol. 151. declarat. Singuli vero menses constant triginta diebus, quæ non est Lunarium, sed solarium annorum Periodus.

[Initium diluvij est d. 17. mensis secundi. Ab eo die usq; ad undarum decrementum ponuntur dies 150. Gen. 7, 24. Hi dies à 17. mensis secundi numerati finiuntur d. 17. mensis septimi Gen. 8, 4. Inter diem 17. mensis secundi & diem 17. mensis septimi, sunt menses quinq;, quos Moses in dies 150. partitur. Hi dies si in partes æquales dividantur, faciunt quinq; Menses. Vnde sequitur, Mosen singulis mensibus tribuisse 30. dies.]

In specie vero AEgyptios anno solari usos fuisse, argumentum est, quod Plutarchus primi, quarti, & octavi mensium AEgyptiorum meminit in Romulo: Plinius lib. 6. natur. hist. cap. 23. meminit mensis Tybi & Mecheiri, qui menses AEgyptij sunt & nostro Decembri & Ianuario respondent, & duodecim menses AEgyptiorum, quorum singuli triginta diebus constant, & annum Solarem constituunt, numerat & cum nostris mensibus confert Ioh. Baptista Pius, ex quo ista latius diduxit Iohan. Lalamantius de anni ratione pag. 32. seqq. Non ergo possumus excusare AEgyptios: nimis enim manifestum est, quod durationem mundi ultra omnem fidem protraxerunt. (5.) Alij gentiles certam mundi durationem statuere noluerunt, de eo tamen non dubij, quod mundus finem habiturus sit, in eo tantum à sacris discrepantes literis, quod interitum istum ad naturales quasdam causas referre conati sunt. Allegata sunt eorum testimonia à Theodoreto, Lactantio, Clemente

*mente Alexandrino, Augustino præsertim Pythagoreorum, Philosophorum, qui universum orbem tandem incendio conflagraturum docuerunt. Noti aliàs sunt versiculi Ovidij lib. 1. Metamorph.*

Esse quoq; in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

*Et Lucani lib. 1. Pharsaliæ:* - Sic cum compage solutâ
Secula tot mundi suprema coëgerit hora,
Antiquum repetens iterū chaos, omnia mixtis
Sidera sideribus concurrunt ignea pontum
Astra petent, tellus extendere littora nolet,
Excutietq; fretum fratri contraria Phœbe,
Ibit & obliquum bigas agitare per orbem
indignata, diem poscet sibi totaque discors
Machina divulsi turbabit fœdera mundi.

*Habuerunt hæc gentiles, partim ex dictamine conscientiæ, de judicio quodam futuro, etiam de interioribus hominum cogitationibus, quod restitutionem omnium & immutationem huius universi præcedere necessum est: partim ex vicinis Ecclesijs, in quibus hæc doctrina publicè sonuit, & ad vicinas gentes facilè transplantari potuit: partim etiam ex Sybillinis versibus, in quibus multa de interitu mundi, ultimoq; judicio leguntur. Et hæ fuerunt diversæ opiniones de fine mundi extra Ecclesiam.*

*In Ecclesia certior est hujus rei notitia, si ductum scripturæ sequi volumus, quæ clarè testatur, cœlos interituros* Ps. *102. mundum, periturum igni, etiamsi illusores nonnulli*

*propter*

*propter dilationem hujus rei fidem non habeant* 2.Pet. 3, 4. seqq. *quæ describit etiam adventum Domini novissimum & conjungit cũ judicio extremo* Dan.7,13.Eccles.12,14.Matth. 24. & 25. 1. Thessal. 4,16. & *in nostro textu. Iudas quoque citat in suaEpistola hac de re vaticinum Enochi septimi ab Adam v.14. & 15. Et hæc ex scriptura certa sunt. Quæ verò de tempore hujus interitus disputantur, incerta. Signum hujus interitus dicit Apostolus noster fore Antichristi revelationem, hinc nonnulli, nimis citò mundi finem sibi sunt imaginati. Refert Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, Iudam quendam Syrum in commentarijs suis super Danielem posuisse Antichristi adventum circa sua tempora, h.e. anno Christi 200. idq; ideo, quia magnitudo persequutionum præsentem mundi minabatur occasum, quemadmodum Hieronymus errorem illum excusat. Lactantius ab ætate sua usq; ad orbis interitum ducentorum annorum spatium definivit,* lib.7. instit. cap. 25. *Chrysostomus existimat, elementorum & cælorum corpora ob lapsum hominis facta corruptioni senectuti & interitui obnoxia, & rursum propter hominem in ejus resurrectione incorruptionem & immortalitatem receptura; quæ ejus sententia extat homil.14. in epistolam ad Romanos & homil.10. ad Pop. Antiochi. Sed non necesse est, ut eò confugiamus: nam qui negant simplicia corpora corruptioni esse obnoxia, hujus rei causas dant naturales: qui verò aliter sentiunt, ad experientiam nos remittunt, quæ testatur, intra ipsas sphæras cælestes observatas generationes & corruptiones, adeoq; corpora & simplicia à Deo creata, in se & causis suis esse corruptibilia, unde ijs qui cælum ex quinta quadam essentia conflatum ajebant, Ambrosius lib. 1. Hexaem. cap. 6. Opposuit scripturæ dicta, quæ cælum periturum & præteriturum testantur* Psal.102,26. Luc. 21,33. *unde illud naturâ suâ*

*corrupti-*

corruptibile & caducũ probat. Vide plura apud Sixtum Senensem lib. 6. Biblioth. sanctæ annot. 245. & 340. Staliger etiam sect. 5. exerc. 61. cont. Cardanum scribit: cœlum etiamsi non habeat materiam, tamen esse corruptibile: quia omne ens ab alio est per se corruptibile, est enim finitum: cœlum autem non est à seipso, sed à Deo: ergo licet esset absq; materia, corrumperetur tamen, non quidem à contrario naturali, hoc enim non necesse foret, sed à nutu divino, à quo dependet. Cæterum celebratissima est tam apud Iudæos, quam apud Christianos traditio domus Eliæ de sex millibus annorum duraturi mundi. Duo millia, ait, inanitatis, duo millia Legis, duo millia dierum Messiæ. Referunt eam nonnulli ad Prophetam Eliam Thesbitem, qui tempore Achabi regis floruit circa annum mundi 3040. ante natum Christum annis circiter 923. quo nomine Picus Mirandula lib. 7. Heptapli, & Galatin. lib. 4. de arcanis cap. 20. traditionem illam urgent contra Iudæos, dum & ipsi Thalmudistæ fatentur in voluminibus Thalmudicis, referente Galatino, præterijsse tempus ab Elia prædictum, de adventu Messiæ, sed eum nondum venisse, idq; suis imputant peccatis. Alij ad alium quendam Eliam Iudæum traditionem referunt, qui ducentis forte annis ante natum Christum vixerit, de quo videatur Paulus VVeidnerus in locis fidei lib. 3. Plerique Patrum eam tanquam à præclustri prophetæ profectam, & quasi cœlo delapsam, retinuerunt, inter quos est Irenæus lib. 5. adverſ. hær. cap. 23. ubi à creatione mundi ad ejusdem durationem concludit, & quia sex diebus mundum esse absolutum legimus, dies verò in conspectu Dei sit tanquam mille anni, ut scriptum est 2. Pet. 3, 8. verisimile existimat, eundem sex annorum millibus duraturum, & post æterni sabbati quietem esse insecuturam. Eodem argumento utitur etiam Augustin. lib. 20. de civ. Dei cap. 7. & Iustinus Mar-

Iuxta Funccij & Ostandri χρονολογίαν.

*tyr* quæst. 71. *Lactant.* lib. 7. cap. 7. *Hilarius* Can. 17. in Matth. *Omnes verò ratiocinationes hujusmodi, non ut divina oracula, sed ut rationes humani ingenij recipimus, illamq; ipsam domus Eliæ traditionem non verba prophetica, sed traditionem, cui refragari facile sit, statuimus. Nam Ambros. lib. 7. in Lucam, explicans illud Matthæi: post sex dies transfiguratus est, scribit, se non recipere talem mundanæ ætatis periodum, quia temporibus suis plusquam sex annorum millia jam computarentur: ubi quamvis & ipse calculo deceptus fuerit, Ambrosij enim tempore nondũ præterierant anni 4400, ut Sixtus Senens. supputat. lib. 5. Bibl. Sanctæ annot. 190. fol. 395. apparet tamen, se traditioni isti Elianæ nihil fidere. Et Augustin. in enarration. Psal. 90. super illa Psalmi verba: mille anni sicut dies hesterna, ita commentatur:* Ausi sunt homines præsumere scientiam temporum, quod scire cupientibus discipulis Dominus ait: Non est vestrorũ scire tempora, quæ Pater posuit in potestate sua, & definierunt hoc seculum sex annorum millibus, tanquam sex diebus posse finiri: nec attenderunt quod dictum est: tanquam dies unus qui præterijt, non enim quando hoc dictum est, soli mille anni præterierunt: & quod eos maximè debuit admonere, ne temporum luderentur incerto, illud est, Sicut VIGILIA IN NOCTE: neque enim sicut de sex diebus aliquid verisimile videntur opinati, propter sex dies primos, quibus Deus perfecit opera sua: sic etiam sex vigilias, id est, horas decem & octo possunt illi opinationi coaptare. *Cum ergo de varijs hominum opinionibus in & extra Ecclesiam satis audiverimus, concludimus jam quæstionem hanc de fine mundi (1.) Mundum certò interiturum: id enim scripturæ dicta supra laudata, & Paulus noster,*

*cum*

*cum de revelatione Antichristi ante finem mundi agit, satis apertè docent (2.) Mundum hunc senescere, & ad finem jam imminentem properare, idq; ex decremento rerum omnium facile deprehendi, cum elementorum, plantarum & animalium vires imminutæ ac debilitatæ sint, & minora præsertim, ac debiliora nunc sint hominum corpora, quam olim fuerint, ut Cyprianus adversf. Demetrianum scripsit. (3.) Deum quidem certos mundi annos in numerato habere, nostrum verò non esse, eos ad certum annorum numerum, sive sex millium, sive plurium, sive pauciorum determinare: quia Christus simpliciter dicit, nostrum non esse scire tempora & momenta, quæ pater suæ reservavit potestati* Act. 1, 17. *qua de re plura in cap. 5. prioris ad Thessal. egimus. Vide Augustini epist. 78. & 80. ad Hessch. ubi hac de re prolixè agit.*

## QVÆSTIO. V.

Cum Apostasia ultimum Christi adventum præcessura sit, quæritur, num Apostasia semper notet defectionem à totâ fide Christianâ?

*Resp. Distinguit Thomas sec. secundæ quæst. 12. art. 1. resp. art. 1. inter apostasiam triplicem. Una est apostasia religionis seu ordinis, cum quis retrocedit à religione, quam professus est, vel ab ordine, quem suscepit. Altera est Apostasia obedientiæ, cum mens repugnat divinis mandatis. Tertia est apostasia fidei, per quam quis discedit à fide. Et secundum hunc postremum modum apostasiam simpliciter dictam ad infidelitatem pertinere ait,*

*Hunc doctorem suum sequuntur Pontificij, sed diversimodè. Aliqui apostasian vocant peccatum infidelitatis, seu impietatis, specie distinctum ab hæresi, in qua sententia est Sylvester, verbo Hæresis quæst. 11. Turrecremata in summa lib. 4. part. 2. cap. 13. Melchior Canus lib. 12. de loc. Theolog. cap. 9. &c. Alij dicunt, apostasian non esse peccatum ab hæresi distinctum specie, sed esse duntaxat circumstantiam augentem deformitatem & turpitudinem criminis, nam ab hæretico solum distingui Apostatam, quod Apostata ex toto recedit à fide catholica, hæreticus ex parte: in qua sententia est Alphons. de castro lib. de justa hæret. punit. cap. 17. Cajetan. in 2. secundæ quæst. 10. art. 15. & quæst. 11. art. 1. Azorius tom. 1. lib. 8. institut. moral. cap. 21. fol. 691. Iodocus Lorichius in thesauro novo utrusq; Theol. voce Apostasia. fol. 275. Cum Pontificijs conspirant alij nonnulli, qui Apostatam simpliciter eundem putant ac infidelem seu paganum, ac proinde eos, qui ab Ecclesijs nostris egressi sunt ad Calvinianos vel pontificios, apostatas rectè vocari negant. Sciendum autem, ἀποστάτην esse vocem generalem apud græcos, & significare eum, qui recedit à priori vitæ instituto, quod tuendum publica & solenni professione susceperat: unde latinis est idem qui desertor aut transfuga, qui à principe seu duce suo, qualiscunq; ille sit, fugit ad hostes. Sic Apostata dicitur, qui à Christianis ad Turcas vel Iudæos fugit, totamq; fidem Christianam negat, quam antea professus fuit, & hoc est apostatare à Deo, quod scriptura prolongè maximo peccato habet, quo sensu Iulianus Imperator Apostata dicitur in histor. Ecclesiastica, & Iudas olim Christi Apostolus, apud Sedulium lib. 4. operum paschal.*

Tunc vir Apostolicus, nunc vilis apostata factus.

*Sic & Apostatæ dicuntur, qui non omnem doctrinam de Deo abnegant, sed partem ejus aliquam, quam prius ut veram*

docue-

*docuerunt, & confessi sunt publicè, cætera satis sani: ita discipuli dicebant, audivisse se, Paulum ἀποστασίαν à Mose docere, eò quod prohiberet circumcisionem* Act. 21, 21. *non ignari, quod in reliquis secundum legem Mosis viveret ac doceret. Eodem modo apostatæ vocantur, qui articulum aliquem fidei Christianæ abnegant, quem antea professi sunt, sive metu, sive avaritiâ, sive ignorantia, sive aliis modis se ducti. Quo sensu Paulus in nostro textu ἀποστασίαν præcessuram scribit ultimum Domini adventum, quæ certè ab infidelitate distincta erat, non enim loquitur de defectione Christianorum ad paganos extra Ecclesiam, sed ad Antichristum, quem in medio templo Dei sessurum scribit v. 4. Et in* 1. Tim. 4, 1. *dicitur ἀποστήσονταί τινες πίστεως, non sane prorsus infideles, sed qui prohibent nuptias, & esum carnium, per hypocrisin, singularis sanctitatis specie, quod infidelium nemo fecit. Hinc Tertullianus opponit Apostaticum & Apostolicum lib. 4. cont. Marcion. cap. 5. unde colligitur, eum qui discedit à fide Apostolica esse Apostatam, licet non fidem omnem abnegaverit, sicut Marcion vocatur à Tertulliano apostata & hæreticus, qui tamen non erat infidelis seu paganus. Ita enim de eo Tertull. lib. 1. cont. Marcion. cap. 1.* Non negabunt discipuli ejus, primam illi fidem nobiscum fuisse, ipsius literis testibus, ut hinc jam destinari possit hæreticus, qui deserto, quod prius fuerat, id sibi postea elegerit, quod retrò non erat. In tantùm enim hæresis deputabitur, quod postea inducitur, in quantum veritas habebitur, quod retrò & à primordio traditum est. *Hæc ille. Relinquitur ergo, quòd & hæretici dici possint apostatæ, adeoq; omnes ij, qui ab agnita veritate in uno vel pluribus articulis fidei scientes volentesq; defecerunt.*

## QVÆSTIO VI.

De quanam apostasiâ loquitur Paulus Apostolus, cum scribit, nisi venerit apostasia seu defectio &c. v. 3?

*Resp. Augustinus lib. 20. de Civ. Dei cap. 19. verba Apostoli sic vertit:* nisi venerit refuga primum: *& addit;* refugam vocat utiq; à Domino Deo. *Intelligit ergo ipsum Antichristũ; quanquam nulli codices habeant* ἀποστάτην, *sed omnes* ἀποστασίαν. *Chrysostomus etiam & Theophilactus, ut & scholia græca per apostasian intelligunt ipsum Antichristum, cum is revera sit, qui multos faciat deficere, etiam electos, fieri si possit, quemadmodum homo extremè sceleratus, qui & alios sceleratos facit, scelus & flagitium appellatur, per metonymiam adjuncti. Sic Bellarminus lib. 3. de R. P. cap. 2. Antichristum ipsum abstracta voce apostasiam nominari scribit, propter excellentem illam defectionem, quam sub regno Antichristi futuram prædixit Paulus. Alij substantivè quidem intelligunt defectionem seu secessionem, sed non Christianorum à fide, verum gentium ab Imperio Romano. Ita scribit Ambrsius super hunc textum:* non veniet Dominus, priusquam regni Romani defectio fiat, *& Hieronym. tom. 3. quæst. 11. ad Algasiam:* Apostasia, *inquit,* ut omnes gentes, qui Romano imperio subjacent, recedant ab eis. *Hoc impletum putant aliqui, cum multi populi à Romano imperio discesserunt, proprijsq; regnis constitutis, illud mirum in modum conquassarunt, ut à Gothis, Vandalis, Longobardis, Francis & alijs factum. Tertullianus de Resurrect. carnis Cap. 24. apostasian illam de decem regum à Romano Imperio absessione intelligit:* Romani status abscessio, *ait,* in decem reges dispersa Anrichristum superducet, & tunc revelabitur iniquus &c. *Et testatur Ludovicus*

*Vives*

*Vives super 19. cap. lib. 20. de C. D. Augustin. Lanctantium olim & Hieronymum scripsisse futuros circa finem seculorum decem reges, qui Romanũ imperiũ inter se dividant, & superventurum undecimum Antichristum. Sed ipse Vives leves conjecturulas vocat. Alij putant, referente Lyra, discessisse à R. Imperio omnia regna, quæ subjicere ei se noluerunt, tributũq; reddere negarunt. Etsi verò non negamus, illam Romani Imperij devastationem & populorum multorum ab eo defectionem, portas bipatentes aperuisse tyrannidi Antichristi, quod & Paulus noster infra innuit, cum scribit, fuisse aliquid, quod Antichristum detinuerit, quo remoto, revelatus fuerit: unde ex recentioribus nonnulli hanc Patrum opinionem amplectuntur: vix tamen monstrari potest exemplum N. T. ubi ἀποστασία de defectione à mundano imperio usurpetur, & quia defectio illa populorũ non semel facta, adeoq; satis nota, vix eã notabit Apostolus, quia illustrem aliquam & planè memorabilem indicat ἀποστασίαν, quam quasi digito notat, addito articulo: ἐαν μὴ ἔλθη ἡ ἀποστασία, nisi venerit illa defectio, insignis nimirum illa, quæ cum studijs Antichristi planè congruit. Intelligit ergo ἀποστασίαν à fide Catholica & Apostolica, seu religione Christianâ ad blasphemias & impietatem Antichristi, de qua etiã 1. Tim. 4, 1. seqq. 2. Tim, 3, v. 1. seqq. 2. Tim. 4, 3. 2. Pet. 2, 1. 2. agitur. Cũ ergo homines doctrinam Christi & Apostolorũ neglexerint, & pro ea hominũ somnia sub specie magnæ pietatis receperint, tunc jã dominabitur filius ille perditionis, & eliminato ferè omni Christianismo, potentia Antichristianismi sui Ecclesiæ obtrudet. Eodẽ modo locũ hunc interpretatur Lyra:* Salvo meliore judicio, *inquit*, mihi videtur melius intelligendũ de recessu à fide catholica; sicut exponunt aliqui: non tamen intelligendo, quod omnes sint à fide catholica, sicut exponunt aliqui, recessuri, quia durabit in aliquibus usque ad finem mundi:

Sed

Sed quia major pars credentiũ discedet ab ea, quia secundum dictum Salvatoris Matt. 24. appropinquante Antichristi tempore, abundabit iniquitas, & refrigescet caritas multorũ, & per consequens fides vera deficiet in multis, & tunc veniet Antichristus, facta dispositione ad receptionem ipsius. *Interpretationem Lyræ ex Pontificijs sequitur Christian. Adrychomius in Theatro terræ sanctæ fol. 285. a.*

## QVÆSTIO VII.

Estne Antichristus, de quo Paulus noster, unum quoddam & certum individuum, an integrum quoddam q. corpus?

*Resp.* Multi *Antichristum certum quoddam individuum, seu personam certam esse putant, qui tamen in describendo illo individuo variant.* (1.) *Basil. super Psal. 7. Diabolum intelligit apud Paulum perditionis filium nominari. Hippolytus quidam Origenis σύγχρονος, Antichristum non fore alium judicavit, quam Diabolum, sub specie humanæ naturæ:* Christus Dominus, *inquit*; ex immaculatâ virgine natus, in figura carnis humanæ hostem conculcavit, suæ divinitatis propriâ potentiâ. Ad eundem modum diabolus, ex impura muliere prodibit super terram: sed falso nascetur ex virgine: nam Christus veram carnem, & præter peccacum nostræ per omnia similem assumsit: diabolus carnem secundum visionem tantum & opinionem assumet, & phantastica carnis substantia organi vicę utetur: propterea edetur ex vir-

gine

gine, veluti Spiritus, qui quidem tum reliquis apparebit caro. *Sed hanc opinionem refutat Hieronymus in cap. 7. Daniel. & Damascenus lib 4. orthod. fid. cap. 28. & Apostolus noster expressè* hominem *vocat, cujus adventus sit futurus* secundum operationem Satanæ; *ergo à Satana distinctus erit & : Spiritu oris Christi interficietur; id quod in Diabolum itidem non cadit.* (2.) *Divus Hieronymus super caput 11. Daniel. & Augustinus lib. 20. de civ. Dei cap. 19. referunt, fuisse quosdam, qui non alium fore Antichristum putarunt, quam Neronem, qui in fine mundi venturus sit, & tyrannide sua Ecclesiam, quam sub exordio ejus persequutus fuerit, horribiliter devastaturus. Et hunc resurrecturum & futurum Antichristum suspicati sunt; alij verò nec occisum eum putant, sed subtractum potius, ut putaretur occisus : & occultari in vigore ejus ætatis, in qua fuit, cum crederetur extinctus, donec suo tempore reveletur & restituatur in regnum. Sulpitius Severus lib. 2. historiæ sacræ scribit, multorum opinione receptum, Neronem fore ipsum Antichristum & fortè persecutionem in Christianos à se primum inchoatam, postremum expleturum. Sed hæc opinio prorsus temeraria est, & contra Pauli nostri textum, qui Antichristi sedem vocat templum Dei, cum quo Neroni nihil fuit commercij, nec de resurrectione aut occultatione Neronis ullum vestigium apparet, & Sulpitius ipse sub finem dialogi secundi ex relatione D. Martini Neronem & Antichristum distinguit, illumq; ab isto sub finem seculi, interficiendum ait.* (3.) *Hieron. Zanchius lib. 2. Miscellan. pag. 79. non pugnare cum sacris literis scribit, dicere, sub finem seculi insignem quendam & omnium iniquitate excellentissimum, verum & perfectum Antichristum, qui etiam miracula edat, venturum esse : & in Resp. ad calumnias quasdam fol. 317. idem repetit, additq;, illos hallucinari, qui ita*

restringunt nomen Antichristi ad regnum & personam Papæ, ut extra illius regnum non sit regnum Antichristi: & extra ejus personam non sint & esse possint, idque in veris etiam Ecclesijs, Antichristi. Verùm quæ de homine sub finem seculi extremè scelerato, scribit, leves sunt conjecturulæ, de quibus nullum in scriptura vestigium: temerarium ergo est id asserere: quod autem plures sint Antichristi, extra Papæ regnum, nemo negat, omnes enim qui Christo verbis aut factis contradicunt & resistunt, Antichristi sunt, sed de his non agit Paulus noster, sed de Antichristo illo magno, quem ita describit in hoc textu, ut notæ istæ, non in quemvis Christi adversarium congruant. (4.) Inter eos, qui Paulum de certo quodam individuo, quem Antichristum nominet, loqui contendunt, familiã hodie ducunt Pontificij, quorum communis doctrina est, quod Antichristus Hebræus sit futurus, nascitur in Babylone de tribu Dan, diebus 1290. seu tribus annis cum dimidio ante adventum Christi ad judicium, & cum adoleverit, Iudæi per errorem pro Messia eum habebunt: aliqui dicunt Antichristum ipsum se Messiam esse, asserturum, fraudibus autem & dolis plenum pectus gerens, magicis etiam artibus à Satana ad miraculum instructus, homines ad se alliciet, regnum incoabit, illudque stabilire conabitur, etiam usq; ad Dei contemtum. Templum Hierosolymitanum inhabitabit annis tribus cum dimidio, legatos per orbem ad seducendos gentes mittet super quatuor angulos terræ, auferet juge sacrificium Missæ, concitatis Hebræis, Ægyptum invadet, qua occupatâ Æthiopiæ & Lybiæ regna subiget, tandemque Iudæam quoq; debellabit. Venient autem è terrestri paradiso Enoch & Elias Prophetæ, amicti saccis, prædicantes in Hierusalem contra Antichristum diebus 1260. id est, annis tribus cum dimidio, & miracula edentes, sed occidentur ab Antichristo,

tichristo & corpora ipsorum jacebunt insepulta in plateis per dies tres & dimidium: quarta die resuscitati à Deo, cunctis videntibus in nube adscendet in cœlum. Die 30. à morte Eliæ & Enochi Antichristus de monte oliveti conabitur adscendere in cœlum, sed Dominus Iesus per Michaelem Archangelum interficiet eum: post ejus interfectionem restabunt 45. dies ad novissimũ judicium, ut decepti ab eo pœnitere possint, & tunc reliquiæ Iudæorum (qui modò circumeuntes civitatem, famem patiuntur ut canes) in mundi vesperâ convertentur ad Christum, & efficientur filij Dei, & reliquiæ filiorum Israel salvæ fient &c. Hæ sunt pontificiorum fabulæ, quæ leguntur apud Bellarminum lib. 3. de P. R. à cap. 12. usq; ad finem libri, apud Benedictum Pererium lib. 14. in Danielem, apud Christian. Adrychomium, in Theatro terræ sanctæ fol. 285. apud Gasp. Schoppium in Syntagm. de Antichristo, & apud omnes, qui de Antichristo commentati sunt, fabulæ certè non multum vero similiores, (nisi fortè & in nonnullis palpabiliores,) ijs, quas Iudæi de suo nugantur Christo. Ad omnia verò hic respondere nimis prolixum foret: videant qui volunt, Diatriben meam de Antichristo cont. Gasp. Schoppium Apostatam, anno 1606, & 1615. editam, ubi singula harum fabellarum membra examinavi. Jam ea duntaxat, in quibus textui nostri Apostoli vim faciunt, videnda sunt: in quibus primum locum occupat, quod Paulum de singulari quadam personâ loqui contendunt, unde postea inferunt, hoc vaticinium ad totum regnum papale accomodari non posse. Ita enim scribit Bellarminus lib. 3. de R. P. cap. 2. veritas est, Antichristum fore unum singularem hominem: idque probatur ex omnibus scripturis & patribus, qui de Antichristo agunt. *Scripturarum loci præcipui tres sunt: Primum locum affert ex cap. 5. Iohannis.*

Ego veni in nomine patris mei,& non recepistis me, si alius venerit in nomine suo,illum recipietis.Alium sibi opponit, *ait,h.e.* personam personæ,non regnum regno,aut sectam sectæ. *Resp.* (1.) *Christus indefinitè loquitur de quibusvis hæreticis aut Pseudoprophetis, non in specie de Antichristo illo magno, ut nos intelligeremus, qui non in nomine Christi,sed in suo nomine veniant,sicut Matth.* 24,4. *videte ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo,dicentes,ego sum Christus:& sic Nonnus explicat in sua paraphrasi in Iohan:*

Εἰ δέ τις ἄλλος ἴκοιτο νόθος ψευδώνυμος ἀνὴρ
Ἀντίθεος (2.) *Christus opponit sibi alium non in persona sed officio,non hominem aut Deum alium, sed Christum alium: Christus enim officij nomen est,sicut Ioh.* 10. *se opponit mercenario,tanquam bonum illum pastorem,& tamen nemo ita delirat,ut existimet, unum tantum esse mercenarium. Secundus locus est Apostoli nostri,in quo urget Bellarminus articulũ,* ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας: ergo,*ait*,Apostolus loquitur de certa quadam & particulari personâ.Nã ut docet Epiphanius hær.9.articuli contrahunt significationem ad unam rem certam. *Resp.* 1. *Articuli in rebus fidei nihil certi probant: Sæpe enim ex communi tantum loquendi consuetudine adduntur. Exempla contraria sat multa dari possunt. e.g. notentur ista tantum* Matth.12,35. ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος. Luc.4,4. οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος. 2.Tim.3,17. ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος. *In quibus exemplis non certa & peculiaris persona,sed quilibet hominum intelligitur. Sic Matth.* 16,18. ὅτι σὺ εἶ Πέτρος καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, *quod dictum Bellarm. non de uno Petro,quatenus erat persona particularis,sed ut Pastor & caput Ecclesiæ,seu de omnibus Pon-*

*tificibus*

*tificibus Romanis vult intelligi. Ita enim scribit lib. 4. de Romano Pontif. c. 3.* Petra & fundamentum Ecclesiæ dicitur Petrus, ut summus rector Ecclesiæ, & proinde quilibet ejus successor similiter est petra & fundamentum Ecclesiæ (2.) *Regula Epiphanij loquitur de certo casu, quando nimirum subjectum est determinatum ac manifestum. Ita enim habent verba Epiphanij: ubi articulus additus est* in uno aliquo determinato ac manifestissimo, *omnino confirmatio propter articulum contingit: citra articulum verò de uno quocunq; tandem indefinitè accipiendum est, ut* βασιλὺς *est rex quicunq;:* ὁ βασιλεὺς *rex quidam certus & determinatus.* θεὸς *est quivis Deus gentilium;* ὁ θεὸς *Deus verus: sic* ἄνθρωπος *homo quicunq;,* ὁ ἄνθρωπος *ille homo. Ex hoc fundamento ad tertium Bellarm. locum respondetur, quem adducit ex* 1. Joh. 2, 18. ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται, καὶ νῦν ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασιν, *ubi antichristi multi sine articulo sunt omnes hæretici: sed* ὁ ἀντίχριστος *est ille magnus, ubi articulus determinat non personam certam, ut Bellarm. vult, sed munus certum, licet multa particularia individua in eodem munere Antichristiano sibi succedant: quemadmodum Cæsaris persona semper una est, pluribus tamen in eodem officio succedentibus nomen illud competit. Quod porrò objicit Bellarminus, quemadmodum Antiochus, qui typus fuit Antichristi, una fuit persona, ita & Antichristus; frivolum prorsus est: potest enim una persona plurium aliarum sibi succedentium typus esse, quemadmodum Pharao & Saul omnium regum impiorum. De Patribus duo affert pro sua sententia Bellarminus* (1.) docere eos in Antichristo habitaturum omnem plenitudinem diabolicæ malitiæ corporaliter, sicut in Christo omnis plenitudo Deitatis. *Nusquam autem hoc dicunt Patres, aliàs docerent, Antichristum*

incarnatum fore diabolum, sicut Christus est λόγος incarnatus, & si ita ullibi loquuntur Patres, nos certè, quia nulla ejus vestigia in scripturis apparent, subscribere eis non possumus. Bellarminus etiam hujusmodi opinionem reijcit ac refutat lib. 3. de R. P. cap. 12. (2.) Antichristum non regnaturum nisi annos tres cum dimidio, patres docere scribit, unde colligit, Antichristum unum tantum fore hominem. Id verò contra expressum textum Apostoli nostri est, qui scribit, jam tum suo tempore Antichristum egisse mysterium iniquitatis, & illustri denique adventu Domini interficiendum esse, quod sanè unius hominis non est, neque tempus illud ab ætate Pauli, usq; ad novissimum Domini adventum tam paucis annis respondet; & quod omnium maximum est, fieri non potest, ut tam multa & stupenda, quæ Antichristo suo tribuunt Romanenses, tot populorum debellationem, tot provinciarum & regnorum peragrationem, tot gentium seductionem, tam exiguo spacio expediantur, relictis insuper diebus 45. post mortem Antichristi ad conversionem seductorum. Quæ omnia ita comparata sunt, ut Pontificios fabularum suarum meritò vel tandem aliquando pœnitere debeat. Cum ergo tam infirma sint Adversariorum argumenta, restat, ut nostram de proposita quæstione sententiam exponamus. Arbitramur igitur, Paulum per hominem hunc sceleratum, filium perditionis & ἀντικείμενον Christi, non unam quandam particularem intelligere personam, quæ semel, & quidem brevi tempore extitura sit, sed quotquot in regno Antichristi unquam primam occuparunt sedem, h. e. omnes Papas Romanos, quotquot ordine in ista cathedra pestilentiæ successerunt. Et sic nomen illud & ἀνθρώπου filij perditionis Antichristi, apud Paulum nostrum nō particulare est, sed collectivum, quemadmodum Cæsaris nomen complectitur omnes, quicunq; unquam Imperio

præfue-

præfuerunt, Ratio prima est, quam paulò ante diximus, quod Paulus ait, eum jam suo tempore operatum mysterium iniquitatis, & sub novissimum Domini adventum demum interficiendum, quod in unum quendam particularem hominem non quadrat. Ait Bellarminus, Antichristum tempore Pauli operatum fuisse mysterium in suis præcursoribus, sicut Christus venire cæpit ab origine mundi in Patriarchis & Prophetis. Sed ut taceam, quod nemo ita loquitur: Christum venire cæpisse ab origine mundi, σόφισμα hoc retorquere possumus in adversarium. Concedimus enim, Antichristum Pauli tempore adfuisse in præcursoribus suis. Sicut ergo Christus per Patriarchas loquutus est, in propria personâ, licet nondum incarnatâ: sic Antichristus operatus est per præcursores suos in propriâ personâ, licet nondum revelatus. Paulatim enim Antichristi regnum propagatum est, & post aliqua demum secula se in arce urbis Romæ & in sede pontificum Romanorum collocavit. Secunda ratio nostræ assertionis est, quod in vaticiniis apud Danielem per unam bestiam sæpe non unum regnum notatur, sed plura, ergo absurdum non est, per unum hominem non intelligere unum quoddam individuum, sed integrum corpus, in quo plurima capita sibi temporum intervallo succedunt. Tertia, quod Paulus apostasiam venturam scribit, cujus caput sit Antichristus, quæ est defectio à fide, ut supra probavimus, & sanè non unius hominis, nec paucorũ annorũ, ut sub uno rege compleri queat. Ad has rationes accedit denig, consensus D. Augustini, qui hanc interpretationẽ nostram jam olim usitatam fuisse fatetur, ut nimirũ non ipse princeps, sed universum quodammodo corpus ejus, id est, ad eũ pertinens multitudo hominũ simul cum ipso suo principe hoc loco intelligatur Antichristus lib. 20. de Civ. Dei cap. 19. Si quis dubitaverit quomodo Antichristus opponi possit Christo, si non una quædam particularis sit persona, siquidem juxta Canonem philosophorum

*phorum, uni non nisi unum opponatur, sciat is, Antichristum opponi Christo non ratione Personæ, sed ratione doctrinæ operumq; suorum, in quibus una est contrarietas, licèt personæ seu individua plura sint, sicuti omnes hæreses doctrinæ cœlesti, omnia vitia uni virtuti opponuntur. Vnum enim opponitur uni, sed est interdum multiplex unum, h. e. secundum varias species sub uno generali contentas, consideratur. Deinde una semper persona opponitur uni Christo: quia simul ac semel non nisi unus Papa sedet, nisi in schismate, eoque defuncto alius succedit, adæquè Christo oppositus, ac prædecessor. Relinquitur ergo immotum, quod Antichristus, quem Paulus descripsit, non in uno quodam individuo, aut particulari personâ, quam Romanenses tribus annis cum dimidio ante novissimum diem venturam somniant, quærendum esse, sed esse omnes eos, qui papalem sedem occupant, id quod studia & opera ipsorum plus satis testantur. Sed satis de hac quæstione.*

## QVÆSTIO IIX.

Quodnam est illud templum, in quo Paulus Antichristum sessurum scribit v. 4.

*Resp. Vsitata est opinio Pontificiorum, sedem Antichristi fore Hierosolymam, & in ea templum Salomonis, atq; sic intelligendum esse putant hunc Pauli nostri locum, in templo Dei sedebit, h. e. in templo Hierosolymitano: de quo vide Bellarminum* lib. 3. de P. R. cap. 13. *ubi hanc expositionem vocat communiorem, probabiliorem, & liberaliorem. Augustinus* lib. 20. de civ. Dei cap. 19. *dubitat, in quonam templo Dei sit sessurus, utrum in illa ruina templi, quod à*

Salo-

*Salomone Rege constructum est, an verò in Ecclesia? non enim templum alicujus idoli aut dæmonis, templum Dei Apostolus diceret. Vnde nonnulli non ipsum principem, sed universum, quodammodo corpus ejus, h.e. pertinentium ad eam hominum multitudinem simul cum ipso suo principe hoc loco intelligi Antichristum volunt, rectiusq; putant etiam latinè dici, sicut in græco est, non in templo Dei, sed in templum Dei, quod est Ecclesia &c.*

[Εἰς apud Paulum sæpe pro ἐν usurpatur, ut Eph. 3, 16. εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον, pro ἐν τῷ ἔσῳ ἀνθρώπῳ sic & h. l. εἰς τὸν ναὸν, pro ἐν τῷ ναῷ.]

*Hæc ille, & approbatur hæc sententia à Ludovico Vive in ejus loci commentario. Anselmus in comment. super hanc Epistolam scribit, fortasse intelligendum esse templum, quod est in Hierusalem, & addit, vel potius in templo Dei sedebit, h.e. in mentibus Christianorum, quos seducet, qui fuerunt templum Dei, quemadmodum gentes in Psal. 78. dicuntur polluisse sanctuarium Dei, quando in persecutione quosdam Christianos idolis sacrificare coegerunt. Bellarminus assertioni suæ fidem facere laborat, quatuor potissimum argumentis. Primum* ex cap. 11. Apoc. v. 8. ubi Johan. dicit, Enochum & Eliam pugnaturos cum Antichristo in Jerusalem, & ibi occidendos ab eodem Antichristo, & corpora eorum, *inquit*, jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est. *Ad 1. respond. D. Iohannes nullam fecit mentionem Eliæ & Enochi, sed duorum testium, nullam etiam Hierosolymæ, sed civitatis magnæ, quæ spiritualiter vocetur Sodoma & Ægyptus: quæ non competunt Hiero-*

*solymæ: nam hæc civitas Sodoma quidem vocatur Esa.* 1,10. *Ier.*23,15 *sed non spiritualiter, verum tropicè: nusquam autem appellatur Ægyptus. In Romam verò civitatem illam longè majorem Hierosolymis, optimè congruunt,* (1.) *quia eadem civitas, de qua hoc in capite, introducitur etiam in cap.* 17. *ubi septem montium celebritate describitur. Roma autem fuit septemcollis, non Hierusalem.* (2.) *quia hæc civitas habet imperium super reges terræ,* Apoc.17,18. *quod de Hierosolymæ nusquam dicitur, olim autem erat Roma.* (3.) *Sodomæ atque Ægypto comparatur, propter spiritualem libidinem atque luxum, cæcitatem & idololatriam, tyrannidem insuper & crudelitatem, quibus operibus jam pridem Roma se nobilitavit In hac enim civitate crucifixus est Dominus in Apostolis, & in martyribus, tanquam membris suis, per singulos enim martyres Iesus condemnatur, inquit Origen.* homil. 11. in Jerem. *Nihil dicam, quod Ambrosius, Hieronymus & Augustinus in Apocal. per civitatem hanc Hierosolymam intelligendam esse, expressè negant.*

*Secundum Bellarmini argumentum est,* quia in scripturis novi Test. per templum Dei nunquã intelliguntur Ecclesiæ Christianorum, sed perpetuo templum Hierosolymitanum. *Respond. temerarium est dicere, in N. T templum Dei semper intelligi de templo Hierosolymitano: nam & Christiani fideles vocantur templum Dei* 1. Cor. cap.3,16,17. 2. Cor.6,16. *Ecclesia quoq; expressè sic vocatur* Apoc.3,12, cap.11,1. *& cœlestis nostra patria, sedes illa beatorum* Apoc.7,15. *quin & Deus ipse templum cœlestis Hierosolymæ appellatur* Apoc.21,2. *Iudaicum nimis esset in his locis non nisi templum Hierosolymitanum intelligere: imò non potest in N. T. istius templi mentio fieri, quod jam pridem dirutum & execrabile factum. Tertium Bellarmini argumentum: quia*

veteres

veteres patres latini & græci per aliquot secula nunquam Ecclesias Christianorum templa vocaverunt, seu ναὸς, qua voce Paulus utitur, sed ἐκκλησία, oratoria, seu domus orationis, vel basilicas & martyria. *Resp. Paulus voce ναὸς non intelligit ædificia & fabricas Ecclesiarum, sed populum Christianum, in cujus medio sessitat Antichristus. Nec sequitur, patres de Ecclesijs Christianorum non utuntur nomine templi, ergo Paulus voce ναὸς non intelligit Ecclesiam. Nam si maximè tempore Patrum ista vox in usu non fuisset, Paulus tamen vaticinatur de re futurâ, ubi tandem usus istius vocabuli invaluit. Sed cur Patres ab hac voce tantopere abhorrerent, cum D. Iohannes in sua Apocalypsi Ecclesiam ναὸν θεοῦ appellare non dubitet, ut supra ex cap. 11, 1. & ex cap. 3, 12. audivimus. Quartum Bellarmini argumentum habet autoritates nonnullorũ patrum. Resp. Sed (1.) patrum autoritas hoc in genere parum valet, quia isto tempore vaticinium hoc nondum impletũ erat, ideo de Antichristi ortu & regno in diversas eunt partes, eas q; opiniones fovent, quæ ne pontificijs quidem placent.* a *Quidam operâ diaboli ex virgine nasciturum putant.* b *Quidam ipsum fore Diabolum, sub specie humana.* c *Quidam verum Diabolum & verum hominem futurum.* d *Quidam Neronem surrecturum & Antichristum fore.* e *Quidam ex strupo eum nasciturum, meretricis filium.* f *Quidam Iudæum fore, de tribu Dan oriundũ. Quis in hac opinionum varietate certi quid ex Patrum scriptis colligeret? (2.) habemus & nos patrum aliquos pro nostra parte, de quibus postea (3.) verisimile est, patres, qui Antichristũ in templo Hierosolymitano sessurum scribũt, figuratè & nõ propriè loquutos fuisse, quia templum illud Hierosolymitanum fuit typus Ecclesiæ, quæ ex Iudæis & gentibus erat colligenda; quo pacto Patres excusat Oecumenius.*

a *In lib. de Antichristo, qui ad scribi. Augustin.*
b *Hyppolitus.*
c *Origen. Som. 2. in Ioh.*
d *Sulpitius.*
e *Damascenus.*
e *Irenæus Augustin. Gregorius.*

*Destructis ergo rationibus adversariorum, restat ut sententiam nostram exponamus. Dicimus ergo, D. Paulum per templum Dei hoc in loco non intelligere templum Salomonis in Hierosolymis, sed Ecclesiam Christi ex omni populo collectam. (1.) quia templum Salomonis cum sua civitate diu est dirutum, & à Deo maledictum, &, ut Hieronymus loquitur, in æternos cineres collapsum, adeo ut nunquam reædificari queat, sicut prædictum fuit* Dan. 9, 26. *Si dixerint, Antichristum novum extructurum templum, 1. id scriptura nusquam dicit, imò contradicit: quia & credibile non est, Antichristum, quem tribus tantum annis cum dimidio regnaturum, & aliàs multivarijs bellis occupatum fore scribunt, tam exiguo spatio molem illam erecturum, & si maximè fieret, non tamen Salomonis foret templum, sed Antichristi. Ita nulla ex parte cohærent fabulæ papisticæ. 2. quia scribit hæc Apostolus ad Thessalonicenses, quos sanè non in Iudæam ex Græcia allegat, sed ad Ecclesiam, quam domum Dei viventis appellat* 1. Tim. 3, 15. *3. templum Dei absolutè positum non est aliud, quam veri Dei, nam templum gentile, quale foret illud, si quod ab Antichristo extrueretur, foret dæmoniorum, non Dei templum 4. accedunt testimonia Patrum August.* lib. 20. de civ. Dei cap. 19. *agnoscit, Apostolum non alicujus idoli, aut dæmonis templum, appellari posse templum Dei. Hieron. ad Algasiam quæst.* 11. In templo, *inquit*, sedebit, vel Hierosolymis, ut quidam putant, vel in Ecclesia, ut verius arbitramur. *Theodoretus in comment. super hanc Epistolam*, Dei templum *ait*, appellavit Apostolus Ecclesias, in quibus primam sedem arripiet Antichristus. *Oecumenius: non dicit templum, quod est Hierosolymæ, sed Ecclesias Christi. 5. nec desunt ex Pontificijs scriptoribus, qui ejusdem nobiscum sunt sententiæ, ut Thomas lect. 1. in cap. 2. poster. ad*

*Thes-*

*Thessalonicenses:* Exponitur in templo Dei, ideſt, in Eccleſia, quia multi de Eccleſia illum recipient, vel ſecundum Auguſtinum, quod in templo Dei ſedeat, h.e. principetur & dominetur, tanquam ipſe cum ſuis nuncijs ſit templum Dei, ſicut Chriſtus eſt cum ſuis.

*Idem habet Cajetanus ſuper hunc locum, & Thomas Ferus concionator Moguntinus in Cap. 24. Matth.* Templum Dei in mundo, fidelium Eccleſia eſt: in hoc templo futuram prædicit Chriſtus abominationem, antequam mundus finiatur. *Vera ergo ſententia Pauli eſt, quod Antichriſtus in Eccleſia, non quatenus fabrica aut ædificium aliquod eſt, ſed quatenus eſt cætus per verbum ex diverſis populis collectus, dominaturus ſit, tanquam præſul & Epiſcopus quidam, quem univerſæ Eccleſiæ populus Chriſtianus veneretur. Et, ut hoc quoq; addam,* Hilarius *in lib. cont. Auxentium ſub finem expreſsè Eccleſiam Romanam Antichriſti ſedem nominat: ideo,* cavete *ſcribit* Antichriſtum: malè vos parietum amor cœpit, male Eccleſiam in tectis ædificijsq; veneramini: malè ſub his pacis nomẽ ingeritis: anne ambiguum eſt, in his Antichriſtum eſſe ſeſſurum &c. *& in ſequentibus in palatiorum Papalium dignitatem graviter invehitur, tutiusq; ait eſſe montes, ſylvas, lacus atq; carceres, quam hujusmodi Eccleſias inhabitare.* Huic noſtræ ſententiæ opponit Bellarminus tale argumentum, *in quo ſe, non quod puer in fabá, reperiſſe putat.* Si Antichriſtus, *inquit,* ſeſſurus eſt in Eccleſia, & Papa Romanus eſt Antichriſtus, ſequitur & Lutheranos & Calvinianos & quotquot ab Eccleſia, quæ ſub papa eſt, alieni ſunt, eſſe extra veram Eccleſiam. *Sed neganda eſt conſequentia: nam aliud eſt Eccleſiam eſſe, aliud in Eccleſia eſſe. Papa-*

*tus non est aut fuit unquam vera Ecclesia: in Papatu tamen semper est & fuit Ecclesia vera: quia Deus semper sibi sua septem millia relinquit, quæ genua sua coram Romano illo Baale non curvarunt, quales fuerunt & sunt in Papatu infantes baptisati, B. Martyres, & confessores veritatis, qui propter confessionem suam semper persecutionem patiuntur: Simpliciores etiam laici, quorum aures sæpe sunt puriores quàm ora sacrificulorum: penes illos sunt adhuc rudera quædam scripturarum, & aliquod ministerium verbi, licet in multis corruptum, quemadmodũ Pharisæorum fuit tempore Christi, quod tamen non omnino adspernendum fuisse, Christus ipse docuit* Matth. 23, 1. *nam per hoc etiam Deus in cordibus hominum efficax esse voluit. In his ergo dominatus & grassatus est Antichristus pro lubitu, instar regis cujusdam superbi, neq; unquam permittet Deus, ut sanctum suum semen in medio Antichristi regno penitus expiret, licet multis tempestatibus sit obnoxium: & quanquam hi non semper in mundo sint conspicui, Deus tamen novit, qui sint sui. Hæc est Ecclesia electorum, quorum caput est Christus, in quos cum & Papa imperium affectet, quid facit aliud, quàm Antichristi opus, quem in medio templo Dei sessurum, id est, in medio cætu fidelium grassaturum, Apostolus prædixit.*

## QVÆSTIO IX.

Quodnam est discrimen miraculorum divinorum & diabolicorum, cum Paulus noster scribat, adventum Antichristi esse secundum operationem Satanæ, in omni virtute, signis & prodigijs, mendacibus &c. v. 9?

*Resp.*

*Resp. Miraculum voco, inquit, Augustin. de util. cred. cap. 16. quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet. Et si verò in Psalmo dicitur, & ferè pro regula Theologica habetur: Dominus Deus Israel facit mirabilia solus Psal. 72, 18. Videmus tamen, Apostolum, nostrum etiam Satanæ adscribere miracula, qualia edidit olim per magos AEgypti, & edit quotidie per satellites Antichristi. Hinc duo oriuntur miraculorum genera, divina & humana: De priori specie loquitur David in Psalmo; de posteriori Paulus noster. Convenientia inter ista duo sæpe est quò ad speciem, quæ sola in oculos incurrit, facitq; ut diabolica pro divinis habeantur; differentia verò ad rem, & quidem secundum omnia quatuor causarum genera. Primum enim divinorum miraculorum autor solus Deus est, qui & condidit naturam, & invertere eam potest, quando voluerit, qui & quotidie mundum opplet miraculis. Nam, quis est, qui* consideret opera Dei, *inquit Augustinus tract. 8. in Iohan.* quibus regitur & administratur totus hic mũdus, & non obstupescit obruiturque miraculis? *Et hæc miracula, operatur Deus propriâ virtute & pro sua libertate, interdum immediatè, ut solis stationem tempore Iosuæ ejusdem retrogradationem tempore Ezechiæ, transitum Israelitarum per mare rubrum &c. interdum mediatè, vel per Prophetas, qualia sunt miracula Mosis, Eliæ & aliorum, vel per Apostolos, vel etiam per assumtam carnem, qualia sunt miracula Christi, vel etiam per malos interdum homines, ut cum per Bileamum, pseudo prophetam prædixit futura* Num. 24. *Diabolica autorem habent Diabolum, qui ea vel immediatè, vel per ministros suos, magos & ariolos, veneficas & similes facit, non quoties ipsi visum est, sed quando Deus ei permittit: nam & magi AEgyptiorũ, cum*

cyniphes

cyniphes prohibente Domino producere non potuissent, agnoscebant, hîc esse digitum Dei Exod. 7. Hinc Augustin. scribit lib. 3. de Trinit. cap. 7. Intelligi datur, ne quidem ipsos transgressores angelos, & aereas potestates, in imam istam caliginem, tanquam in sui generis carcerem ab illius sublimis æthereæ puritatis habitatione detrusas, per quas magicæ artes possunt, quidquid possunt, valere aliquid, nisi datâ desuper potestate. *Deinde causa materiali differunt, quia Deus vel novas substantias, vel novo modo, diversis q; formis, operationibus ac proprietatibus producere potest, quemadmodum omnia ex nihilo condidit, vocans ea, quæ non erant, ut sint Rom. 4. Heb. 11. unde vera illa miracula Dei à nonnullis nova quædam creatio appellantur. Diabolus verò tam rem creare potest nullam, quam nec seipsum: ideo nec naturam mutare potest, sed quæcunque mira facit opera, vel præstigia sunt ac phantasmata, vel naturæ vi effecta, quam ad rem callidissimus ille physicus materiam optimè adaptare novit: nam ut August: scribit lib. 4. de Trinit. c. 11.* facilè est spiritibus nequissimis per aerea corpora facere multa, quæ mirentur animæ terrenis corporibus aggravatæ, etiam melioris affectus. *Tertiò quòad formalem causam, divina miracula sunt vera & propriè sic dicta miracula, quæ naturæ ordinem, & rationis intellectum superant: Diabolica verò vocantur ab Apostolo nostro mendacia, quia plerumq; sensibus humanis illudunt, aut secundum ordinem naturæ fiunt, etiamsi causæ tam subitò à nobis non animadvertantur. Vnde nonnulli omnia diaboli miracula non vera sed falsa vocant, quia partim præstigiosa sunt, partim naturæ legibus congrua, nobis autem rationem & modum quo fiant, ignorantibus videntur mirabilia. Finis deniq; atrobiq; est diversissimus. Miracula divina vel solam faci-*

unt

*unt admirationem vel magnam etiam gratiam & benevolentiam conciliant, ut Auguſt. diſtinguit lib. de utilit. credendi cap.* 16. *In primis autem potentiam & benignitatem Dei declarant, veram etiam doctrinam in animis noſtris obſignant, interdum fidem & conſtantiam hominum probant, quod Dominus ipſe docuit* Deut. 13, 1. ſeqq. *Diabolicorum miraculorum finem facit Apoſtolus noſter ſeductionem hominum, ut & Chriſtus Matth.* 24. *qualia ſunt omnia mira opera Antichriſti & ſatellitum ejus, ad fallendos homines mendacijs, & retinendos in idololatriâ comparata: quam ob cauſam mancipia Antichriſti magis Ægyptiacis comparantur* 2. Tim. 3, 8. *Diſcrimina hæc obſervare prodeſt, non tantum, ut opera diaboli ab operibus Dei diſtinguamus, verum etiam, ne facile ijs, qui miracula jactant, fidem habeamus, multò minus jam poſtquam Eccleſia plantata, & verbum Dei miraculis Chriſti & Apoſtolorum ſatis confirmatum eſt, ex miraculis fidem probemus. Nam Bellarm. ipſe fatetur* lib. 4. de Eccleſia cap. 14. Ante approbationem Eccleſiæ non eſt evidens aut certum certitudine fidei de ullo miraculo, quod ſit verum miraculum, quia non conſtat nobis certitudine, cui non poſsit ſubeſſe falſum, illam non eſſe illuſionem Dæmonis. Dæmon enim etſi non poteſt facere vera miracula; tamē poteſt facere apparenter etiā maxima quæque. *Quæ omnia de papiſtarum miraculis ſunt veriſſima. Quis autem fidem ſuam illuſionibus dæmonum committere auſit? Certè qui ex præcedentibus intellexit, Paulum noſtrum papatum ſuis coloribus depinxiſſe, is vel eo nomine miracula, quibꝰ gloriantur Papicolæ, contemnet, quia mendacia appellantur, operatione Satanæ facta, & miracula apud eos nunc inveniri ſcribit Chryſoſt. homil. 49. in Matth. qui ſunt falſi Chriſtiani: quem honorem Romanenſibus haud inviti concedimus.*

## QVÆSTIO. X.

Scribit Apostolus, immittere Deum operationem erroris v. 11. quomodo hoc facere potest, ut non sit causa efficiens erroris seu peccati? nam immittere est operari & efficere

*Resp. similia dicta sunt* Esa. 63,17. *quare errare nos fecisti Dom. ne de vitiis tuis: induraſti cor nostrum, ne timeremus te?* Ezech. 20,25. *ego dedi eis præcepta non bona.* Rom. 1,24. *tradidit Deus in desideria cordium suorum:* & v. 26. *tradidit eos in passiones ignominiæ,* & v. 28. *tradidit eos in reprobum sensum &c. Quæ dicta omnia ad voluntatem Dei consequentem seu judiciariam pertinent. Solet enim scriptura errorem, seductionem, malitiamq; quancunq; ad Diabolum, ad hominem, ad Deum den. q; ipsum referre: ad Diabolum tanquam causam impellentem malas hominum voluntates & mentes à Deo aversas: ad hominem tanquam ad causam propriissimam, & ad peccandum pronam; ad Deum verò tanquam ad justum judicem, qui peccata peccatis sæpè punit. Hoc enim sanctè tenendum, Deum nec velle, nec approbare, nec diligere, nec præcipere, vel errorem vel malum quodcunq;, & sic originaliter peccatum non esse à Deo: sed dicitur Deus immittere errorem, indurare, tradere in desideria cordium, & reprobum sensum variis modis, ita ut nulla prorsus culpæ suspicio penes ipsum resideat, quia semper hoc faciendo punit antegressa peccata: sicut in nostro textu expressè dicitur, quia veritatem amoris non receperunt, ut salvi fierent, propterea mittit illis Deus efficaciam erroris. Primum autem facere dicitur ea omnia ἐγκαταλειπτικῶς, propter desertionem: quando ab homine semel atq; iterum derelictus subtrahit tandem gratiam suam, sine qua in errores & pe-*

*cata ruimus præcipites. Hinc Augustinus epist. 105. & de prædest. sanct. cap. 4. non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam. Non verò illa Dei desertio infert ullam peccati vel erroris operationem in Deo, sed contrarium potius, quia qui deserit peccatorem, peccanti non cooperatur: neq; injustus fit Deus, qui homini suam denegat gratiam, partim quia eam nemini debebat, partim quia homo jam antè acceptam temerè prodegit.* Justè enim deseritur à Deo, qui deserit Deum, *inquit Fulgentius ad Monimum lib. 1. pag. 25. neq; verò hac ratione ullo modo peccati causa fit Deus, sicut impiè scribunt Calviniani nonnulli, quasi Deus dici possit causa peccati removens prohibens, qua de re vide P. Martyrem in locis communibus de causa peccati fol. 200. & Pelargum in Compend. Theolog. correcto pag. 176. Etsi n. Deus gratiam à peccatore removet, quæ peccatum prohibere poterat, si adfuisset, non tamen propterea peccatum quocunq; modo operari vel causari potest:* (1.) *quia jam antè homini sufficientem gratiam largitus est, quam ipse sua culpa perdidit.* (2.) *ad specialiorem erogandum non fuit obstrictus, &* (3.) *causam subtractionis habuit justam, quia voluntarium habere voluit cultum. Tum demum autem Deus causa removens prohibens in lapsu hominis dici posset, si eum, qui ruit, non satis armasset contra lapsum, si etiam jure obligatus esset ad servandum ruiturum, & si causam desertionis justam non haberet. 2. immittere Deus dicitur errorem, indurare, seducere &c. συγχωρητικῶς, propter permissionem:* consuetum enim est scripturæ, permissionem Dei ut actionem & operationem eius dicere, *ait Damascenus lib. 4. orth. fide cap. 20. Sic cum Esa. 63, 17. dicit populus: quare errare nos fecisti Domine &c. certè non intelligitur efficacia quædam Dei seducentis: nemo enim dicat, per*

*Deum defeci, ipse me seduxit, inquit Siracides* cap. 15, 11. *sed permissive exponit scriptura* Psal. 81, 13. *non audivit populus meus vocem meam, & Israel non attendit mihi*, & dimisi eos *secundum desideria cordis eorum: & cum Paulus scribit, tradidisse Deum gentes in reprobum sensum* Rom. 1, 28. *alibi hec ita emollit; Deus* sivit *omnes gentes ingredi vias suas* Act 14, 15. *& cum Deus concessit Satanæ potestatem eripiendi bona Iobi, dicitur tamen Deus abstulisse* Job. 8, 21. *vivificasse dicuntur qui vivere permiserunt quos interficere poterant,* Exod. 1, 17. Ios. 2, 13. 1. Sam. 27, 11. Act. 9, 19. *Duplex autem est Dei permissio: una generalis, in quolibet hominis peccato; altera singularis & valde horribilis, quæ est pœna antegressi peccati, de qua hic agitur: eaq; non est otiosa, sed cum voluntate Dei conjuncta, ita tamen ut permissio ad peccatum ipsum, voluntas verò non ad peccatum, (quia Deus non est volens iniquitatem) sed ad finem peccati, qui pro sapientiâ Dei semper est optimus, referatur. 3. Dicitur id fieri* ἀφορμητικῶς, *propter occasionem, quam peccatores sibi sumunt: quo sensu dicitur peccatum occasione acceptâ per mandatum seducere* Rom. 7, 11. *sic munera dicuntur excæcare prudentes* Exod. 23, 8. *Occasionaliter ergo concurrit Deus ad peccatum, non quasi ipse det & procuret occasionem peccandi: jubet enim auferri offendicula de populo* Esa. 57, 14. *quomodo ergo dare potest? Sed quia homines eo, quod ad salutis suæ promotionem propositum erat, abutuntur: quo pacto Pharao per miracula Mosis ac Aaronis magis magisq; indurabatur, & multi etiamnum per conciones legales deteriores fiunt. 4.* παραδοτικῶς, *propter traditionem hominis in potestatem Satanæ, tanquam executoris, quemadmodum Saulum malus invasit spiritus, qui impellebat eum adversus Dominum. Nam, ut Chrysost: scribit homil. 86. in cap. 12. Iohan.* cum

deserimur

deserimur à Deo, tradimur diabolo, in cujus potestatem redacti in nostris malis afficimur. *Sic cum Deus contemtores verbi sui tradit Satanæ signis ac prodigiis mendacibus decipienti ac in errores seducenti, Deus errores illos immittere dicitur, quorum tamen neq; autor est, neq; eos vult, nec approbat. 5. fit hoc κυβερνητικῶς propter directionem ad bonum finem, quem homines malitiosi nunquam intenderunt. Non enim permitteret Deus malum, nisi aliquid boni inde producere posset: sic venditionem Iosephi dirigebat, ut prodesset ad conservationem populi multi, & inserviret exaltationi Iosephi* Gen. 50, 20. *Et in Pauli nostri textu operationem erroris immittere dicitur, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati. His ergo modis Deus circa peccata hominum versatur, ut nulla ejus culpa penes ipsum resideat; absit enim à pijs, ut Deum quoquo modo causam peccati constituant, qui semper Sanctus, justus & benedictus est in secula.*

## Aphorismi locorum Communium ex hac parte capitis.

1. *Gloria piorum non exigua est congregatio ipsorum in Christum, quæ fiet in novissimo ejus adventu v. 1. Nam qui in mundo non tantum locis disjuncti, sed & persequutionibus interdum passim sunt dispersi, hos Christus angelorum operâ colliget de quatuor ventis, & à summis cœlorum usque ad terminos eorum* Matth. 24, 31. *& semper erunt cum Domino* 1. Thessal. 4, 17. *cum quo jam tamen in mundo consederunt in cœlestibus, in seculis autem super venientibus abundantes divitias gratiæ suæ ostendet ipsis Deus in Christo Iesu*

Eph. 2, 7. *quando ipsi unà cum sanctis angelis Ecclesiam constituent triumphantem sub uno capite Christo, & qui cum ipso mortui sunt, cum ipso vivent, & qui cum ipso passi sunt, cum ipso etiam glorificabuntur*, 2. Tim. 2, 11, 12.

2. *Adventus Domini novissimus gratus & exoptatus nobis esse debet, propter hanc nostri congregationem in Christum. Nam dum hic vivimus in corpore, advenæ sumus & peregrini in mundo, peregrè à Domino, per fidem enim ambulamus, & non per speciem: cupimus autem peregrinari à corpore, & præsentes esse Domino* 2. Cor. 5, 6. *Vivamus itaq; ut peregrinos decet, ut admittamur ad cœlestem patriam, in quam nihil intrabit immundi*, Apoc. 20, 27. *Quò pertinet admonitio Petrina: obsecro vos, tanquam advenas & peregrinos, abstineatis à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam* 1. Pet. 2, 11.

3. *In articulis fidei quemlibet oportet certum esse, ne citò moveatur à sententiâ rectâ* v. 2. *Levitatis enim est, ea, quæ rectè didicimus, ad quemvis sapientiæ humanæ impulsum deponere. Ideo confertur pius domui in petra positæ, quam ventorum impetus evertere nequit* Matth. cap. 7, 25. *& Paulus monet, ne quovis vento doctrinæ circumferamur in nequitia hominum, & circumventione erroris* Eph. 4, 14. *Damnemus ergo Theologiam Pyrrhonicã, quæ omnia dogmata fidei facit dubia, & tandem Epicureismum gignit, in quo nulla & vera religio pari passu ambulant.*

4. *Apparitiones spirituum, & revelationes arcanæ extra verbum nullæ sunt, ideo Paulus* non vult terreri nos per spiritum v. 2. *Talia multa jactabant olim Montanistæ, Valentiani, Circumcelliones, & patrum nostrorum memoria Anabaptistæ; hodie quoq; fanatici multi, qui arcanis spirituum revelationibus plus tribuunt, quam manifesto Dei verbo. Sub*

quæ

qua opinione multa vana, impia & blasphema dogmata imperitis & superstitiosis hominibus obtruduntur, quia multis pruriunt aures, qui pertæsi verbi prædicati singulare quid desiderant, & sic in errores absurdissimos præcipitantur inscij, ex justo Dei judicio, contemtum verbi & ministerii sui ita punientis: de quibus Paulus 2. Tim. 4, 3. Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus & a veritate auditum avertent ad fabulas. Docet hoc inter alia Papatus, in quo purgatorium, satisfactiones, indulgentiæ, invocatio sanctorum, peregrinationes ad loca sanctorum, & multa alia, ex hujusmodi fictitiis apparitionibus spirituum extructa sunt. Quilibet ergo sibi caveat, & se ad legem & Evangelium remissum sciat, Esa. 8, 20. semper memor illius apud Iohannem: non omni spiritui credite, sed probate spiritus, num ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. 1. Joh. 4, 1.

5. Non facile quodvis scriptum, quod sub nomine Apostolorum aut aliorum divinorum hominum venditatur, recipiendum est; nam Apostolus docet, decipi posse Thessalonicenses per epistolam, tanquam à se scriptam. Ideo primitiva Ecclesia semper tres ordines sacrorum scriptorum habuit: ut est apud Eusebium lib. 3. hist. Eccl. cap. 3 & 25. Quædam sunt canonica & testamentaria, Eusebius vocat ἀναμφιλέκτους διαθήκας, quibus nunquam fuit contradictum, quales sunt Libri Biblici vulgò Canonici appellati. Quædam sunt dubia, de quorum autoritate semper dubitatum fuit, utiliter tamen & ad ædificationem Ecclesiæ usurpata, sed ad probanda fidei dogmata minus idonea, vulgò Apocrypha & hierographa dicta. Quædam sunt plane notha & suppositicia, quæ nullum unumque usum habuerunt in Ecclesia, ut

Evange-

*Evangelium Nicodemi, Evangelium secundum AEgyptios, Acta Pauli & Teclæ, pastor Hermæ, protevangelion Iacobi, Canones Apostolorum, Epistola ad Laodicenses &c. quæ scripta, præterquam quod multa continent fabulosa, nunquã in super demonstratum fuit, quod omnia sint eorum autorum, quorum nomina præ se ferebant: & tamen à multis privatim legebantur, qui inde quàm plures conceperunt errores, quos postea sub nomine Apostolicarum traditionum Ecclesijs obtruserunt, putantes verisimile esse talia ab Apostolis fuisse tradita, id quod exemplis docet D. Chemnitius, part. 1. Exam. tit. de Traditionibus fol. 79. b. seqq. cujus generis multa locum invenerunt in Papatu. Necessarium ergo est discrimen illud inter scripta Canonica, Apocrypha & Adulterina, quorum illa dunt axat fidem confirmant, ista vitam ædificant, hæc nullum prorsus in Ecclesiam usum habent, & de his postremis Paulus noster scribit:* ne terreamini per epistolam, tanquam per nos scriptam.

6. *Novissima tempora plena sunt multarum calamitatum: Apostolus noster defectionem à fide tunc futuram prædicit, v. 3. & alibi:* novissimis diebus, *inquit*, instabunt tempora molesta, erunt enim homines sui amantes, & voluptatum potius quam Dei, mente corrupti, & reprobi circa fidem. 2. Tim. 3, 1, 4, 8. *Similia habet cap. 4, 3. & Petrus 2. Pet. 2, 12. & Christus Matth. 24, 10, 23. seqq. Cum ergo ista omnia quæ prædicta sunt, nimis apertè in oculis & animis habeamus, non est dubitandum, quin jam sint novissima tempora, nec procul abesse magnum illum diem, ad quem precibus & vigilantia nos quotidie præparemus, in quem finem illi diei istius prodromi tam crebrò repetuntur in scripturâ.*

7. *Apostasiam prædicit Apostolus, nimirum à fide Ec-*

*clesiæ:*

*cleſiæ: quæ res multa monet. (1. renatos, tanquam veros Eccleſiæ cives amittere poſſe fidem, quod negant Calviniani ex eo quod in Epiſtola Iudæ legitur v. 3. fidem ſemel eſſe traditam: quid autem eſt à fide deficere, quam fidem amittere? Iudas verò non numeraliter loquitur, ſed temporaliter, h. e. non quaſi ſemel tantum fidem Evangelij acceperint, eamq; vel non amittere, vel amiſſam non recuperare poſſint: ſed quod aliquando Evangelium acceperint, quod ſæpius amitti experientia docet, & Dominus hujusmodi amiſſionem minatur* Apoc. 2, 5. *(2.) Eccleſiam poſſe errare, quod Pontificij negant, quid enim eſt errare, quam à fide deficere quod olim Galatis & Corinthiis; hodie ſat multis particularibus Eccleſiis accidit. (3.) Deum in iſto prolapſu Eccleſiæ ſuos habere electos, quos in fide conſervat: nam deficiente Eccleſia, adhuc regnabit Antichriſtus in templo Dei: erunt ergo quidam reſidui, in quibus Deus templum ſuum habiturus eſt: unde colligimus Eccleſiam nunquam planè deficere, juxta promiſſiones Chriſti* Matth. 16, 18: 28, 20. Eſa. 59, 21. *(4.) ſucceſſionem Epiſcoporum, in Eccleſia non ſemper eſſe continuam & non interruptam, quia multi deficient à fide, qui anteceſſorum ſuorum neq; doctrinam neq; vitam imitabuntur. Succeſſio enim non ex loci, ſed doctrinæ & vitæ ſimilitudine, æſtimanda eſt, ſiquidem juxta Hieronymi dictum in Epiſtola ad Heliodorum, non ſunt ſanctorum filii, qui ſanctorum loca tenent, ſed qui exercent opera eorum.*

8. *Antichriſti malitia ideo tam prolixè deſcribitur ab Apoſtolo v. 3. 4. 5. ſeqq. ut doctrinam hanc de Antichriſto non pro nihilo habeamus, ſed familiarem nobis reddamus, & magnum illum Chriſti adverſarium rectè agnoſcamus. Ita enim Chriſti cognitio nobis erit dulcior, & majori ſtudio vitabimus Antichriſtum, qui aliàs verborum lenociniis, præmiis & de-*

liriis huius seculi homines ad se allicit, Apoc. 18, 3. Prodest enim ad hoc, ut, cum intellexerimus omnes notas Antichristi, quas Paulus habet, nemini aptius competere, quam Pontifici Romano, non in eas incidamus cogitationes, quasi ex carnali proficiscatur affectu, si quid durius in papatum dicatur. Videmus enim Spiritum S. ei non parcere, & hoc in loco, & in Apocalypsi Iohannis: nec ulla verba hominum tam acerba esse possunt, quin acerbiora meruerit eius malitia, nec odium ullum tam perfectum, quod non debeatur huic adversario Christi, nisi forte quis existimet, hominem peccati, filium perditionis, superbum illum adversarium, qui se extollit super omne quod Deus est, & in templo Dei dominatur instar Dei, quem tandem ipse Dominus Iesus interficiet spritu oris sui, ne verbulo quidem offendendum, nedum odio dignum esse. Quod contra illos observandum, qui potentiam Papæ & assectarum eius metuentes, molli satis brachio tractandos putant papicolas, immemores illius, quod David ait: nonne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, propterea inimici facti sunt mihi Psal. 139, 21, 22.

Impleat vos Dominus odio Papæ. Votum Lutheri ad Theolog. Smalcaldiæ congregatos.

9. Dei vox tripliciter accipitur in scriptura (1.) essentialiter de uno vero Deo, conditore cœli & terræ, ut Deut. 6, 4. Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est (2.) ministerialiter seu ratione officii divini, quemadmodum magistratus appellantur dij Psal. 82, 1. & Moses Deus Pharaonis Exod. 7, 1. (3.) potentialiter, quemadmodum Diabolus vocatur Deus huius seculi 2. Cor. 4, 4. quia dominum affectat in mundo, & quasi divinam, h. e. magnam habet potentiam, sicut alias quidquid magnum est, Dei esse dicitur, ut Cedri Dei Psal. 80, 11. montes Dei Psal. 36, 7. Ita Christus ipse distinguit Johan. 10, 35. si illos dixit Deos, apud quos sermo Dei factus est, &c. & Paulus 1. Cor. 8, 5: etsi sunt, qui dicuntur dij, sive

in cœlo,

in cœlo, sive in terra (siquidem sunt dii multi, & domini multi) nobis tamen unus est Deus: & sic in nostro textu Antichristus extollere se dicitur, super omne quod vocatur Deus v. 4. 10. Ecclesia vera est templum Dei v. 4. alibi vocatur domus Dei 1. Tim. 3, 15. Omnia ergo non tantum ordine & decenter, sed & piè ac sanctè gerantur in Ecclesia. Et quia vera Ecclesiæ membra quoq; appellantur templum Dei 1. Cor. 3, 27: 6, 19. 2. Cor. 6, 16. quilibet hac appellatione sui admonetur officii. Templum sumus, ergo sanctissimus, sicut Deus sanctus est Lev. 19. Templum hoc suis innitatur basibus, scripturæ nimirum propheticæ & Apostolicæ. Eph. 2. Caput huius templi sit Christus Eph. 5, 23. idem sit altare nostrum Hebr. 13, 10. fide apprehensum & dilectione in nobis radicatum Eph. 3, 1. victimæ in hoc altari sint preces semper ardentes instar incensi, ut & opera misericordiæ Hebr. 13, 15. quin & totum corpus nostrum, in quo instar holocausti mactandæ sunt pravæ concupiscentiæ, luxuria, superbia & alia vitia, de quo holocausto Paulus agit Rom. 12, 1. seqq. Lucernæ semper ardentes in hoc templo, sint vera pœnitentia, spes, fides, meditatio verbi divini, confessio nominis divini, studium bonorum operum, patientia in adversis &c. quæ omnia copiosius deduxit Origen. homil. 9. in Exodum.

11. Revelatio Antichristi facta est, postquam majestas Romani imperii, quæ eam detinuit, imminuta fuit v. 6. Accidit hoc circa annum Christi 606. ubi Bonifacius III. Phocam Cæsaris Mauritii Interfectorem in imperio, quod per scelus adeptus erat, confirmavit, ipseq; à Cæsare œcumenici Episcopi titulum accepit, quam antecessor eius Gregorius pro certissimo signo Antichristi habuit. Tunc ergo Antichristus, qui antea quasi in occulto latuit, ita ut sub pallio singularis pietatis ac sanctimoniæ non conspiceretur, ex utero quasi in apertam lucem prodiit, quanquam infan-

*tulus adhuc, cujus membra ad pugnam nondum obdurue-rant, ut Imperatores & principes sedibus suis deturbaret: quod progressu temporis successores eius strenuè fecerunt, in-primis Gregorius VII. qui circa annum Christi millesimum Henricum IV. excommunicavit, & hoc inprimis egit, ut imperium germanicũ ad internecionem usq; penitus deleret. Cum ergo Pontificii initium regni Antichristiani à nobis petunt, damus hoc ipsum, quod Paulus noster describit, cum videlicet Romani imperii majestas cecidit, tunc Antichristi antea in occulto mysterium iniquitatis operantis potentia cre-vit. Principium enim temporis unum & continuum dari non potest in iis, quæ sensim & lento quasi gradu esse incipiunt: in his sufficit principium vagum & dispersum, quod tempo-rum successu sua subinde incrementa sumsit, siquidem nec im-perii majestas uno temporis articulo, sed sensim & lento quo-dam lapsu cecidit.*

12. *Apostolorum Ecclesia non tam fuit pura, quin jam tum in ea Antichristus in præcursoribus suis mysterium iniquita-tis agere cæperit v. 5. mirum ergo non est, quod hodieq; Eccle-siæ non omnino puræ sunt & absq; omni macula. Semper enim Zizania sunt in medio tritici, in eodem agro* Matth. 13. *& o-portet hereses* inter vos *esse, scribit Paulus* 1. Cor. 11, 19. *se-detq; semper Antichristus in templo Dei: unde contra Ponti-ficios firmiter colligimus, hæreticos non esse extra, sed in Ec-clesia, licet non sint de Ecclesia. Unde & Alphonsus de Ca-stro scriptor Pontificius fatetur, hæreticum esse partem Eccle-siæ & membrum illius, & non esse omnino separatum ab illa: quia etsi fidem non habet; habet tamen characterem baptis-malem, quo durante, semper erit membrum Ecclesiæ: quam sententiam frustra refutare conatur Bellarminus* lib 3. de Eccles. militante cap. 4.

*Lib. 2. de just. hæret. punit. c. 24.*

13. *Con-*

13. *Consolatione plenum, quod Antichristi tyrannis quanquam insignis & horrenda, non tamen erit sempiterna, sed destruetur à Christo v. 8. Cujus solius regnum non habebit finem* Dan. 2, 44 : 7, 14. Esa. 9, 9. Luc. 1, 33. *Destruetur autem non vi externa, sed spiritu oris sui h. e. per sacrosanctum ministerium verbi, in quo efficax est spiritus Christi: idq; factum est quidem jam tum, cum in mediis tenebris Papatus multi docti & pii viri Pontifici Romano fortiter se opposuerunt, quorum aliqui sanguine suo doctrinam cœlestem obsignarunt, quidam verò tyrannidem eius evaserunt, quos magno numero recenset catalogus testium veritatis. Inprimis autem potens fuit spiritus Christi in Megalandro Luthero, superiori seculo, qui potentiam regni Antichristi calamo & ore ita destruxit, ut multis in locis ne nomen quidem eius restet amplius, alibi verò vix lacera quædam eiusdem rudera reperiantur: ubi verò adhuc in aliqua est æstimatione, ibi non obscura sauciatæ conscientiæ signa apparent. Quod Dei beneficium, ut insigne est, & sempiternâ memoriâ gratiaq; immortali dignum: ita quod residuum est de Antichristi regno, patienter tolerandum, eiq; forti animo resistendum, donec illustri adventu Domini, qui sine dubio præ foribus est, penitus aboletur, cujus certissima spes à Paulo nostro facta est, quæ persecutiones & tyrannidem Antichristi tolerabiliorem reddit.*

14. *Spiritus S. est spiritus oris Christi v. 8. quia æque à filio procedit, ac à Patre, ideo utriusq; Spiritus & spiraculum appellatur, quia unus est essentialis Deitatis fons in patre ac in filio. Quemadmodum ergo Psal. 33, 6. Spiritus S. nullam aliam ob causam appellatur Spiritus oris Iehovæ, quam quod à Iehova seu Deo Patre ineffabiliter procedit; ita eandem planè ob causam vocatur Spiritus oris Christi, secundum di-*

vinam naturam. Est autem locutio metaphorica sumta ab halitu humano, qui de ore hominis procedit; nam Pater & filius aliàs ora non habent, spirare tamen dicuntur eundem spiritum, quia modo planè ineffabili essentiam suam spiritui S. ab omni æternitate communicant: ideo Christus etiam in sufflando dedit Apostolis spiritum sanctum Joh. 20, 22. ut illo corporei oris sui halitu significaret, Spiritum S. esse suæ divinitatis æternum & inenarrabile spiraculum.

15. Miracula diabolica potenter regnare scribuntur in regno Antichristi, v. 9. non ergo possunt miracula certam & infallibilem notam veræ Ecclesiæ constituere, ut Pontificii volunt. Longè certius est ex pura prædicatione verbi veram agnoscere Ecclesiam, qui Deus etiam veris miraculis fidem adhiberi non vult, si per ea invitentur homines ad idolatriam Deut. 13, 1. id quod in papatu frequentissimum est.

16. Regnum Antichristi est seductione plenum v. 10. nam & dogmata & vita ita comparata sunt, ut seducantur homines: regnat enim ibi hypocrisis cum mendacio. Ideo mirum non est, quod tam crassæ sunt tenebræ in papatu, quibus etiam sapientes multi fuerunt dementati. Non enim aliter quam per fraudes atq; dolos ad illud fastigium adscendit papatus. Dolis introducta est Missa pro defunctis, dum finxerunt animas ex purgatorio apparuisse, & preculas pro sui liberatione ex tormentis illis petiisse: Dolis excogitata est invocatio sanctorum, dum statuas eorum fecêre jam lacrymantes, jam torvum videntes, jam aversas à supplicantibus, jam vultum inclinantes: Dolis repleta sunt omnia monasteria divitiis mundi, dum miram finxêre paupertatem, & incredibilem omnino sanctimoniam. Imò si error & stultitia in papatu dolor esset, omnia collegia & monasteria, omnes domus atq; templa ejulatu personarent. Non autem miremur, dum

audimus

*audimus talia, omnia enim prædixit Apostolus, & his modis implere debebat Antichristus mensuram iniquitatis suæ.*

*17. Seductio Antichristi tangit eos tantum, qui pereunt v. 10. Impossibile enim est, ut seducantur electi* Matth. 24, 24. *Inanis ergo est clamor papicolarum, qui fieri potuit, ut Christus tam diu desereret Ecclesiam suam, & in errorem seduci passus fuerit omnes majores nostros in papatu &c. sed Christus Ecclesiam suam non deserit, sed eam in medio cœtu seductorum conservat: nec seducuntur electi, sed qui pereunt, quibus veritas cœlestis prædicata fuit, ipsi verò recipere noluerunt, ut Paulus loquitur. Hoc Christus deserit, & in erroribus perire sinit, justo judicio, inter quos tamen habet suos, quorum corda in mediis illis tenebris illuminavit, sicut olim septem illa millia tempore Eliæ* 1. Reg. 19, 18. *& sicut pauca habuit nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua* Apocal. 3, 4. *novit enim Dominus qui sunt sui* 2. Tim. 2. *etiamsi nobis sint ignoti.*

*18. Finis prædicatæ veritatis est salus animarum v. 10. unde & Timotheus concionibus suis salvare dicitur & seipsum, & eos qui audiunt ipsum* 1. Tim. 4, 16. *Quibus ergo salus curæ est, amant verbum, verum eius intellectum à Deo petant, factores eius esse studeant, & quæ audierunt, in vitâ exprimant. Hoc est cum mansuetudine suscipere verbum, quod salvare potest animas, ut Iacobus præcipit* Jac. 1, 21.

*19. Seductio ac tyrannis Antichristi non est fortuita, sed dependet à decreto Dei, qui hoc medio contemtores verbi sui punit: ideo dicitur immittere efficaces errores, ut judicentur, qui non crediderunt veritati v. 11, 12. Pertinet autem hoc decretum ad voluntatem Dei consequentem seu judiciariam, quâ punit antegressa peccata sæpe aliis peccatis.*

*Horri-*

*Horribilis verò pœna est, non tantum destitui veritate, sed & circumduci mendaciis sub specie veri, quemadmodum Iudæis accidit, qui absurdissima quæq; dogmata suorum Rabinorum pro veritate cœlesti habent, eò quod Evangelium de Christo repudiarunt: Idem experiuntur papicolæ, qui ineptissimis fabellis fidem habent, & superstitiones quasque tanquam de cœlo delapsas exosculantur, ex justo Dei judicio, quod in tanta luce Evangelij oculos claudunt & monstratam veritatem non recipiunt. Hoc judicium Dei justum est, nam qui lucem nolunt, meritò relinquuntur in tenebris: unde Christus: in iudicium veni in mundum, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant,* Joh. 9, 39. *Ambulate ergo in luce, dum lucem habetis, ut tenebræ vos non comprehendant, dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis* Johan. 12, 35, 36.

## ALTERA PARS

### *Textus.*

Ἡμεῖς δὲ ὀφείλομεν εὐχαριστεῖν τῷ Θεῷ πάντοτε περὶ ὑμῶν, ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ Κυρίου, ὅτι εἵλετο ὑμᾶς ὁ Θεὸς ἀπ' ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, καὶ πίστει ἀληθείας.

NOs autem debemus gratias agere Deo semper de vobis, fratres dilecti à Domino, quod elegerit vos Deus ab initio in salutem, per sanctificationem spiritus ac fidem veritatis.

Εἰς ὃ ἐκάλεσεν ὑμᾶς διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἡμῶν, εἰς περιποίησιν δόξης τοῦ Κυρίου ὑμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

14 Ad quod vocavit vos per Evangelium nostrum, in acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi.

Ἄρα οὖν, ἀδελφοὶ, στήκετε καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις ἃς ἐδιδάχθητε εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν.

15 Itaq; fratres, state, & tenete institutiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.

Αὐτὸς δὲ ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, καὶ ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ ἡμῶν ὁ ἀγαπήσας ἡμᾶς, καὶ δοὺς παράκλησιν αἰωνίαν καὶ ἐλπίδα ἀγαθὴν ἐν χάριτι.

16 Ipse verò Dominus noster Jesus Christus, & Deus ac Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam per gratiam.

Παρακαλέσαι ὑμῶν τὰς καρδίας, καὶ στηρίξαι ὑμᾶς ἐν παντὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ ἀγαθῷ.

17 Consoletur vestra corda, ac stabiliat vos in omni sermone & opere bono.

*FInito vaticinio de Antichristo, jam exhortationem addit Apostolus, ne tam tristi rerum statu offendantur Thessalonicenses, sed in bono constantes perseverent, quo nomine preces pro ipsis apud Deum interponit. Propositio exhortationis extat v. 13.* State in bono, & tenete doctrinam quam à me percepistis: *ratio est, quia à Deo electi & vocati sunt ad gratiam, & gloriam cœlestis vitæ. De electione prius agit v. 13.* Nos autem debemus gratias agere Deo semper de vobis, fratres dilecti à Domino, quod elegerit vos Deus ab initio ad salutem per sanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati. *Opposita sunt hæc verba præcedenti descriptioni Antichristi: pios enim longè aliter comparatos esse docet, quàm eos, qui Antichristum sequuntur: idq; proponit formulâ gratiarum actionis, agnoscens Dei beneficium, quod suos carissimos in ista periculosissima tempora incidere non permisit. Duobus autem modis eos à colluvie Antichristianorum distinguit: 1. electione, 2. vocatione, & sic totum negotium salutis nostræ in*

compendium quasi contrahit. Initium salutis est Electio, quæ facta ἀπ' ἀρχῆς: latina versio legit ἀπαρχὰς, ideo reddit primitias: sed malè: quia notatur hic tempus quando facta electio, nimirum ab initio mundi, vel ut alibi loquitur, ante constitutionem mundi Ephes. 1, 4. Subjectum electionis non complectitur totum mundum, sed dilectos in Domino; in Epistola ad Eph. v. 6. cap. 1. vocat κεχαριτωμένους gratos & acceptos redditos: hic dicuntur ἠγαπημένοι, quæ vox alias generalis est, etiam impios complectens: nam totum mundum Deus ἠγάπησε Johan. 3, 16: hic verò in specie usurpatur de electis. Causa electionis nostræ est dilectio seu misericordia Dei, qui absq; intuitu operum nostrorum homines ab æterno elegit. Finis electionis est salus æterna. Deus enim extraxit vos ex gurgite idololatriæ gentilis & malitiæ ignorantiæque naturalis, sibique totos consecratos ad salutem consequendam ordinavit. Causa meritoria notatur his verbis: per sanctificationem Spiritus. *Ita exponit Beza, Flacius & alij.* Referunt nonnulli hanc sanctificationem ad effectum Electionis seu studium bonorum operum, quæ excitantur à Spiritu S. in electis, unde electio ipsorum nota fit in mundo: quæ sanè interpretatio improbanda non est: Deus n. neminem salvare decrevit, nisi qui per Spiritum S. sanctificatur, & in bonis operibus. Rectius autem hic intelligitur non sanctificatio operum nostrorum, sed ea, quæ fit per Christi meritum, seu imputata sanctificatio, qualis ἁγιασμὸς intelligitur 1. Cor. 1, 30. ubi Christus nobis à Deo factus dicitur sanctificatio. Nam cum Deus nihil habeat commercij cum impijs, salvare decrevit non quosvis, sed quorum corda sunt sanctificata per Christum, & sic Christi meritum ingreditur decretum electionis ab æterno tanquam causa meritoria, quemadmodum in tempore, in executione

istius

istius decreti, quæ per justificationem & salvationem fit, reperitur. Cum hac sanctificatione conjungitur operatio Spiritus S. qui nos per verbum illuminat & regenerat, ut sanctificationem illam Christi merito partam apprehendere possimus. Sed & instrumentalis causæ mentio fit, quia dicit Paulus electionem factam in fide veritatis, sive justificantem fidem intelligat, sive fidem habitam veritati in Evangelio, perinde est. Notat enim Paulus ὄχχανον, quo Christus in Evangelio propositus apprehenditur, quod fides est, quæ objecti loco habet veritatem in Evangelio propositam, & non est ficta seu hypocritica, sed bonis operibus semper fœcunda, unde vera fides dicitur. Quemadmodum ergo Deus in tempore non nisi fidem veram in Christum habentes salvat: ita & non nisi fidem illam habituros ab æterno salvare decrevit: unde Paulus alibi scribit; elegit nos in Christo Ephes. 1, 5. qua voce & meritoriam salutis nostræ causam & instrumentalem simul complectitur, quia Christus absque obedientia patri præstitâ, & absque fide obedientiam illam apprehendente nihil nobis prodest. Hæc de electione hoc in loco. De vocatione sic scribit: Ad quod & vocavit vos per Evangelium nostrum, in acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi v. 14. In græco est εἰς ὃ in quod, & refertur ad totam superiorem sententiam, scilicet, ut credatis, & sanctificemini tandemque salutem æternam consequamini, ad hoc vocavit vos: nonnulli codices habent εἰς ἣν scilicet σωτηρίαν. Medium vocationis est Evangelium Pauli, seu quod à Christo jussus ipse docuit, non quasi ipse doctrinam hanc excogitavit: legatione enim functus est pro Christo 2. Cor. 5. Finis vocationis est περιποίησις δόξης χριστοῦ, adqui-

*sitio & participatio gloriæ Christi, cohærent enim Christus & fideles tanquam caput & membra, ideo Christus è medio cætu afflictorum electos suos evocavit in mundo, ut tandem cum ipso gloriâ ac honore afficiantur. Propter hanc ergo electionem & vocationem suam jubet eos consistere, seu permanere eâ in doctrina, quam ab ipso didicerant; quæ est propositio primi membri in hac parte capitis:* Itaque fratres state, *ait*, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram v. 15. *Traditionis verbum pro doctrina accipi, notum est ex Gellio lib. 13. noct. Attic. cap. 21. interdum significat ejusmodi doctrinam, quæ à majoribus accepta per manus quasi tradita est, quemadmodum Cotta apud Ciceronem lib. 3. de nat. deor. hoc unico satis probari, deos esse dixit, quod majores ita tradiderunt. Interdum est doctrina Ecclesiæ viva voce tradita ut 1. Cor. 11, 2. interdum etiam scripto comprehensa ut hoc in loco, ubi traditio per sermonem facta, & per epistolam, conjunguntur, utroq; autem intelligitur doctrina Evangelij, in qua ipsos & coram & postea per epistolam præcedentem instituerat. Dum ergo eos in hac doctrina stare, eamq; tenere jubet, tacitè innuit, fuisse, qui seducere ipsos voluerunt, quibus ne ad horam cedant, monet, & ad veram in fide constantiam hortatur. Cum autem constantia hæc non sit humanarum virium, precatur eam à Deo:* Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, & Deus Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam in gratia exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono v. 16. & 17. *Conjungit in precibus more suo Dominum Iesum & Deum patrem, non ut diversas naturas, sed ut distinctas personas, ex quibo Iesus consideratur ut causa me-*

*ritoria,*

*ritoria, ob quam preces nostræ exaudiuntur. Ipse enim est Dominus noster, quia patrem placavit, & nos in libertatem filiorum Dei asseruit. Deum patrem describit tribus epithetis, ut majori cum fiduciâ eum compellemus & de exauditione certi simus: 1. vocat patrem, qui diligit nos: ergo nos admittet ut filios. 2. dedit consolationem æternam, nimirum per Spiritum S. qui testimonium dat spiritui nostro, quod simus filij Dei Rom. 8. & hac ratione fiduciam, quam habemus ad ipsum, confirmat. 3. dedit spem bonam in gratiâ, quia per multas tribulationes contendendum est ad regnum Dei, ideo spe melioris boni opus erat, quem dedit nobis Dominus, & quidem spem bonam, quæ non fallit. Ad hunc ergo Deum patrem in filio suo Domino Iesu Christo, preces suas dirigit. Materia precum est confirmatio in bono opere & sermone, h. e. ut ea quæ corde credimus, & verbis profiteamur intrepidi exprimamus in omni vitâ sinceri.*

## PARAPHRASIS HVIVS PARTIS.

ETsi verò tam tristia erunt tempora; vos tamen eam quam à me didicistis doctrinam, constanter retinete, quia electi estis à Deo ab omni æternitate, ad salutem æternam, tanquam dilecti Dei filij, sanctificati per fidem sinceram in Christum: quo nomine Deo meo gratias indesinenter ago. Quin & propterea vocati estis ad Ecclesiam per prædicationem Evangelij à nobis factam, ut participes gloriæ Christi fiatis in vita æterna. Propter hanc ergo electionem & vocationem vestram constantes manete, & quæ à

nobis didiciſtis, tàm coram voce mea, quàm abſentes per epiſtolam, firmiter retinete. Quod cum non ſit in veſtris viribus, Deum patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui vos paterno complexus eſt amore, & æterno vos refecit ſolatio, & exoptata exhilaravit ſpe, ſuplex veneror, ut vos confirmet, quod ea, quæ credidiſtis, in omni vita veſtra opere & ſermone exprimatis.

## QVÆSTIONES EX HAC PARTE CAPITIS.

### QVÆSTIO I.

Cum electi dicamur in fide veritatis v. 13. rectenè hinc colligitur, Deum in decreto Electionis incluſiſſe etiam fidem?

*Reſp. Abſoluti decreti de electione noſtrâ patroni, negant fidem ingredi electionis decretum, ſed pertinere patant ad effectum ejus, ſeu exſequutionem in tempore factam: quibus nos opponimus omnia ea dicta, quibus expreſsè dicitur, fidem eſſe electorum Dei* Tit. 1, 1. *Deum elegiſſe divites in fide,* Jacob. 2, 5. *Deum elegiſſe in Chriſto eos, qui ſperaverunt h. e. crediderunt in Chriſtum* Eph. 1, 12. *& in hoc noſtro textu:* elegit vos Deus in fide veritatis. *Quid ad reliqua dicta reſpondeant adverſarij, non eſt hujus σκιζειν. Ad præſentem locum reſpondet Polanus in diſp. de Elect. noſtra cauſa efficiente th. 31.* Paulus non docet electionis cauſam inſtrumentalem eſſe fidem, ſed ſalutis cauſas efficientes eſſe ſanctificationem Spiritus & fidem habitam veri-

tati:

tati: *& addit rationem:* Si enim sanctificatio Spiritus non est sufficiens causa electionis, tum nec fides, quia Apostolus utrumq; conjungit: at sanctificatio Spiritus non est efficiens causa electionis, quia sumus electi ante jactum mundi fundamentum, at in tempore demum per Spiritum S. sanctificamur. *Verùm respondendum est, (1.) quod Paulus agat de causis electionis nostræ manifestum est, quia gratias acturus Deo, quod elegerit Thessalonicenses, mox addit finem electionis, nimirum ad salutem, & causas electionis, nimirum in sanctificatione Spiritus & fide veritatis. Non agit directè de causis salutis, sed de causis Electionis. (2.) nulla est consequentia, Paulus agit de causis salutis: ergo non de causis electionis: quia causæ sunt utrobiq; eædem, & absq; controversia verum est, Deum eodem modo, & ijsdem causis salvare decrevisse ab æterno, quibus salvat in tempore, tantùm hoc manet discriminis, quod causæ salutis in tempore reperiantur actu in electis; ab æterno verò nondum quidem actu adesse poterant, in intuitu tamen Dei, cui omnia sunt præsentissima, considerabantur. Cum enim eligeret homines ad salutem, non quatenus homines sunt, aliàs omnes electi essent, sed quatenus peccatores, aliàs illo electionis decreto opus haud fuisset, quia ad salutem omnes condere jam decreverat; utiq; considerabat Deus in æterno illo suo decreto causas illas, ex quibus salus peccatorum fluit, nimirum meritum filij sui, ideo in Christo electi dicimur* Eph. 1, 5. *& fidem Christum apprehendentem, ideo in fide veritatis eligimur.* 2. Thess. 2, 13. *In quibus ergo hæc reperturus erat Deus, id quod ipsum latere non potuit, hos & non alios salvare decrevit, h.e. ad salutẽ elegit. Unde Fulgentius scribit:* Deus prædestinavit ad regnũ, quos ad se præscivit misericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in se miseri-

cordiæ

cordiæ subsequentis auxilio mansuros. 3. quid per sanctificationem spiritus intelligat Apostolus, in explicatione textus diximus. Notat τάξιν illam, quam in eligendo respexit Deus ab initio, videlicet ut Spiritus S. per verbum nos illuminet & regeneret, quo sanctificationem per Christum partam apprehendamus, sine qua in numero Electorum esse nemo potest, eaq; dignè vivat. Qui ἁγιασμὸς secutus quidem est in tempore respectu actus, nihil verò obstat, quin ratione intuitiva decretum electionis ingredi potuerit. Quemadmodum enim Deus non elegit homines ab æterno actu jam existentes, sed demum futuros, ita & fidem & sanctimoniam in homine respexit non actu jam existentem, sed in electis suo tempore futuram. In omnibus ergo dictis, quæ fidem jungunt cum electione, non tantum intelligenda est nota quædam electorum in tempore, ut volunt Adversarij: Sed pars ordinis in decreto electionis æternæ, sive causa instrumentalis, in tempore actu subsequuturæ, quam Deus omniscius ab omni æternitate prævidit. Et hæc doctrina neq; plenè, neq; semiplenè Pelagianismo favet, ut calumniantur adversarij, quia nullo modo fidem causam facimus meritoriam Electionis, ut Pelagiani faciebant: neq; idem est, propter Christum fide apprehensum eligi, ac propter fidem, ut pueriliter ineptit Polanus, confundens meritoriam causam cum instrumentali, sicuti neque Pelagianum est dicere, nos per fidem in Christum justificari; neq; unum atq; idem est propter Christum fide apprehensum, ac per fidem in Christum justificari aut salvari.

## QVÆSTIO II.

Numquid ex eo, quod Electio facta scribitur κλῆσις v. 13. colligi potest, quod electi à vera

doctri-

doctrina nec totaliter nec finaliter deficere, nec salute excidere possint?

*Resp. Ita quidem colligit Quirinus Reuterus in comment. super hanc epistolam, sed absq; probabili ratione. Nam etsi decretum illud Dei æternum est, & proinde mutari non potest, non tamen sequitur, quod electi planè non seduci, labi aut errare possint, sed hoc tantum, quod perire non possint: nam ad salutem sunt electi, & si non salvarentur, non essent electi. Etsi ergo gravissimè labantur & errent, quod exempla primorum parentum, Aaronis, Davidis, Petri, & aliorum testantur, Deus tamen semper supponit manum suam, ex lapsu eos erigit, & in bono ad finem usq; custodit, & hoc sensu dona ejus sunt ἀμεταμέλητα, & sic orat Christus, ne deficiant finaliter, quemadmodum & pro Petro rogavit, ne deficiat fides ejus, quam tamen ad tempus defecisse, Evangelica historia testatur: ἀμεταμέλητον ergo est Dei electio, qua statuit salvare eos, qui credunt, & in fide ad finem usq; vitæ perseverent: immutabilia manent hæc, etiamsi homines mutantur, & aliter atq; aliter se habeant. Nam & electi sunt homines, qui labi, errare, decipiq; possunt, sed in errore lapsuque suo non persistunt, sed per pœnitentiam maturè ad frugem redeunt; & hoc est, quod vulgò dicitur, electos totaliter quidem, sed non finaliter à fide deficere posse: Si enim pœnitentiam à lapsu non agerent, in electorum numero nunquam fuissent.*

## QVÆSTIO III.

An distinctio Pontificiorum inter verbum scriptum & non scriptum locum habet in textu

Paulino, ubi jubentur Thessalonicenses retinere traditiones sive per sermonem sive per epistolam acceptas v. 15.

*Resp. Magnum præsidium Traditionum non scripturarum in hoc loco Apostoli nostri quærunt Romanenses. Nam cum Apostolus nos remittat non tantum ad Epistolam, tanquam ad scripturam, verum etiam ad sermonem, colligunt inde, ea quæ ad salutem necessaria sunt, non omnia scripta esse, sed multa etiam vivo sermone tradita, & per manus quasi ad posteros propagata: unde distinctio postea inter verbum scriptum & non scriptum orta est: vide Bellarminum lib. 4. de verbo Dei cap. 5. & Adamum Tannerum in Colloq. Ratisb. sess. 11. pag. 325. & seqq. Responsum est à nostris jam pridem, Paulum non de diversa doctrinâ agere, sed de distincto modo docendi. Non enim alia scripsit in Epistola, quàm vivo sermone docuit, ideo sua vult teneri & non extranea superaddi, ut explicat Primasius. Docuit nos Evangelium* 1. Thess. 1, 5. 2, 48. 3, 2. *sed aliud Evangelium non est, quàm quod scriptum est* Gal. 1, 8, 9. *ergo Evangelium per sermonem traditum, idem est cum eo, quod per epistolam repetijt. Bellarminus vocat expositionem ridiculam,* (1.) quia illa particula distinctiva, Sive, apertè indicat diversa esse quæ tradiderat, & quæ scripserat. (2.) quia si ita esset, deberet Epistola utraque ad Thessalonicenses continere omnem doctrinam quam Apostolus illis prædicaverat, seu totum Evangelium; vix autem centesimam partem illius doctrinæ continet epistola illa prior ad Thessalonicenses. *Resp. ad 1. Etsi dicere possemus, particulam* sive *non esse disjunctivam, sed copulativam, pro ut usurpatur* 1. Cor. 13, 8. 15, 11. *ita ut sensus sit,* te-

nete doctrinam, quam & viva voce & per literas à me accepistis; posito tamen, disjunctivam esse, non tamen diversam distinguit doctrinam, sed diversum docendi modum, ut supra diximus: à modo autem docendi ad doctrinam ipsam argumentari, vel contra, planè est ἀσυλλόγιστον. Ad 2. resp. Paulus indefinitè loquitur de traditionibus suis h.e. de doctrina quam Thessalonicensibus tradiderit, non expresse de doctrina Evangelij, inprimis autem doctrinam de novissimis temporibus, & postremo Domini adventu intelligit, quam doctrinam & per sermonem & per epistolam jam antè ipsis proposuerat. Quod si maximè doctrinam hanc de toto Evangelio Pauli intelligas, falsissimum tamen est, quod Iesuita scribit, epistolam illam priorem vix centesimam ejus partem complecti. Nucleus enim doctrinæ Evangelicæ est, electio ad vitam, & conversio hominum gratuita à simulacris ad serviendum Deo, & liberatio ab ira venturâ per Iesum Christum filium Dei: quam doctrinam satis clarè tractat Paulus cap. 1. illius epistolæ v. 10. Si de singulis capitibus doctrinæ Evangelicæ, sicut ea à Christo & Apostolis tradita fuit, loquamur, non negamus, ea omnia & singula in priori Epistola ad Thessal. non contineri: Inde verò concludere non licet, quod traditiones non scriptæ, prout hodiè urgentur in papatu, sint necessariæ. Nam tunc temporis, cum præter Epistolam synodalem Apostolorum & primam ad Thessal. non esset aliud scriptum Novi Testamenti fieri aliter non poterat, quin suppleretur iste defectus vivo sermone; Hodie verò postquam ille scripturæ N. T. canon plenè constitutus est, alia est ratio: jam enim nihil prorsus deest ad salutem necessarium, quod in scripturâ Apostolicâ non contineatur: Idcirco non est opus verbo non scripto. Ideo sub finem vitæ suæ Apostolus de sola sacra scriptura scribit, quod utilis sit ad docendum & perfectum reddere possit hominem

*Dei, nulla prorsus facta mentione traditionum non scriptarum* 2. Tim. 3, 16. *Præterea potuit eadem esse Apostoli doctrina per sermonem & per epistolam tradita, licet ipse non apud omnes & in omnibus Ecclesijs eodem modo docendi usus fuerit: sed eadem docere potuit in hac Ecclesia, viva voce, quæ in epistolis ad alias Ecclesias repetijt. Denique sermone vivo docere potuit Paulus Thessalonicenses Evangelium, quod non quidem ab ipso; ab alijs tamen vel fuit scriptum, ut in Epistola Synodica ab Apostolis* Act. 15. *vel postea ab Evangelistis in historia sacra scribendum. Non ergo licet ex disjunctiva Pauli conclusionem inferre copulatam, ut Iesuita satis versutè facit. Ad hoc postremum regerit Bellarminus:* in hoc ipso capite Apostolus dicit, se illis prædicasse de Antichristo, & præterea docuisse quando esset venturus: hoc autem nunquam scriptum est, quando scil. Antichristus sit venturus. Ergo prædicavit Paulus aliquid divinum quod non scriptum est. *Sed hoc manifestè falsum est: nam in hoc ipso capite scriptum est, quando venturus sit Antichristus, nimirum, cum venerit defectio à fide, & cum id quod detinebat, è medio factum fuerit, v. 6. hoc ipsum viva voce se docuisse testatur v. 5. momentum ipsum illius adventus nusquam docere voluit Apostolus, nec per sermonem nec per epistolam; satis erat, eum evidenti quodam signo notasse: id quod & per sermonem jam ante, & jam per hanc epistolam factum est. Non dicam, quod hæc notatio temporis venturi Antichristi non sit articulus fidei, sed circumstantiam quandam duntaxat notat. Nihil ergo inde probat Iesuita, quasi aliqua scripserit Paulus in rebus fidei, ab ijs, quæ viva voce tradiderat, diversa & aliena: id quod probandum erat, si ex hoc loco Apostolico traditionum suarum seu verbi non scripti præsidium petere velit. Contrarium potius ex*

*hoc lo-*

*hoc loco liquet. Hoc enim reprehendit Apostolus in Thessalonicensibus, quod fidem habuerint ijs, qui jam tum instare diem Domini, idque sub prætextu traditionis Apostolicæ clamitabant: quod, cum doctrinæ suæ quam ab ipso hauserant, adversaretur, idcirco monet, ne tam citò dimoveantur à sensu suo v. 2. Unde infallibiliter sequitur, Paulum traditiones eas, quæ doctrinæ Apostolicæ non respondent, prorsus improbasse, quæcunque etiam titulo Ecclesiæ obtrudantur.*

## QVÆSTIO IV.

Numquid omnes traditiones, quocunque tandem nomine veniant, ex Ecclesijs reijciendæ sunt, ut soli Sacræ scripturæ sua constet autoritas?

*Resp. Supra diximus, traditionis vocem significare doctrinam, sive viva voce, sive per literas à majoribus acceptã, estque inscripturis N. T. satis tritus hujus vocis usus, ut* 1. Cor. 11, 2. Col. 2, 8. *non ergo possumus traditiones simpliciter ex Ecclesia eliminare. Hic verò discrimine opus est. Sunt enim traditiones de re bonâ, sunt etiam de re malâ, quemadmodum & hæreses & somnia cerebri humani traditiones appellantur* Col. 2, 8. *& hujus generis traditiones quin admittendæ non sint, nemo est qui dubitat. Traditiones de rebus bonis, sunt vel divinæ vel humanæ: divinæ sunt vel immediatè à Deo, ut omnia dogmata fidei & morum divinitus præcepta & instituta, & sic Paulus suum Evangelium traditionem vocat in nostro textu, quia divinitus & immediatè acceperat, ita etiam vocat articulum de resurrectione mortuorum* 1. Cor. 15, 3. *& verba institutionis Cœnæ* 1. Cor. 11, 23. *vel sunt mediatè à Deo per personas divinitus & immediatè*

vocatas, ut sunt Apostoli, unde & Apostolicæ traditiones appellantur, & sunt iterum duorum generum; vel enim versantur circa dogmata, vel circa ritus atq; ceremonias, ad decorum Ecclesiæ ab Apostolis ad tempus introductas, ut ritus de modo orandi & sumendi sacram cœnam 1. Cor. 11, 4, 5. de sanguine & suffocato Act. 15, 20. de institutione diei Dominicæ Act. 20, 7. Apoc. 1, 10. de ordine in conventibus Ecclesiasticis observando 1. Cor. 14, 26. Humanæ traditiones aliàs vocantur Ecclesiasticæ, & sunt consuetudines Ecclesiarum ab hominibus mediatè vocatis, aut etiam à populo communi consensu introductæ, ut est jejunium quadragesimale, consecratio certorum ciborum, signum crucis &c. Ex traditionibus divinis eas retinendas, nec sine vulnere conscientiæ aut crimine læsæ majestatis divinæ negligendas esse censemus, quæ immediatè à Deo sunt, vel ab Apostolis mediatè, ita tamen ut dogmata concernant: ea enim omnia sunt scripturæ consentanea & in ea comprehensa: habentq; Apostoli canonicam autoritatem, ut contra ipsos in rebus fidei statuere non liceat. Eæ verò, quæ ab Apostolis constitutæ sunt, circa ritus & ceremonias, sunt observatu liberæ, & conscientiam non obligant, quia non universæ Ecclesiæ, sed particularibus nonnullis sunt præscriptæ, quæ tamen & alibi utiliter adhiberi possunt, modò temporum & locorum conditio id patiatur, horum enim diversitas variationem in his inferre potest; quidquid contra disputet Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 2. ubi vult omnes Apostolicas traditiones esse omnibus hominibus & omni loco & tempore servandas: Sed refutatur exemplo Act. 15, 29. de sanguinis & suffocati prohibitione, quæ jam ante multa secula desijt. Ecclesiasticæ traditiones, quia ab hominibus mediatè vocatis, qui errare fallereq; possunt, proficiscuntur, ideo sim-

pliciter

*pliciter rejiciendæ sunt, cum vel à scripturâ prorsus alienæ quin & ei contrariæ sunt, vel cum sub specie alicujus necessitatis obtruduntur: ideo vocantur traditiones simpliciter humanæ & non scriptæ, quia ab homine errori obnoxio contra scripturam sunt inventæ: easq; sic definiverunt in Colloq. Ratisbonensi sess. 11. pag. 325.* Per traditiones non scriptas, *inquit Tannerus*, intelligimus ejusmodi quædam præcepta seu constituta, ad fidem seu religionem spectantia, quæ excluſa infallibili autoritate Eccleſiæ in ſcriptura nec apertè exprimuntur, nec ex ea evidenter deducuntur. *Petrus à Soto compendioſius dixit*: Quæcunq; tenet & ſervat Eccleſia Romana, & in ſcripturis non habentur, illa ab Apoſtolis ſunt tradita, *& cum eo ſentit Bellarm. lib. 4. de verbo Dei cap. 9. In harum ergo traditionum cenſum referuntur omnia papiſtarum dogmata, quæ nullum habent fundamentum in ſcriptura, ut Miſſa, Invocatio ſanctorum, calicis Euchariſtici ſubtractio, aqua cum vino mixtio, Chriſma, confirmatio, extrema unctio, purgatorium, & ſimilia ſexcenta: ſumma Eccleſiæ hodiernæ Romanæ ſanctiones & decreta, quæ omnia pari paſſu cum ſcriptura ambulare, ſed ut Concilium Tridentinum loquitur ſeſs. 4. decret. 1. pari pietatis affectu cum ſcriptura ſuſcipienda ac veneranda eſſe ajunt, unoq; vocabulo Verbum non ſcriptum appellant, quod plus virium contra hæreticos habere ſcribit Melchior Canus* lib. 3. locor. theol. cap. 3. *Nos verò ſacris literis edocti hujusmodi traditiones ſimpliciter improbandas & rejiciendas eſſe ſtatuimus, his motivationibus: (1.) quia omnia fidei & morum dogmata ſufficienter in ſcriptura tractantur, unde quilibet, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, abſq; traditionum humanarum additamento, haurire poteſt: ideo ſcriptura utilis eſſe dicitur ad docendum, ad arguendum, ad corrigen-*

*dum*

*dum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne bonum opus instructus* 2. Tim. 3, 16. *quod elogium verbum non scriptum nusquam habet. Et hæc est ratio, quod Deus à verbo scripto nos ne latum quidem unguem discedere, nihil illi addere, nihil inde auferre jubet* Deut. 4, 2. 5, 32. 12, 32. *(2.) quia non satisfaciunt conscientiæ in tentationibus, siquidem ex verbo scripto edocti sumus, frustra coli Deum mandatis hominum* Esa. 29, 13. Matt. 15, 9. *& certum est apud homines pios, quod nulla vel canities, vel Conciliorum decreta articulos fidei condere possint, adeoque nihil tranquillare potest animum in re fidei, quam Prophetica & Apostolicæ Scripturæ consensus, quæ propterea fundamentum Ecclesiæ appellatur* Eph. 2, 20. *Neque juvat Pontificios, quod traditiones perpetua successione Episcoporum à tempore Apostolorum stabiliunt: nam præterquam, quod illa successio adhuc incerta est, constat insuper etiam Iudæos & Turcas eodem pacto suas stabilire traditiones, contra quas disputare etiam fas non sit, quia longo temporum tractu, & continua suorum Rabbinorum atque Muphtim successione roborata putant: nihil ergo obstat, quin æquè Iudæorum vel Turcarum, ac papicolarum tradita pro verbo non scripto habeamus, cũ conscientia hominis pij videre non possit, cur hæ illis præferantur. (3.) quia traditiones humanæ introducunt dogmata scandalosa & noxia, adeoque tranquillum Ecclesiæ statum turbant, qua de re jam dudum Egesippus conquestus est, apud Eusebium* lib. 3. cap. 32. *Nam prætextu traditionum paternarum introducta est secta Chiliastarum teste Eusebio* lib. 3. hist. Eccles. cap. 36. *Schisma Quartadecimanorum, de quibus Epiphan.* hær. 50. *Evangelistarum quoque scriptis adulterina alia supposita, ita ut communi Ecclesiæ consensu regulam opponere necesse fuerit, quod nimirum traditiones nullæ,*

*quæ*

*quæ sub Apostolorum titulo & nomine jactentur, recipiendæ sint, quæ non scriptura comprehensæ, & illi sint consentaneæ, teste Irenæo* lib. 4. adv. hær. cap. 63. *qua regula Antiquitatis quæstionem hanc finimus, verbumq; non scriptum autoribus suis remittimus, memores fulminis illius Apostolici, quo D. Iohannes, universum codicem Biblicum quasi consignavit:* Contestor omni audienti verba Prophetiæ libri hujus, si quis apposuerit ad hæc: apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: & si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus: auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate sancta &c. Apocal. 22, 19.

## Aphorismi locorum communium ex hac parte Capitis.

*1. Non solùm ministrorum verbi, sed & quorumlibet piorum est, ad exemplum Pauli grates agere Deo, pro felicitate proximi spirituali v. 13. idq; facere debent, propter pietatem in Deum, à quo omne bonum nostrum esse sciunt; propter caritatem in proximum, quæ congaudet veritati* 1. Cor. 13, 7. *propter commodum etiam proprium: hujusmodi enim gratiarum actio est beneficiorum Dei consideratio, quibus suam exornat Ecclesiam, id quod animos fidelium mirificè recreat. Ita Filius Dei ipse non sine animi lætitia gratias egit æterno patri pro cursu Evangelij Luc. 10. & Paulus ferè semper in exordijs suarum epistolarum, alios etiam, ut hujus rei memores sint, hortatur* Eph. 2, 11. *Inprimis autem, quos Deus ab insidijs Antichristi tutos præstitit, gratias agere debent Deo, & in agnita doctrina cœlesti perseverare, omniq; vita sua testari, se Christo soli ex animo adhærere, pro cujus glo-*

*ria etiam ad sanguinem usq; decertent, & Antichristo animosè se opponant.*

*2. Electio nostra ad salutem summum est Dei beneficium, quo nobis salus ante jacta mundi fundamenta destinata est, quæque nos ab omni seductione Antichristi alijsq; animi periculis tutos præstat. Impossibile enim est electos seduci in errores ut pereant* Matt. 24,24. *& quis accusabit electos Dei? Deus est qui justificat.* Rom. 8, 33. *Est autem electio nostra gratuita, quia facta ab initio mundi, antequam boni vel mali quidquam fieri à nobis poterat* Rom. 9, 11. *Soli ergo Deo adscribendum est hoc tantum beneficium, quod Paulus prædicat, quoties electionis nostræ meminit.*

*3. Electio etsi gratuita est, non tamen absoluta, sed certum includit ordinem, cujus hic aliquot exprimuntur partes, (1.) Sanctificatio Spiritus, quæ complectitur meritum Christi, quo purificantur corda nostra. (2.) fides veritatis, qua Christus apprehenditur. Nam quemadmodum extra Christum nulla salus est, sic absq; eo quoq; electio non fit ad salutem: ideo in Christo dicimur electi* Eph. 1. v. 4. *(3.) Vocatio ad Ecclesiam per prædicationem Evangelij, nam quos prædestinavit, hos etiam vocavit* Rom. 8, 30. *(4.) glorificatio, nam vocavit nos in adquisitionem gloriæ Christi, unde Paulus l. d. quos prædestinavit, etiam glorificavit. Apparet hinc, electionem non esse universalem omnium simpliciter hominum; sed earum tantum, qui sunt sanctificati Spiritu Christi, qui habent fidem in Christum, qui vocati per Evangelium, qui hanc vocationem sequuntur, & æternum cum Christo glorificantur. Ex his & similibus scripturæ locis deprompsit Formula Concordiæ octo illa decreta Dei, quæ in electione nostra concurrunt: 1. decretum redemtionis. 2. decretum vocationis. 3. decretum illuminationis. 4. decretum justificatio-*

Vide form. Concord. edit. Lipsi. in 4. fol. 763.

nis.

nis. 5. decretum sanctificationis. 6. decretum defensionis. 7. decretum conservationis, seu confirmationis in bono. 8. decretum glorificationis. Et hæc omnia conjunctim in Electione considerandæ sunt, ita ut ubi unum horum deest, ibi Electio non reperiatur.

4. Vocatio ad regnum Dei non fit per enthusiasmos aut occultas inspirationes, sed per Evangelium Dei v. 14. h. e. per ministerium verbi, in quo Dei voluntas de salute nostra meritoq; Christi proponitur, & media consequendi ista, monstrantur. Amandum ergo est, ministerium verbi publicum, tanquam vox Dei vocantis nos ad salutem: operaq; danda, ut vocationem nostram firmam faciamus. Nam vocati per Evangelium non sunt unius generis, sed in quintuplici differentia, (1.) quidam sunt κεκλημένοι, qui vocati non obtemperant Matt. 22, 3. Luc. 14, 24. (2.) quidam comparent in Ecclesia, & hi appellantur non tantum κεκλημένοι Hebr. 9, 15. Sed & κλητοὶ Matt. 20 & 22. (3.) quidam veniunt tantum hypocritico animo, ut is in nuptijs regijs veste carens nuptiali Matth. 22. (4.) qui non tantum vocantur sed & renascuntur per verbum, Spiritumq; S. accipiunt, & hi dicuntur divinæ vocationis participes Hebr. 3, 1. ad quos pertinent exhortationes, ut vocatione sua dignè ambulent Eph. 4, 1. & vocationem suam firmam faciant 2. Petr. 1, 10. Sed non omnes parent his Spiritus S. admonitionibus. (5.) Sunt denig; qui vocantur & vocationi parent, eaq; dignè ambulant, alias dicuntur κλητοὶ κατὰ πρόθεσιν Rom. 8, 28. 2. Tim. 1, 9. & hi ijdem sunt, qui electi, de quibus Paulus Rom. 8, 30. quos elegit, hos & vocavit, & in nostro textu, Deus electos in fide veritatis, etiam vocasse dicitur per Evangelium.

5. Evangelium Pauli non est peculiaris doctrina ab ea, quam Christus ipse tradidit, sed est ipsum Evangelium Christi, h. e. doctrina de gratuita remissione peccatorũ, vita & sa-

*lute nobis donata per Christum. Nescit enim Paulus Evangelium aliud, quam quod ab ipso prædicatum est*, Gal.1,7. *Idem ergo est Evangelium Christi & Pauli, non tantum honoris quadam similitudine, sed quia Paulus legatione fungitur pro Christo* 2. Cor.5,20. *idcirco sermo eius non ut hominum, sed ut Dei sermo receptus fuit* 1. Thess.2,13. *Falsum ergo est, quod nonnulli verbum Dei & ministri ita dispescunt, quasi hoc externo tantum homini, quem vocant, prædicetur, illud etiam cor hominis tangat. Contrarium docetur, quoties Evangelium Christi appellatur Evangelium Apostolorum, quoties per verbum ipsorum homines credere, & ipsi per verbum suum se ipsos & auditores suos salvare dicuntur. Unum enim verbum Dei est, quod Deus ministris suis delegavit, quorum operâ efficax esse solet in cordibus auditorum; juxta illud: qui vos audit, me audit* Luc.10,16. *& pulchrè Augustin. lib.1. de consensu Evangelist. cap. ult.* Quidquid caput operante manu facit, hoc caput feciſſe censetur.

6. *In doctrinâ Apostolicâ firmiter & constanter persistendum est, ut tanquam de manu in manum ad posteros transplantetur: ideo* παράδοσις *traditio appellatur v.15. Non enim ad unam tantum ætatem hominum, sed ad omnia tempora pertinet, neque ut Pontificij nonnulli blasphemant, tempori adaptata est scriptura, sed regula perpetua omnium fidelium, quam firmiter manu tenere, & ad seram, si qua futura est, posteritatem propagare debemus. Ideo Paulus alibi monet, ne quovis vento doctrinæ circumferamur* Eph.4,14. *& Timotheum suum hortatur, ut bonum depositum custodiat per Spiritum S. qui habitat in nobis* 2. Timot.1.13.

7. *Consolatio Dei est consolatio æterna v.16. quia est de rebus æternis & semper durat in ærumnis, tandemq; plenè*

consum-

consummabitur in vitâ æternâ, ubi gaudium electorum non aufertur ab ipsis Joh. 16. Qua ratione distinguitur à consolatione philosophica, quæ firmo caret fundamento, idcirco facile perit. Hujusmodi consolationem nobis suppeditat solus liber Biblicus, quem David etiam in pretio habuit, expressè testificans, nisi lex tua consolatio mea fuisset, perijssem in humilitate mea Psal. 119, 92: & unica sententia scripturæ, suavius afficit cor afflictum, quam mille paginæ prophanorum scriptorum, quia in illis est Spiritus Dei vivus atq; efficax tanquam per ordinarium suum organum, ibi sunt divini sermones, & exempla sanctorum, qui & similia passi sunt, & magni solatij participes facti, ut & ipsi consolari possint eos, qui in omni pressura sunt 2. Cor. 1, 4.

8. Confirmatio in bono à solo Deo petenda est v. 27. ipse enim dat & velle & perficere Phil. 2, 13. ipse est autor & consummator fidei Heb. 12, 2. sine ipso neq; sermo noster bonus, neque opera Deo grata esse possunt. Penes ipsum est radicare & fundare nos in caritate Eph. 3, 17. ipso non suppetente manum suam, justius etiam facile collidetur. Ad hunc ergo fundatorem & consummatorem nostrum semper ingemiscamus cum regio Psalte: Confirma Domine, quod operatus es in nobis Psal. 68, 29. & ut habent noti versiculi.

Duc me, nec sine me sine Te, Deus optime duci:
Nam duce me pereo, te duce, salvus ero.

## CAPUT III.

## ARGUMENTUM ET PARTITIO CAPITIS.

*TErtiam partem Epistolæ hoc in capite habemus, quæ tota est παραινετικὴ, constans exhortatione ad fundendas preces pro felici cursu Evangelij, & ad cavendos otiosos ac aliàs inordinatè ambulantes, quos non tantum notari vult, sed & prorsus à societate fidelium, tanquam turbatores boni publici, excludi. Partes duæ sunt:*

In I. jubentur preces fieri pro successu Evangelij, usq; ad v. 6.

In II. otiosi & turbatores publicæ tranquillitatis notari & vitari jubentur, & sic tota Epistola finitur consuetâ salutatione.

## PRIMA PARS.

### *TEXTVS.*

Τὸ λοιπὸν προσεύχεσθε, ἀδελφοὶ, περὶ ἡμῶν, ἵνα ὁ λόγος τοῦ κυρίου τρέχῃ, καὶ δοξάζηται, καθὼς καὶ πρὸς ὑμᾶς.

Καὶ ἵνα ῥυσθῶμεν ἀπὸ τῶν ἀτόπων καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων. οὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις.

Πιστὸς δέ ἐστι ὁ κύριος, ὃς στηρίξει ὑμᾶς, καὶ φυλάξει ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.

1 QUod superest, orate, fratres, pro nobis, ut sermo Domini currat, & glorificetur sicut & apud vos:

2 Et ut eripiamur ab absurdis ac perversis hominibus. Non enim omnium est fides.

3 Sed fidelis est Dominus, qui stabiliet vos & custodiet à malo.

Πεποίθαμεν δὲ ἐν Κυρίῳ ἐφ' ὑμᾶς, ὅτι ἃ παραγγέλλομεν ὑμῖν, καὶ ποιεῖτε καὶ ποιήσετε.

4 Confidimus autem per Dominum de vobis, quod, quæ præcipimus vobis, & facitis & facturi sitis.

Ὁ δὲ Κύριος κατευθύναι ὑμῶν τὰς καρδίας εἰς τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ.

5 Porrò Dominus dirigat vestra corda in dilectionē Dei, & in expectationem Christi.

AD *fundendas preces talis extat* παράκλησις *v.1.* De cætero fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat & clarificetur, sicut & apud vos v.1. *Preces expetit Apostolus pro se suoq; ministerio, quia omnem ejus successum divinæ benedictioni, quæ precibus impetrari poterat, adscribebat. Materia precum triplex est: 1. propagatio Evangelij. 2. illustratio gloriæ Dei per ministerium verbi. 3. liberatio ab hostibus, qui cursum Evangelij impediunt. Primum quod attinet, vult Apostolus, ut verbum Dei currat. Verbum Dei vocat doctrinam à se & συμμύσταις suis prædicatam. Hoc verbum currere optat, h. e. celeriter in mundo propagari. Currere (τὸ τρέχειν) sæpe usurpatur in scriptura de studio & alacritate in re divinâ. Sic benè currere dicuntur, qui in studio pietatis alacriter pergunt* Galat.5, 7. *viam mandatorum divinorum currere dicuntur, qui juxta legem Dei vitam instituunt* Ps.119, 32. *Inprimis currere dicuntur, qui in ministerio strenuam navant operam, sicut Paulus de se scribit, se gloriari, quod non in vanum currerit* Phil.2, 16. & *se non quasi in incertum currere* 1. Cor.9, 26. *Sermo Domini currere dicitur, cum celeri & felici cum successu propagatur ad alios, nec sine fructu prædicatur: est enim in curribus & robur & celeritas, utrumq; tribuitur hac phrasi doctrinæ cœlesti, quæ currere dicitur, cum & subitò ad alios defertur, ita velociter currere dicitur verbū Domini* Ps.147, 15. *& quando*

*virtu-*

*virtute multa prædicatur* Psal. 68, 12. *Hinc Elias vocatur currus & auriga Israelis, quia potenter penetravit doctrinâ suâ in medio Baalitarum, & corda patrum ad filios subitò flexit frustra nitentibus Baalitis* 2. Reg. 2, 12. *Deinde vult Apostolus verbum Dei glorificari, h. e. innotescere multis & cum gratia excipi, tanquam potentia Dei ad salutem omni credenti*, Roman. 1, 16. *tanquam semen incorruptibile, per quod renascimur* 1. Petr. 1, 23. *tanquam verbum insitum, quod salvare potest animas nostras* Jac. 1, 21. *Quæ glorificatio verbi prædicati ad ipsum Deum redundat, qui per hoc medium salutem nostram promovet. Quo in genere ad exemplum Thessalonicensium provocat, non sine singulari ipsorum laude:* sicut apud vos, *inquit, nam quam feliciter & velociter apud ipsos verbum Domini cucurrerit, supra prædicavit*, 1. Thess. 1, 16. seqq. 2, 1. seqq. *ad quod Exemplum alias Ecclesias se conformare exoptat. De tertiâ precum suarum materia ita scribit:* Et ut liberemur ab importunis & malis hominibus, non enim omnium est fides v. 2. ἄτοποι *dicuntur, homines absurdi quoquo modo, qui vel absurda faciunt, vel absurda docent. Hic verò intelliguntur impij, qui prædicantibus verbum & prodesse volentibus molestias creant, quibus hoc nomine gratiam ac reverentiam debebant: quales erant vel Iudæi aperti hostes atq; persecutores Evangelij; vel pseudoapostoli, hypocritæ, qui homines à doctrina Pauli abstrahebant. Absurdum a. est & inconveniens, benefacientibus obstare, & beneficia impedire, quod non nisi negligentes salutis suæ faciunt.* πονηροὶ *dicuntur homines malitiosi, qui salutares admonitiones spernunt, & in malitiâ pertinaciter pergunt. Per hoc impediebatur cursus Evangelij, & intercipiebatur labor Apostoli: ideo liberari ab eis petit, non tantum, quia ita salus Ecclesiæ postulabat, sed &*

*priva-*

*privatam tranquillitatem, quâ in officio suo inprimis opus habuit. Similes ferè preces à Romanis petijt* Rom. 15, 33.

*Rationem hujus petitionis addit*, quia non omnium est fides, *h. e. non omnes hanc à Deo habent gratiam, ut credant Evangelio, sed multi adversantur huic doctrinæ, quales semper reperiuntur in medio Ecclesiæ sinu: ideò semper hac precatione opus est, ut Deus eos arceat, & Evangelium suum ab importunis istis hominibus tutum præstet, ne curriculum ejus perclitetur, & ut ministris ejus labor minuatur. Ne verò malè ominari videatur, quasi ipsi quoq; fidem omnes non habeant, correctionem addit, quia ipsos de conservatione in fide securos facit*: Fidelis autem Dominus est, inquit, qui confirmabit vos & custodiet à malo, v. 3. *Munit eos contra scandalum. Etsi enim plures sunt, qui se opponunt Evangelio: de Thessalonicensibus tamen benè sperat, Dominum non commissurum, ut deficiant ab ea, quam per doctrinam ejus acceperant, fide, vel ut à Malo illo, h. e. à Satana seducti odium contra hanc doctrinam concipiant. Spem hanc inde concipit, quia Deus fidelis est, id est, verax & constans promissis suis, qui semetipsum non negat, nec fideliter ei adhærentes unquam gratia suâ deserit. Qua in re ita eos munit, ut simul ad constantiam in bono tacitè hortetur*: Confidimus autem in Domino, ait, de vobis, quoniam quæ præcipimus, & facitis & facietis v. 4. *Laus hæc est, sed speciem exhortationis habet, ut in observantia præceptorum Paulinorum perseverent; ita nullum erit periculum seductionis. Præcepta verò Paulina complectuntur fidem & dilectionem, in quibus omnibus se nihil reliqui facturos confidit, idque in Domino, qui hactenus ministerio suo apud ipsos successum fuerat largitus, & quem omnis boni autorem atq; consummatorem agnoscebat. Idcirco & voto claudit primam hanc*

κατευθύναι: Dominus autem dirigat corda vestra in caritate Dei & patientiâ Christi v. 5. *Precatur a. eis à Deo directionem cordium in caritatem Dei & in expectationem Christi: ita enim ex græco vertendum erat, h. e. vult ut ardenter diligant Deum, cum quo & dilectio proximi est conjuncta, quia secundum præceptum simile est primo* Matth. 22, 39. *& ut patienter expectent adventum Domini ad judicium, de quo nonnihil solliciti fuerant, ubi larga fidei retributio, & plena à malis liberatio subsequitur. Ad hoc dirigenda sunt corda eorum à Domino, quia in ejus manu solùm sunt corda hominum tanquam rivi aquarum* Prov. 21, 1. *& sine ejus nutu facilè à viâ regiâ deflectimus, præsertim, cum quid propter nomen ejus patiendum fuerit.*

[*Oecum. per Dominum intelligit Spiritum S. quia ejus proprium est cor dirigere, sicut David orat, Spiritus tuus deducat me in via recta Psal. 141. Est ergò hîc testim. S. S. Trinitatis quia Spiritus S. Dei & Christi fit mentio.*]

## PARAPHRASIS HUJUS PARTIS.

Quod restat, carissimi, precibus vestris, quæso, me dignemini, ut verbum Dei ad me prædicatum & cito & potenter passim ubique penetret, quemadmodum apud vos factum: & si importuni & pernicioſi homines id impedire voluerint, ut ab ijs maturè liberemur: Scio enim non omnes hanc à Deo habere gratiam, ut credant Evangelio. De vobis autem benè spero, Deum pro sua bonitate vos ita corroboraturum in fide, ne qua malitia improborum vobis obsit: quoniam de vobis etiam spem concepimus opti-

mam, vos monitis nostris, uti facitis, deinceps etiam parituros. Deum autem precor, ut ipse regat corda vestra, quò in vera erga Deum caritate semper crescatis, & ultimum Christi adventum cum patientiâ exspectetis.

## QVÆSTIONES EX HAC PARTE CAPITIS.

### QVÆSTIO I.

Cùm Paulus precari jubeat, ut liberemur ab importunis & malis hominibus v. 2. quæritur: an & quomodo precari liceat contra impios, cum Christus orare jubeat etiam pro persequentibus & calumniantibus nos Matth. 5, 44. 6, 28. ipse etiam pro crucifixoribus suis oravit. Luc. 23, 34?

*Resp. Vulgò dicitur, finibus pensari officia: neq; enim bonum est factum, quod benè non fit: ita & hic consideratio finium enodat quæstionem. Paulus ipse addit, quo fine orare velit Thessalonicenses contra importunos homines, nimirum ut ab illis liberemur, & ne impediatur cursus Evangelij ab ipsis. Diriguntur ergo preces contra malitiam potius quàm contra hominem, salusque publica magis attenditur, quàm privata. Etsi enim nos importunitatem hominum patienter ferre decet, ne tamen ea noceat Ecclesiæ, orandum est. Sic Christus ipse, qui pro crucifixoribus suis rogavit, non tamen oravit pro mundo,* Joh. 17, 9. *nimirum, ut studia mundi Deo*

*placeant, & divinitus prosperentur, quod sine detrimento Ecclesiæ fieri non potuit, non oravit: sed potius hoc ipso, dum studia mundi detestatur, contra mundū orat, ne ullum experiatur in impijs suis conatibus successum. Sic Paulus qui pro Judæis oravit, pro quibus & anathema fieri voluit* Rom. 9, 3. *contra eosdem votum suum dirigit, ad Galatas scribens; Utinam & abscindantur, qui vos conturbant* Gal. 5, 12.

[*Ita Stephanus orabat pro eis, qui lapidibus ipsum impetebant, de cujus precibus scribit Augustin. Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.*]

*Orant autem sancti pro impijs, non ut Deus impijs eorum consilijs benedicat, sed ut præveniente suâ gratiâ corda eorum emolliat, ad agnitionem peccati sui adducat, meliorem animum inspiret, & sic eos tandem nobiscum salvet: quo pacto preces non ad malitiam sed ad hominem malum diriguntur. In hunc sensum scribit Augustinus in Enchir. cap. 32.* Oramus pro inimicis nostris, ut misericordia Dei præveniat eos, sicut prævenit & nos: *& tract. 8, in Epistolam Johan.* Opta illi (*inimico*) ut habeat tecum vitam æternam: Opta illi ut sit frater tuus. Si ergo hoc optas, diligendo inimicum ut sit frater tuus, & cum diligis, fratrē diligis: non enim amas in illo, quod est; sed quod vis ut sit. *Hæc ille. Sic pro Israelitis oravit Moses, à quibus multas perpessus erat contumelias* Exod. 32. Num. 16. *pro populo suo orare non cessavit Samuel, licet eum absq; causa rejecerint* 1. Sam. 12. *Pro Judæis etiam incurabilibus oravit Jeremias, num fortè adhuc curari queant, donec ipse Dominus precum istarum finem fieri voluit,* Jer. 7. 16. 11, 14. 14, 11. *Stephanus etiam exemplo Christi pro ijs, qui lapidabant eum, oravit.* Act. 7, 60. *De precibus Christi pro suis crucifixoribus scribit Leo serm. 11. de pass.* De hujus oratio-

nis po-

nis potentia fuit, ut prædicatio Petri Apostoli ex ijs, qui dixerunt, sanguis ejus super nos, multorum ad pœnitentiam corda converteret, & uno die baptisarentur ferè tria millia Judeorum, fieretque omnium cor unum & anima una, paratorum pro eo mori, quem proposuerant crucifigi. *Et veteres Christiani pro Imperatoribus publicas fundebant preces, licet in suam perniciem eos conjurasse non ignorarent. Hoc erat eorum conversionem petere, quorum tyrannis ac malitia Ecclesiæ plurimum nocebat. Utrumq; ergo satis commodè in precibus piorum conjungi potest; & liberatio à malitiâ hominum, & conversio malorum, utrumq; fit in commodum Ecclesiæ, & signum est dilectionis Christianæ, quæ & Dei gloriam promovet, & benè vult etiam inimicis.*

## QVÆSTIO II.

Quorumnam hominum est fides, cum Paulus scribat, fidem non esse omnium v. 2?

*Resp. Calviniani respondent, esse fidem tantum electorum, quos Deus absoluto quodam decreto salvare constituit; his solis ipsum dare fidem per verbum, reliquis in fatali illo decreto præteritis non item, quanquam & ipsi verbum Dei audiant: horum enim studium cum divinitus sit maledictum, præposterum esse studium, quemadmodum Rennecherus scribit in aureâ catenâ salut. pag. 166. Et huc congerunt dicta, in quibus fides dicitur esse electorum Dei,* Tit. 1, 1. *credere, quotquot ordinati sunt ad vitam æternam,* Actor. 13, 48. *quidquid datum est Christo à patre, ad ipsum venire* Joh. 6, 37. *quos prædestinavit Deus, etiam vocatos esse, ut credant,* Roman. 8. *ex quibus omnibus inferunt: ergo qui non sunt de numero electorum, ne quidem verè fideles sunt,*

*juxta illud* Joh. 10,26. *vos non creditis, quia ex ovibus meis non estis. Vide Quirin. Reuterum in comment. super hanc epistolam. Verùm enim verò, hoc ante omnia sanctè tenendum est, Deum nemini ex absoluto quodam decreto, denegasse fidem, siquidem omnes vult non tantum salvos fieri, sed & ad agnitionẽ veritatis pervenire* 1. Tim. 2, 2. *ideo & verbum prædicari jussit omnibus* Marc. 16, 15. *& vult, ut omnes ubiq; pœnitentiam agant,* Act. 17, 31. *nec studium, quod adhibetur in audiendo verbo, maledictum est à Deo, sed qui dixit, verbum meum non redibit ad me vacuum* Esa. 55, 11. *Dat virtutem & efficaciam verbo, ut fiat potentia Dei ad salutem in ijs qui audiuut* Rom. 1, 16. *Est ergo auditus verbi ex ordinatione & instituto Dei conferendæ fidei organum, sicut scriptum est* Rom. 10, 17. *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* Rom. 10, 17. *Deus enim non immediatè, sed per verbum suum fidem conferre constituit omnibus qui seriò audiunt illud, & benedictionem ab ipso petunt. Hi enim sunt, quos trahit pater, non arcano quodam fune consilij sui, sed per rete verbi prædicati. Hi veniunt ad Christum, & quamdiu verbi ductum sequuntur, non esurient, neq; sitient, neq; foras proijcientur* Joh. 6, 35, 37. *Ex his colligimus, non solis electis dari fidem, quia hi non soli verbum audiunt: sed multi sunt* πρόσκαιροι, *qui verbum auditum cum gaudio suscipiunt, sed quia radices non habent, tempore tentationis deficiunt* Luc. 8, 13. *quales omnes sunt, qui fidem excutiunt, quod renatis multis accidit, quos, cum ad tempus fide constiterunt, excindi posse Paulus docet* Rom. 11, 22. *reprobi fieri possunt,* 1. Cor. 9, 27. *condemnati* 1. Cor. 11, 32. *omnem antegressam justitiam amittere* Ezech. 18, 24. *Quod autem fides electorum Dei esse dicitur: id* κατ' ἐξοχὴν *fit, quia electi in fide ad finem usque perseverant, & quanquam ad tempus*

*eam*

*eam amittere possint, per pœnitentiam tamen redeunt ad gratiam, & tandem finem fidei, nimirum salutem animarum impetrant. Sicut ergo Baptismus dicitur fidelium baptismus, non quasi hypocritæ verum Baptismum non acceperint: sed quia principaliter ad eos spectat, qui finem baptismi, h. e. regenerationem obtinent: ita etiam de fide sentiendum est. Nihil ergo nobis obstant allegata dicta, quæ loquuntur de electis, & eorum fide, quam non ex absoluto Dei decreto, sed ex ordine illius decreti habent, quo Deus fidem dare constituit ijs, per quæ fidem dare vult, legitimè utuntur: hinc credere dicuntur, quotquot ordinati sunt ad vitam, id est, quotquot ordinem in consilio Dei ad consecutionem vitæ æternæ destinatum secuti sunt: ex ovibus Christi dicuntur esse credentes, quia hi vocem Christi audiunt, per quam datur fides, & ex quo auditu oves Christi agnoscuntur: qui prædestinati sunt, etiam vocati ut credant. Hæc omnia vera sunt de electis, non autem sequitur, quod, qui non sunt de numero electorum, ne quidem verè fideles sint. Nam ab inclusivâ ad exclusivam non valet consequentia: quemadmodum non sequitur, baptismus est fidelium, ergo, qui non credunt, ne quidem verè baptisati sunt: nam & hypocritæ, qui fidem non habent, verum accipiunt baptismum. Concludimus ergo, fidem esse omnium, qui medijs illis, per quæ Deus fidem dare decrevit, legitimè utuntur: licet non omnes fidem retineant ad finem usq;, de quo alia est quæstio.*

## QVÆSTIO III.

Rectenè ex eo quod Paulus scribit, Deus confirmabit vos, & custodiet à malo v. 3. probari potest, fidem semel acceptã amitti non posse?

*Resp.*

*Resp. Qui negant hominem amittere posse fidem & Spiritum S. subinde provocant ad immutabilitatem decreti divini, & ad veritatem Dei: cujus dona sint ἀμεταμέλητα* Rom. 11, 29. *quod fidelis sit, & seipsum non abneget,* 2. Tim. 2, 13. *Sed ad finalem perseverantiam in fide non sufficit immutabilitas veritasq; Dei, quam nemo negat, quia non est electio ad hunc vel illum indeterminatè & absolutè alligata, sed cum ordine media salutis complectente facta. Requiritur ergo etiam constans illorum mediorum usus, ut finalis sequatur perseverantia: qui cum in multis deficiat, ipsam quoq; fidem deficere necesse est. Deus utiq; verax est, & decretum suum nunquam mutat, sed homines sunt mutabiles, qui, licet ad tempus fidem habuerint, si mediis illis, quibus Deus fidem confirmare & custodire vult, uti finaliter desierint, in decreto illo electionis nunquam fuerunt comprehensi; hujus enim summa est, quod Deus omnes sine discretione homines, qui in Christum credunt, & in fide illa ad finem vitæ persistunt, salvare: quodq; omnes qui verbum serio studio audiunt, & sacramentis legitimè utuntur, precibusq; ardentibus beneficium hoc ab ipso petunt, in fide confirmare, & à malo custodire velit, ex quacunq; gente oriundi, cujuscunq; sexus aut conditionis fuerint.*

## Aphorismi locorum communium ex hac parte.

1. *Nullius hominis preces pro felici successu ministerij Evangelici contemnendæ sunt: quia Paulus tam insignis Apostolus hoc nomine suorum auditorum intercessionem sæpiuscule desiderat v. 1. &* ad Eph. 6, 18. Col. 4, 3. *Semper enim sacrificium Deo gratum sunt preces ex pio corde profectæ:*

neq; enim Deus est προσωπολήπτης, ideo & contemtæ plebeculæ preces exaudit. Quamobrem, qui cum fructu præesse vult ministerio Ecclesiæ, & ambiat, & grati beneficij loco acceptet intercessiones suorum auditorum apud Deum: tantum enim laboribus vigiliȳsq; suis efficit, quantum benedictionis divinæ per preces piorum impetrat.

2. Præcipua precum materia sit cursus verbi divini, & liberatio ab omnibus, qui impediunt hunc cursum. Nam verbum est præstantissimus animæ thesaurus, quem David super aurum & topazion diligit, Psal. 119, 127. & Ieremias pro gaudio & lætitiâ cordis sui habet Jer. 15, v. 16. Hoc currit, cum absq; impedimento purè prædicatur, cum prædicatores vincula, & persecutiones nullas pertimescunt, & quando cum voluptate auditur, cum mansuetudine recipitur, & cum patientiâ in nobis fructificat: quod ut semper fiat, quotidie orandum est: nam plantante Paulo, Apollo rigante, solus Deus est, qui dat incrementum 1. Cor. 3. v. 6.

3. Semper sunt, qui cursum Evangelij impediunt, quos Paulus malos & importunos homines nominat v. 2. nam & alijs salutem invident, & ipsi eâ se defraudant: quales erant olim Pontifices Hierosolymitani prohibentes Apostolis prædicare Evangelium Apoc. 4, 18. Tales sunt, qui Evangelium sub odioso nomine hæreseos diffamant, quod Paulo accidit Act. 24, 14. aut qui scandalosè vivunt, occasionem calumniandi præbentes adversarijs, in quibus fructus doctrinæ cœlestis impeditur: vel etiam, qui manifestâ vi Evangelium persequuntur, ut omnes tyranni faciunt, de quibus David Psal. 2, 2. Contra hos tanquam inimicos crucis orandum est, ut Deus nos ab eis liberet, vel cor ipsorum emolliendo, vel consilia prava evertendo, vel potentiam suam in eis declarando: quemadmodum Apostoli contra inhibitionem Concilij

*Hierosolymitani ardentissimas funderunt preces* Act. 4, 24. *idq; præcepit nobis Dominus in petitione prima & secunda orationis Dominicæ, ubi pro sanctificatione nominis divini & adventu regni ejus orare jubemur, quorum utrumq; à malis illis & importunis hominibus præpeditur. Et hoc est Osanna accinere filio Dei ad nos per verbum adventanti ex* Psal. 118, 25. *hoc est, rogare quæ ad pacem sunt Jerusalem ex* Ps. 122, 6. *hoc est osculari filium ex* Psal. 2, 12.

4. *Cum non omnium sit fides, ut Paulus loquitur v. 2. colligimus hinc tria: (1.) fidem non esse opus virium nostrarum sed donum Dei gratuitum, uti scriptura docet* Johan. 6, 29. Phil. 1, 29. *(2.) non omnes esse electos ad vitam, multò minus justificatos, quia electio facta est in fide* 2. Thes. 2, 13. *justificamur quoque fide* Rom. 3, 28. *(3.) non omnium hominum studia placere Deo, ideo mirum non est, quod tam multi sunt reprobi in mundo, quia absq; fide impossibile est placere Deo,* Heb. 11, 6. *neq; mirum, quod juxta Christi vaticinium, caritas frigescit in multis* Matth. 24, 24. *quia fides per caritatem operatur* Gal. 5, 6. *& caritas est ex fide. Rogandus ergo est Deus, ut ipse donet & conservet in nobis fidem, & si quando defrere videtur, subinde eam augeat: vivat etiam in nobis fides, & fructum ferat Deo gratum, ut tandem virtute Dei per fidem ad salutem custodiamur* 1. Petr. 1, 5.

5. *De salute nostra & perseverantia in fide non est dubitandum, quia fidelis Deus est, qui confirmabit nos & custodiet à malo v. 3. Non à nostra virtute dependet vel fides vel salus, sed à Deo promittente, qui & verax est, ut promissa servare velit, & omnipotens, ut possit. Huic ergo firma animi fiducia confidendum, mediis quibus fidem conservare & augere solet, utendum, auxilium q; ejus implorandum, cætera*

*committenda ei, qui & autor & consummator fidei appellatur* Hebr. 12, 2. *qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona sua voluntate* Phil. 2. v. 13. *quique fidelis permanet, negare semetipsum non potest* 2. Tim. 2, 13.

6. *Doctrina Apostolica est regula vitæ nostræ, in qua & quid credendum & quid faciendum sit, præcipitur: & magnam commendationem meretur, si de Ecclesia aliqua dici potest, confidimus, quod quæ præcipimus, & facitis, & facietis* v. 4. *Hæc enim obedientia redundat in ipsum Christum, qui discipulis injunxit, docere suos omnia, quæ mandavit eis,* Matth. 28, 20. *Fructus hujus obedientiæ est amicitia Christi, sicut ipse ait: Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis* Joh. 15, 14.

7. *Deo debetur directorium vitæ nostræ, ut maneamus in caritate Dei, & patienter perferamus adversa: quod Paulus suis precatur* v. 5. *Multa sanè sunt, quæ nos à regia via mandatorum avocant, vel ad traditiones hominum vel ad semitam nequitiæ, vel in errorum bivia, ubi consilia hominum frustra sunt: non enim est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet & dirigat gressus suos* Jerem. 10, 23. *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est, dirigere gressus ejus* Prov. 16, 9. *& à Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam,* Prov. 20, 24. *Ideo orant sancti ex* Psal. 143, 10. *Spiritus tuus bonus deducat me in viam rectam propter nomen tuum, Domine.*

## PARS ALTERA.

Παραγγέλλομεν δὲ ὑμῖν ἀδελφοί, ἐν ὀνόματι τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, στέλλεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ παντὸς ἀδελφοῦ ἀτάκτως περιπατοῦντος, καὶ μὴ κατὰ τὴν παράδοσιν, ἣν παρέλαβε παρ' ἡμῶν.

6. PRæcipimus autem vobis fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubducatis vos ab omni fratre, qui inordinatè ſe gerit, & non juxta inſtitutionem, quam accepit à nobis.

Αὐτοὶ γὰρ οἴδατε, πῶς δεῖ μιμεῖσθαι ἡμᾶς· ὅτι οὐκ ἠτακτήσαμεν ἐν ὑμῖν.

7. Nam ipſi ſcitis, quomodo oporteat imitari nos: quoniam non inordinatè geſſimus nos inter vos.

Οὐδὲ δωρεὰν ἄρτον ἐφάγομεν παρά τινος· ἀλλ' ἐν κόπῳ, καὶ μόχθῳ, νύκτα καὶ ἡμέραν ἐργαζόμενοι, πρὸς τὸ μὴ ἐπιβαρῆσαί τινα ὑμῶν.

8. Neque gratis panem manducavimus à quoquam: ſed cum labore & ſudore, nocte dieque facientes opus, ad hoc, ne cui veſtrum eſſemus oneri.

Οὐχ ὅτι οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν, ἀλλ' ἵνα ἑαυτοὺς τύπον δῶμεν ὑμῖν, εἰς τὸ μιμεῖσθαι ἡμᾶς.

9. Non quod id nobis non liceat, ſed ut noſmet ipſos formam exhibeamus vobis ad imitandum nos.

Καὶ γὰρ ὅτε ἦμεν πρὸς ὑμᾶς, τοῦτο παρηγγέλλομεν ὑμῖν, ὅτι εἴ τις οὐ θέλει ἐργάζεσθαι, μηδὲ ἐσθιέτω.

10. Etenim quum eſſemus apud vos, hoc præcipiebamus vobis, ut ſi quis nollet operari, is nec ederet.

Ἀκούομεν γάρ τινας περιπατοῦντας ἐν ὑμῖν ἀτάκτως, μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους.

11. Audivimus enim quoſdam verſantes inter vos inordinatè, nihil operis facientes, ſed curiosè agentes.

Τοῖς

Τοῖς δὲ τοιούτοις παραγγέλλομεν καὶ παρακαλοῦμεν διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἵνα μετὰ ἡσυχίας ἐργαζόμενοι τὸν ἑαυτῶν ἄρτον ἐσθίωσιν.

12. Iis autem qui sunt istiusmodi, præcipimus & obsecramus per Dominum nostrum Jesum Christum, ut cum quiete operantes, suum ipsorum panem edant.

Ὑμεῖς δὲ ἀδελφοί, μὴ ἐγκακήσητε καλοποιοῦντες.

13. Vos autem fratres, ne defatigamini in benefaciendo.

Εἰ δέ τις οὐχ ὑπακούει τῷ λόγῳ ἡμῶν, διὰ τῆς ἐπιστολῆς, τοῦτον σημειοῦσθε, καὶ μὴ συναναμίγνυσθαι αὐτῷ, ἵνα ἐντραπῇ.

14. Quod si quis non obedit sermoni nostro, per epistolam hunc judicate: & ne commercium habeatis cum illo, ut pudore suffundatur.

Καὶ μὴ ὡς ἐχθρὸν ἡγεῖσθε, ἀλλὰ νουθετεῖτε ὡς ἀδελφόν.

15. Neque velut inimicum habeatis, sed admonete ut fratrē.

Αὐτὸς δὲ ὁ Κύριος τῆς εἰρήνης δῴη ὑμῖν τὴν εἰρήνην διὰ παντὸς ἐν παντὶ τρόπῳ. Ὁ Κύριος μετὰ πάντων ὑμῶν.

16. Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem semper omnibus modis. Dominus sit cum omnibus vobis.

Ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου, ὅ ἐστι σημεῖον ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ: οὕτω γράφω,

17. Salutatio, mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola: ita scribo.

Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν. Ἀμήν.

18. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis, Amen.

Πρὸς Θεσσαλονικεῖς δευτέρα ἐγράφη ἀπὸ Ἀθηνῶν. Ἐν στίχοις ρς.

19. Ad Thessalonicenses secunda missa fuit ex Athenis.

*Sequuntur nunc alia præcepta Apostoli, quibus vitam suorum gubernat. Præcipuè verò otiosos & osores præceptorum Apostolorum vitari jubet:* Denuntiamus au-

tem vobis, fratres, *inquit*, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis v. 6. *Laudaverat eos Paulò antè, quod fecerint omnia, quæ præceperit eis: jam verò laudem illam synechdochicè de quibusdam saltem, & fortè de plurimis intelligendam esse docet: non enim deesse aliquos, qui præcepta & constitutiones Apostolicas parum curarint. Vocat hos fratres inordinatè ambulantes, videlicet sua placita & opiniones præconceptas. Notat enim eos, qui vel persequutionibus istius Ecclesiæ ad paupertatem redacti, vel opinione novissimi diei imminentis, otio se dediderunt, existimantes, pecuniam publicam ideo collectam, ut inde pascentur. Tales erant quidem fratres, h. e. doctrinæ Christianæ sincerè addicti, inordinatè tamen vivebant, quia ordinationi nec divinæ nec humanæ se submittebant, quæ labores homini injungit, & sic Ecclesiam turbabant, plures facilè in hanc sodalitatem fucorum ignavorum attrahentes. Ab his ergo vult, ut se subtrahant reliqui pij & legibus obsequentes nulla cum eis commercia habeant: quod ut faciant, gravissimè eos obtestatur per nomen Domini nostri Jesu Christi, cujus nomine atq; mandato hæc eis injungat. Rationes præcepti tres addit. 1. ab honesto, remittit enim eos ad proprium suum exemplum, quod imitari debeant:* Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos: neque gratis panem manducavimus ab aliquo: Sed in labore & in fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus, non quod non haberemus potestatem, sed ut nosipsos formam daremus vobis ad imitandum nos, v. 7. 8. 9. *Φιλοπονία & ἀυτάρκεια Pauli notatur his versibus, quibus*

*virtu-*

*virtutibus consuluit & famæ suæ, ne videretur avarus, & utilitati Ecclesiæ, ne gravaretur novis sumptibus & impensis, & eò facilius Evangelium gratis ipsis prædicatum reciperent. Idcirco etsi in Apostolatu suo satis occupatus esset, manuario tamen labore etiam victum quærere maluit: fuit enim scenopega* Act. 18, 3. *& exiguo illo, quod manu lucrabatur, contentus erat ad sui sustentationem: didicit enim satiari & esurire, & abundare, & penuriam pati* Phil. 4, 12. *In hoc ergo vult Thessalonicenses esse imitatores suos, ne vel pudeat vel pigeat eos laborum, pro ut cujusque vocatio postulat, idque in hunc finem, ne cui sint oneri. Nam multi sunt, qui vix semisani dies noctesque magno cum labore sibi suisque victum quæritant, ab his si otiosi illi sano corpore, validisq; lumbis alimenta sua petunt, annon onerant fratres? an non pudet ipsos alienis pingue scere sudoribus, cum ipsi laborare possint? Honorificum ergo esset ipsis, imitari magistrum suum, qui, cum jure suo uti, & sumtu Ecclesiæ vivere potuisset, laborare tamen maluit, ne alijs esset oneri; quam suorum laborum causam etiam alibi allegat,* 2. Cor. 11, 7, 8, 9. 1. Thessal. 2, 6. *(2.) altera ratio petita est ab æquo: æquum enim est, ut qui manducare volunt, etiam laboribus victum adquirant: ubi eos ad veterem suam constitutionem revocat:* Nam & cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, non manducet v. 10. *Annotarunt eruditi vetus esse proverbium Hebræorum: Qui non operatur non comedit, quod petitum est ex antiquissimo præcepto Domini, qui voluit, hominem post lapsum in sudore vultus sui vesci pane suo Gen. 3. hinc & gentibus naturâ notũ, inter quos proverbij loco celebratur: qui vitat molam, vitat & farinam: & virtutem posuêre dij sudore parandam: &* μήτε μέλι, μήτε μέλισσαν, neq; mel, neq; apes: *& illud Alexis*

*apud*

*apud Stobæum:*

ὅστις ἥδεται γὰρ ἐδέσμασιν
ἐσημέραι αἰεὶ, ποιεῖν δὲ σπάνιον
ἐπάξιον μηδὲν, πλεονεκτεῖν δ' ὀχολῶν
ἄγνοια τῷ ζῶντι πολεμιώτατον κακόν.

Quicunque enim gaudet cibo
Quotidiè, nec interim quicquam cibo
Dignum facit, sed odiosè ferians
oberrat: infensissimum est vitæ malum.

HÆc etiam gentilibus nota inculcat Apostolus Thessalonicensibus, *ne tolerent eos, qui otiando & naturæ legibus & salutaribus suis constitutionibus vim inferunt. Tertia ratio petitur ab inutili, quia otium trahit secum curiositatem:* Audimus enim, *(inquit)* inter vos quosdam ambulantes inordinatè, nihil operantes, sed curiosè agentes v. 11. *Ne videatur hanc doctrinam apud ipsos temerè tractare, apertè indicat, certissimis rumoribus ad se relatum, multos ibi locorum esse errones & otiosos, qui alienâ quadrâ victitant, & nihil agendo malè agere discant. Fiunt enim* μηδὲν ἐργαζόμενοι, περιεργαζόμενοι, *qua elegantia* αἰτιατικλάσει *nimis verum esse docet* πολυθρύλλητον *illud: otia dant vitia. Nam qui propria non agunt, in alienis sunt curiosi, quod de viduis ignavis etiam scribit* 1. Timoth. 5, 13. *Animus enim hominis semper quærit quod agat, & cum honesta non habet, ad malas artes se convertit. His ergo rationibus laborem eis commendare voluit, concludens hoc præceptum humanissimâ compellatione, ut otium fugiant:* Iis autem *(inquit)* qui hujusmodi sunt, denunciamus & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio

operan-

operantes suum panem manducent v. 12. *Neminem nominatim perstringit, sed in genere de otiosis agit: hos cum increpare posset durius, obsecrat paternè, ut sibiipsis parcant, ne professioni suæ maculam aspergant, ne vindictam Domini Jesu accelerent, hoc enim est, obsecramus in Domino Jesu Christo: præterea unumquemq; ea, quæ sibi demandata sunt, curare jubet, non aliena; & quidem cum quiete vel silentio curare, h. e. ita, ne alienis se immisceat, & sua eò majori cum diligentiâ expediat. Idem ferè supra monuit* 1. Thessal. 4, 11. *Et hoc erat primum ac præcipuum præceptum Apostoli in hac parte capitis, concernens otiosos. Alterum pertinet ad divites: Vos autem fratres,* nolite deficere benefacientes v. 13. *Occasio hujus præcepti sumitur ex priori. Nam quia reprehendit Apostolus eos, qui beneficentia aliorum per otium suum abutuntur: hortatur eos, qui facultates à Deo habent, ne segnescant propter has in benefaciendo, nec pauperum omnino obliviscantur, sed semper benefaciant ijs, qui non ob inertiam, sed ob calamitatem aliquam ad paupertatem sunt redacti. Etsi pigri illi ventres etiam opera nostra indigeant, ne deficiamus benefaciendo eis, ne culpa nostra perijsse videantur. Sicut ergo priori præcepto inertiæ, ita hoc posteriori avaritiæ mederi voluit. Tertiũ præceptum est de observandis contumacibus ac præfractis:* Quod si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate: & ne commisceamini cum illo, ut confundatur v. 14. *Concernit hoc præceptum omnes, qui constitutionibus Apostoli parére recusabant. Hos primùm notandos ait per epistolam, h. e. ad Apostolum referendum erat, quinam ij sint, de quibus ipse postea deliberaturus erat, quid statuendum. Deinde à commercijs & familiaritate cum ipsis abstinendum, & à sancta sua societate ejiciendi, non enim digni conversatione pio-*

*rum sunt, qui monita suorum doctorum contemnunt. Finis hujus pœnæ sit non interitus, sed tantum confusio peccatoris, ut peccatum agnoscat & corrigat: ideo addit, ut confundatur, h. e. ut pudeat eum, quod tam inordinatè & ordine Christiano indignè vixit. Modus quoque hujus admonitionis additur:* Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem v. 15. *Fraterno ergo animo exercenda est disciplina Ecclesiastica, non hostili affectu: semper enim speranda conversio impij, qui frater adhuc est, hoc est, qui non hostiliter impetit monstratam veritatem: nam & fratres errare, decipi, falliq; possunt: ita ergo corripiendi sunt, ut appareat, nos lapsibus eorum non gaudere, sed correctionem desiderare.*

*Finitis his præceptis, votum addit, & ad totius Epistolæ conclusionem properat:* Ipse autem Dominus pacis, *inquit,* det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis v. 16. *Conjungit hoc votum cum adhortationibus, ut ostendat, nihil absq; Dei benedictione in omnibus vitæ nostræ institutis prosperari. Et quia pacem sempiternam eis precatur in omni loco, h. e. in omni vitæ genere, in omnibus partibus vocationis, in omnibus conventibus & consilijs: ideo Deum vocat Dominum pacis, qui & largitur pacem, & amantibus eam benedicit, vitamque nostram ita gubernat, ut pax & concordia inter nos alatur, suoq; favori atq; gratiæ (quæ pacis nomine interdum venit) locus apud nos relinquatur. Hujus denique Domini præsentiam precatur: Omnia enim bona penes eos sunt, qui Dominum pacis secum habent. Voto subjungit salutationem.* Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola; ita scribo. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis. Amen v. 17. & 18. *Apparet*

*hinc*

*hinc Apostolum hoc Votum, gratia Domini nostri &c. quod omnibus suis Epistolis commune est, manu suâ propriâ, unà cum nomine Pauli singulis Epistolis à se scriptis subscripsisse, & hoc quasi sigillo Epistolas suas ab adulterinis, suo tamen nomine sparsis, distinxisse: & Tertullianus lib. de præscriptionibus adversus hæreses cap. 36. testatur, suo tempore authenticas Apostolorum epistolas recitatas fuisse, sonantes vocem & repræsentantes faciem uniuscujusque. Continet autem hæc subscriptio usitatum votum, quo precatur suis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quam nimirum ipse nobis sit promeritus, quæ & conscientias tranquillas, & omnes officij nostri labores faciliores reddit.*

## PARAPHRASIS HUJUS PARTIS.

PRæcipimus autem vobis, cariſſimi, ad mandatum Domini noſtri Jeſu Chriſti, ne quidquam commercij habeatis, cum quoquam, qui Chriſtianus eſſe vult, & tamen tantum ſecundum opiniones ſuas, quaſi ſolutus legibus, vivit, nihil curans præcepta à me vobis tradita. Non enim ignoratis, qualis vita Chriſtianos deceat, quod vel meo exemplo diſcere potuiſtis, qui non otioſus inter vos vixi, neque gratis alimenta mea accepi, ſed ad defatigationem uſque diu noctuque laboravi manibus meis, ne vos in me alendo onerem, non quaſi mihi non liceat ſumtibus veſtris vivere, ſed ut vel meo exemplo vos docerem, otioſos homines vobis tolerandos non eſſe. Idcircò & coràm ſuaſi, ne cui cibum ſuppeditetis, qui laborare noluerit. Compertum enim

mihi est, esse quosdam inter vos errones, qui nihil agendo malè agere discunt. Tales etiam atque etiam hortamur, ex mandato Domini Jesu, ut quæ sua sunt, quieti agant, suisque laboribus victum quærant. Vos autem, carissimi, non tantum vobis parate: sed & pauperibus libenter succurrite. Si qui verò monitis nostris non obediunt, hos per Epistolam mihi indicate, interim à commercio ejus abstinentes, ut pudore suffundatur, quod ordine Christianorum tam indignè vixit. Sed nolite habere eum pro inimico, sed fraterno animo corrigite. Deus autem pacis largiatur vobis pacem & tranquillitatem, ubicunque locorum fueritis. Is sit & maneat vobiscum. Et hac salutatione manu meâ scripta omnes meas Epistolas obsigno, & ab adulterinis discerno. Sit ergo gratuitus Dei favor & misericordia per Christi meritum parta cum omnibus vobis, Amen.

## QVÆSTIONES EX HAC PARTE CAPITIS.

### QVÆSTIO I.

Numquid Ecclesiæ minister ad exemplum Pauli v. 8. labore manuum occupatus esse debet, ne gravet Ecclesiam?

*Resp. Id verò necesse non est: imò labor manuarius impediret officia vocationis: nam sapientia scribæ est in tempore vacuitatis, inquit Siracides* cap. 38, 25. *h. e. otium requi-*

*rit, qui*

rit, qui populum docere debet, & cum D. Petrus vult, ne quid Episcopi faciant turpis lucri gratia 1. Petr. 5, 2. jubet hoc ipso eos stipendijs suis contentos esse, & vitare artes alias, quæ faciunt πρὸς τὰ ἄλφιτα. Paulus etiam Ecclesiæ ministros non vult implicari secularibus negotijs 2. Tim. 2, 4 & unumquemvis jubet suum agere negotium, τὰ ἴδια πράττειν 1 Thessal. 4, 11. generale etiam præceptum est Apostoli: Unusquisq; in qua vocatione vocatus est, maneat 1. Cor. 7, 20. Cum ergo labor manuarius ad vocationem Ministri non pertineat, in eum quoq; se non implicet. Pauli verò exemplum planè extraordinarium est: de quo sciendum (1.) quod non simplici de necessitate manibus suis victum quæsiverit, quasi ad hoc teneretur, sed liberè, in commodum Ecclesiæ suæ, idq; partim ideo, quia tunc nondum erant ærariæ Ecclesiæ publica, unde ordinarium certumq; acciperet stipendium, partim alijs etiam de causis, quas ipse indicat: prima erat, ne gravaretur Ecclesia, quam rationem hoc ipso loco habet: Colligendi enim erant quasi ostiatim sumtus istis temporibus, ad sustentandos Ecclesiæ ministros: cum a. verisimile sit, istic locorum multos fuisse pauperes cives, parcere eis voluit, & manuario suo opificio potius necessaria quærere, quam occasionem de se conquerendi præbere: altera ut haberent inprimis otiosi & ignavi homines apud Thessal. exemplum honestis laboribus se alendi, quam causam etiam hoc in textu indicat: voluit enim omnibus fieri omnia, ut omnes lucraretur, ut ad Romanos scribit cap. 9, 22. & ad Corinthios 1. Cor. 9, 19. tertia: ut facilius reciperetur doctrina Evangelij, quæ gratis prædicabatur, & absque ullâ impensâ auditorum. Facilius enim persuadentur, quæ absq; labore multo, & sumtu nullo adquiruntur, quam quæ magni constant: quarta, ne occasio calumniandi daretur hostibus, quasi novâ suâ doctrinâ expilaret

*hominum loculos, & sic non tam animas, quam pecunias eorum quæreret, id quod sine impedimento Evangelij fieri non potuisset: quam rationem habet* 1 Cor. 9, 12. *Quinta: ne falsis Apostolis suo exemplo ansam quæstus faciendi & expilandi Ecclesias dedisse videretur, quam causam attingit* 2. Cor. 11, 11, 12. *Hæ causæ pleraq; omnes particulares sunt, itaq; comparatæ, ut hanc Pauli consuetudinem non quilibet Ecclesiæ minister imitari debeat vel possit. (2.) Et hoc sciendum, quod Paulus expressè scribit, se stipendium ab Ecclesijs jure petere posse: jure verò suo propter causas indicatas, uti semper noluisse: id enim clarè habet v. 9. nostri capitis, &* 1. Cor. 9, 12. *Si alij, inquit, facultatum vestrarum facti sunt participes, quare non & nos? Sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. (3.) Hoc ipso jure suo usus est interdum, ut quando subsidium ex Macedoniâ missum accepit, & hanc piorum liberalitatem prædicavit* 2. Cor. 11, 9. Phil. 4, 15. *(4.) In genere docet multis argumentis, Ecclesiæ doctoribus stipendia sua non esse deneganda* 1. Cor. 9, 4. *&c.* Gal. 6, 6. *& hoc ipso docuit, exemplum suum non cuilibet Ecclesiæ ministro ad imitandum esse propositum. (5.) Accedunt denig; ipsius Christi & Apostolorum exempla, qui non labore manuum victum quæsiverunt, sed ab auditoribus accepit ipse Dominus subsidium* Luc. 8, 2, 3. *& ut Apostoli quoque acciperent, ederentque, quidquid ipsis apponeretur, jussit, idque ex hoc fundamento, quia operarius dignus sit mercede suâ* Matth. 10, 10. Luc. 10, 7.

## QVÆSTIO II.

Si juxta Pauli regulam, manducare non debent, qui non laborant, v. 10. quid statuendum est de ijs, qui vitam contemplativã (ut vocant) agunt in cœnobijs, aut eremis, ab omni labore divinitus præcepto alieni?

*Resp. Vetus quidem est Cœnobitarum & eremitarum institutum, quod plerunq; ad Paulum Thebæum & Antonium refertur, qui circa annum mundi 300. vixerunt, teste Hieronymo in vita Pauli, qui Thebæum illum principem monachorum nominat, & Ruffino lib. 1. hist. cap. 8. qui Antonium primum eremi inhabitatorem vocat. Eosdem autores monachatus nominat Polydor. Vergil. lib. 7. de rer. invent. cap. 1. & 2. sed quia non quod antiquum, verùm quod antiquissimum, verissimum est: ideo propter solam antiquitatem monachorum ordinem approbare non possumus, cum multa sint, quæ obstant, de quibus, instituti nostri non est, multa dicere.*

[*Priscos monachos persecutionem procellæ ad hoc vitæ genus impulerunt, teste Sozom. lib. 1. hist. cap. 13. & Niceph. lib. 8. cap. 39. Suidas dicit, Antonium eremum petijsse, quod cum rhetorem se profiteretur, & causas diceret, se non satisfecisse huic muneri, videret.*]

*Unum hoc quod Apostolus noster habet, cœnobitas atque eremitas suspectos facit. Nam si manducare non debent, qui non laborant: quo in censu habebimus eos, qui laboribus omnibus quasi nuncium miserunt, idque ex singulari regula & voto? De priscis monachis constat, quod do-*

*cendi*

*cendi laborem non susceperint. Monachus enim (ut scribit Hieron. in Epist. ad Riparium & Desider.) non docentis, sed plangentis habet officium: ab alijs verò laboribus non erant alieni. De ijs enim Augustinus scribit, lib. de erroribus Eccles. catech. cap. 31.* operantur manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & Deo mens impediri non possit. *& Hieron. ad Eustach. opus diei statum est, quod decano redditum fertur ad œconomum. Epiphan. in compend. doctrinæ catechet. de monachis scribit: Artes tenues sibiipsis excogitarunt, ne otiosam vitam degerent, aut panem gravatum ederent. Augustin. in lib. de opere monachorum cap. 17. simpliciter negat, licere monacho ex alieno vivere, licet assiduus sit in orationibus & contemplationibus. De fœminis Deo servientibus scribit: lanificio corpus exercent atque sustentant. Quam procul verò absunt ab his moribus monachorum priscorum moderni? hi inverso rerum ordine docendi officium ad se rapiunt, quod priscis interdictum erat, à laboribus autem manuarijs, quos illi exercebant, magno studio abstinent, plerique verò neq; docendi laboribus neq; alijs se occupari patiuntur, desidiam pro pietate habentes; interea verò in alijs mirificè curiosi, ijs præsertim, quæ ad turbandam pacem publicam, & impediendum Evangelij cursum faciunt, ita ut proverbio dictum fuerit:*

Quidquid agit mundus, monachus vult esse secundus.

*Pigris hisce ventribus jam olim D. Augustinus hunc Pauli nostri locum opposuit: qui non laborat, non manducet. Nam lib. de opere monach. cap. 17. sic scribit:* Quid agant, qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacent, scire desidero. Orationibus, inquiunt, & Psalmis, & lectioni & verbo Dei. Sancta planè vita & in Christi suavi-

tate

tate laudabilis: sed si ab his avocandi non sumus, nec manducandum est, nec ipsæ escæ quotidie præparandæ, ut possint apponi & assumi. Si autem ad ista vacare servus Dei certis intervallis temporis ipsius infirmitatis humanæ necessitatis cogat, cur non & Apostolicis præceptis observandis, aliquas partes temporum deputamus? citius enim exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemtoris.

*Bellarminus inertiæ Monachalis patronus, etsi Monachis licere fatetur, laborare manibus lib. de Monach. cap. 41. tamen mox capite sequenti 42. monachos ad victum labore manuum quærendum non teneri scribit. Etsi verò manuum laborem à nemine simpliciter exigimus, modò aliàs in eo vitæ genere vivit, quod Deo placet, & in quo studijs, consilijs, & alijs officijs, quæ literatorũ propria sunt, Deo proximoq; inservire potest: eo ipso tamen cœnobitæ isti, quod monachi sunt, fateantur, vel ad labores manuum se obstrictos, vel à pristino priscorum monachorum statu & conditione recessisse, & in eo labores neq; à Deo neq; ab hominibus sibi legitimè commendatos affectasse, quales sunt cantillationes statutis horis, Psalmorum murmurationes, quas ipsi vix percipiunt, Psalmos certè non intelligunt, vigiliæ, missæ, & cœteræ* ἐθελοθρησκείαι: *adde & quod nonnulli meris contemplationibus sunt dediti, ubi ne umbra quidem laboris alicujus appareat. Quod si ergo esse volunt, quod præ se ferunt, h. e. Monachi, juxta veterum monachorum præscripta, necesse est, eos laboribus manuum magis esse addictos, quam alios, quos seculares vocant: idq; his de causis: Primò quia primæ institutionis Monasticæ canones atque regulæ præcisè eos ad hujusmodi labores obligant: nam ut supra audivimus, prisci monachi ad certos manuum labores erant obstricti, ac proinde*

Monachi laborare debent.

ob hoc ipsum magis tenentur eos præstare, quam seculares, qui se non ita peculiari regula ac voto obstrinxerunt. Deinde quia monachi vi regulæ suæ omnibus bonis se abdicant, & paupertatem vovent spontaneam, uti notum est, & Bellarminus quasi benè factum defendit, cap. 20. de Monachis. Hujusmodi verò pauperes & facultatibus omnibus destituti, magis laborare tenentur, ut vivant, quam alij, qui operibus abundant, & victum jam paratum habent. Ita enim docuit Paulus Eph. 4, 28. 2. Thessal. 3, 10. Nam valde dilutum est, quod Bellarminus scribit cap. 42. de Monach. Si aliquis possit perpetuò orare, aut legere, & velit id facere, & inveniat, qui eum in tali opere versantem gratis alat, cur non poterit id facere? Responsio in promtu est: quia Deus non vult pigros habere ventres; sed omnibus post lapsum injunxit, ut in sudore vultus edant panem suum Gen. 3. & perpetuò orare ac legere superstitionis est, non præcepti divini, quod & olim in Euchetis & Messalianis hæreticis damnatum fuisse, constat: Si qui ergò essent, qui hujusmodi oratores ac lectores sumtibus suis etiam foverent, ij sumtibus suis homines inordinatos & superstitiosos, in superstitutione suâ confirmarent: quod quia peccatum est, haud immeritò pij omnes à se alienum esse judicarent: & si qui, nescio qua devotione, facere hoc auderent, imbecillitatem suam pro pietate prostituerent. Tertiò, certum est, monachis vi regularum suarum omnem ingenij exercitationem, omnem politiæ administrationem interdictam esse: nam ut supra ex Hieronymo audivimus, non docentis sed lugentis habent officium: Ecclesiasticis officijs non inserviunt, ut est in canone, Non potest & c. causa 16. quæst. 1. & consentit Gregor. epist. 1. lib. 4. nemo inquit potest Ecclesiasticis officijs deservire, & monastica regula ordinatè persistere; multò minus politicis

se im-

*se immiscere, judices esse, forensia negotia aut mercatoria exercere possunt, ut est in can. Monachi à Monasterio caus. 16. quæst. 1. Hieron. epist 4. ad Rusticum etiam rei familiaris curam à monachis alienam esse scribit. Ergo, nisi ἄεργοι & inutilia terræ pondera esse velint, corporaliter eis laborandum est. Ex his omnibus liquet, Monachos hodiernos, vel ad labores adigendos, vel antiquam ordinis sui institutionem reliquisse, & in Pauli regulam quotidie impingere: otium enim Monachale nec Deo placet, nec Ecclesiæ quidquam prodest.*

## QVÆSTIO III.

Numquid excommunicatorum conversatio penitus vitanda, quia de inordinatis hominibus scribit Paulus, ne commisceamini cum illis, ut confundantur v. 14?

*Resp. cum Paulus eos, qui non auscultant sermoni ipsius, per epistolam notari jubet, id de notâ excommunicationis plerique intelligunt. Hujusmodi excommunicatos olim à cœtibus sacris prorsus excludebant, unde sunt ἀποσυναγωγοὶ in Evangelica hist.* Johan. 16, 2. *& cap. 9, 22. quæ vox notat publicâ infamiâ notatos, qui neque ad sacros neque ad politicos conventus admittebantur, tanquam ij, ad quos promissio fœderis non pertinebat, donec cum Ecclesia in gratiam redirent. In veteri Ecclesia Christianorum idem fiebat, ideo Chrysostom. homil. 41. in Matth. fornicatoribus in Ecclesiam ingredi nefas esse scribit: & Tertullianus apologet. cap. 39. summum futuri judicium vocat, si quis*

*ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conventus & omnis sancti commercij relegetur. Sic & conversationes in rebus civilibus cum excommunicatis interdictæ erant: quo nomine Christus arguebatur à Pharisæis, quod cum publicanis ac peccatoribus cibum sumeret,* Luc. 15, 2. *idem constat ex verbis Samaritanæ* Joh. 4, 9. & ex 2. Joh. v. 10. *& ex Isidoro in regula monach. cap. 18. refert Jus canonicum causa 11. quæst. 3. cum excommunicato neq; orare, neq; loqui (nisi quæ ad eandem excommunicationem pertinent) nec vesci liceat. Pontificij hunc rigorem etiamnum observandum censent: excludunt enim excommunicatum à participatione sacrorum omnium, ut & ab omni societate cum hominibus: Et hanc privationem includunt huic versiculo:* Os, orare, vale, communio, Mensa, negatur, *recitante Jodoco Lorichio in Thesaur. theol. voce Excommunicatio fol. 964. Per* (Os) *intelligitur privatio omnis collocutionis, osculorum, amplexuum ut & scriptionis literarum: Per* (Orare) *privatio cultus divini & sacrorum omnium: Per* (Vale) *privatio omnis salutationis, valedictionis, honoris ac reverentiæ, non solum per verba, sed & per gestus & literas scriptas, nisi quis addat, Deus te convertat. Per* (Communio) *omnis intelligitur societas cum alijs, ita ut ne operetur cum alijs, nec in eadem cum ipsis domo habitet, sed sit segregatus ab omnibus. Per* (Mensa) *significatur excluso à convictu, & à toro, ita ut excommunicatus non possit ad convivia vocari, nec cum alijs eidem assidere mensæ. Et qui cum excommunicatis dicto modo conversabatur, is hoc ipso excommunicationem Minorem, quam vocant, incurrebat, nisi vel excommunicati utilitas & conversio, vel ejus officium & aliorum obsequium, vel ignorantia, vel summa necessitas obstet: unde sunt versiculi:*

Hæc

Hæc anathema quidem ſolvunt, nec proſit adeſſe,
Utile, Lex, Humile, Res ignorata neceſſe eſt.

*Sed cum finem excommunicationis attendimus, rigor iſte in nonnullis emendandus eſt, ut & jampridem emendatus. De Judæis refert J. Druſius lib. 4. præter. in cap. 9. Johan. pag. 136. ex R. Juda in lib. Muſar. excommunicatos ſynagogas quidem non intraſſe, ſed templum ingredi eis licuiſſe; & quidem per portam lugentium, cum dicebant Iſraëlitæ aſſidentes portæ:* Qui habitat in hac æde, indicat cordi tuo, ut audias verba ſociorum tuorum &c. *In Eccleſijs Chriſtianorum inprimis adhibita fuit moderatio. Ita enim Concil. Carthaginenſe IV. citante Jure Canon. de conſecrat. diſt. 17. ſtatuit:* Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam uſque ad miſſam catechumenorum, & audire verbum Dei, ſive gentilem, ſive Judæum, ſive hæreticum. *Soliti autem ſunt excommunicatos in peculiari loco in cœtibus ſacris conſtituere, ut præ reliquis dignoſcerentur: habuerunt enim pro qualitate delicti diſtincta loca, quorum unus erat procumbentium, alter precantium, tertius abſtentorum: hic leviſſimus, iſte gravior, ille graviſſimus judicabatur: de quibus vide Socratem* lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 11. *& Sozomen.* lib. 7. cap. 24. *Etſi verò ſeveritas erga contumaces inprimis haud immeritò adhibenda: in omnibus tamen fines excommunicationis non ſunt egrediendi, quiſunt, confuſio excommunicatorum, & converſio, teſte Apoſtolo* 1. Cor. 5, 5. 2. Theſſal. 3, 14. *quos fines nunquam conſequetur excommunicatio, ſi omnis ad ſacra acceſſus, omnis cum hominibus converſatio excommunicatis eſſet interdicta. Ad conventus ergo ſacros, & inprimis ad auditum verbi admittantur, ut pœnitentiam agant, ab Eccleſiæ miniſtris ſeverè moneantur: & quanquam familiaritatem cum ipſis alere,*

*nuptias aut amicitias cum ipsis contrahere nemo debeat in isto excommunicationis statu, non tamen habendi sunt, ut inimici, sed corripiendi ut fratres, dicente Paulo nostro, id quod aliquam saltem cum eis conversationem requirit. Præterea & civilis vitæ conditio docet, non omne consortium cum excommunicatis nobis ademtum esse. Nam cum excommunicatio pœna sit Ecclesiastica, relinquitur excommunicatis aliàs officium suum facientibus honor suus, quem nimirum subditi debent magistratui, parentibus liberi, ne vel ordo Reipub. turbetur, vel στοργαὶ naturales extinguantur. Et quemadmodum Christianis non sunt prohibita commercia cum Turcis aut Judæis; ita nec cum excommunicatis, modò nimia vitetur familiaritas, non affectetur ipsorum arctior amicitia, sed debita cum austeritate temperetur amor & benevolentia, ut intelligant, non peccatorem sed peccatum odio haberi, & hujusmodi conversatione etiam ad peccati agnitionem adducantur, tandemq; cum Ecclesia in gratiam redeant, quæ omnia salvâ vi & efficacia excommunicationis fieri queunt, & tale temperamentum hoc in genere à Paulo nostro præscribitur, dum nimiam eorum familiaritatem quidem prohibet, ut confundantur; ut fratres tamen eos tractari corripiq; vult, ut emendentur.*

## Aphorismi Locorum Communium ex hac parte Capitis.

*1. Tutissima ratio est ducendi peccatores ad pœnitentiam, si vitentur, ut Paulus suis præcipit v. 6. Ita enim confundantur, dum alios à sua conversatione abhorrere vident, & alij non inficiuntur: solet enim paulùm fermenti totam vitiare*

*massam* 1. Corinth. 5, 6: *& qui tangit picem, maculatur ab ea* Sir. 13, 1. *His de causis Apostolus alibi nec commisceri vult pios, nec cibum sumere cum fornicatoribus, avaris, idololatris, maledicis, ebriosis, rapacibus &c.* 1. Corinth. 5, 11. *Longè facilior hæc est ratio lucrandi animas, quam cum mulctæ pecuniariæ imponuntur delinquentibus. Facilis enim jactura pecuniæ est apud improbos: sed naturalis pudor eos, qui scintillam honestatis adhuc sentiunt, ad honestatem invitat, cum se tanquam catharmata ab omnibus bonis vitari vident; quorum gratiam emendatione vitæ promereri student.*

2. *In Ecclesia non ad nutum unius vel alterius sed ad præscriptum verbi, & secundum constitutiones Ecclesiasticas vivendum est: inordinatè enim vivere dicuntur, qui pro arbitrio suo vivunt v. 6. ideo namque omnia ordinè ac decenter fieri vult Apostolus in Ecclesia* 1. Cor. 14, 40. *& turbatores ordinis pœnâ digni sunt. Quæ enim salutariter constituta, & à multis annis utiliter observata sunt, nullius privato arbitrio vel abroganda sunt, vel violanda: & est hæc pars ministerij, attendere, ut decens ordo in Ecclesijs observetur: quò pertinet admonitio Pauli: obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idem dicatis omnes, & non sint inter vos schismata* 1. Cor. 1, 10.

3. *Quilibet Ecclesiæ minister ita vivat, ut confidenter ad suum exemplum, tanquam normam quandam revocare possit exorbitantes, sicut Paulus fecit v. 7 & 9. Multum enim valet vita docentis: quam ob causam ad Titum suum scripsit Apostolus: In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate &c.* Tit. 2, 7.

4. Etsi

4. *Etsi ministri Ecclesiæ ad labores manuarios non sunt obstricti: in officio tamen suo strenuè laborent, ne gratis panem manducent, ne oneri sint Ecclesiæ, & ne ignaviâ suâ alios vel seducant vel offendant: his enim de causis Paulus labores suos commendavit v. 8 & 9. Nam alimenta ab Ecclesia non dantur otiosis, & onus Reipub. est sustentare eos, quorum nullus est usus, & facilè hærent exempla eorum, qui nobis sunt præpositi: Ideo Christi & Apostolorum labor indefessus in prædicando Evangelio sæpe commendatur in scriptura, ut meminerint officij sui, nec tædio laborum facilè capiantur, qui officio tam sancto sunt præfecti.*

5. *Regula Apostoli*: Si quis non laborat, non manducet v. 10. *ubique & in omni vitæ genere observanda est. Originem enim habet ex institutione divinâ, siquidem post lapsum homini injunctum est, ut in sudore vultus edat panem suum* Gen. 3, 19. *& labores manuum suarum manducantes benedicuntur* Psal. 128, 2: *Ethnici quoq; ignavos fucos à præsepibus arcebant, & ignaviæ comitem individuum judicabant miseriam, sicut Virgilius scribit:*

Ast qui desidiam luxumque sequetur inertem,
Turpis inopsq; simul miserabile transiget ævum,

*& tritum illud est: qui fugit molam, fugit & farinam. Quin & magni principes artem aliquam didicerunt, ut haberent quo otium fugarent: multa enim mala docuit otiositas* Sir. 33, 29. *Quilibet ergo semper habeat, quod agat, ne nihil agendo malè agere discat: sive laboret consilijs & studijs liberalibus, sive manuarijs operibus inserviat Reipub. omnis iste labor utilis est & alijs, & ipsi laboranti.*

6. *Validi mendicantes non sunt tolerandi in Repub. quia curiosè agunt, v. 11. hoc est, immiscent se alienis, detrectant aliorum laboribus: nam quid sit laborare, ipsi non intelligunt.*

Idcirco

*Idcirco Deus ipse in politia Judaica nullum omnino mendicum toleravit.* Deut. 15, 4. *& ut huic ordini divino satisfieret, æraria publica constituerunt Apostoli, unde alerentur ij, qui per imbecillitatem viriũ ipsi victum sibi parare non poterant* Actor. 6. *singulis etiam sabbathis pecuniam colligebant, postea inter pauperes distribuendam.* 1. Cor. 16, 2. *vicissim autem qui per valetudinem poterant, hos ἐξ ἀμοιβῆς πεάτ-τειν, & manibus suis honestè laborare jubebant* 1. Thessal. 4, 11. Ephes. 4, 28. *Sic & sequentes Ecclesiæ mendicitatem pro turpitudine publica habuerunt, ut Aventinus testatur, & Tertullianus in Apolog. cap. 39. scribit, Christianos olim modicam stipem, menstrua die, vel cum velint, & quantum velint, apposuisse coram quinque probatis senioribus; & hæc deposita pietatis nominat, nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisq; & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamq; domesticis senibus, item naufragis, & si qui in Insulis vel in custodijs, duntaxat ex causa Dei sectæ, alumni confessionis fiunt. Et cum Atticus Episcopus Calliopio Ecclesiæ Nicenæ presbytero trecentos aureos mitteret, pauperum eleemosynam, hanc admonitionem addidit: Velis autem in eos conferre, non qui ventris causa, quasi mercaturam per totum vitæ tempus mendicando exercent, sed qui mendicare erubescunt, referente Socrate* lib. 7. hist. Eccles. cap. 25. *In hunc autem finem hæ pecuniæ in publicum deponebantur: ne mendicantes essent. Eandem sanctionem Plato in sua observavit Repub. cum scribit in* lib 11 de Legibus. *Nemo in nostra civitate mendicus esto. &* lib. 8. de Repub. *judicat, in qua civitate multi sunt mendici, in eadem plurimos esse fures, & prædones. Et putarunt veteres, tria inprimis esse Reipub. noxia, nimirum Leprosos, cadavera mortuorum, & validos men-*

*dicantes, ideo ſicubi fortè mendicantes reperirentur, ſtipem eis dabant cum pugno, juxta græcum verſiculum:*

δὸς πτωχῷ ἄρτον, καὶ κάνδυλον ὅλον ἐπ' αὐτῷ.

*Ita quoque ſonat antiquiſſima conſtitutio Caroli Magni:* Mendici per regionem vagari non permittuntor, ſuos quæque civitas pauperes alito: illis niſi manibus operentur, Nullus quidquam dato. *Et aliorum Imperatorum leges ſunt: inopes quæq; civitas ſuos alito: mendicos arceto; aliò niſi copia egenorum oppreſſa, & cum elogio ne dimittito: nulli præterquam morbo vel debilitate coacto mendicare permittito &c. Vide* Camerar. in Hor. ſucciſ. part. 2. cap. 74. *Quæ conſtitutiones à Paulo noſtro mutuò ſumtæ, & juſtam habent rationem ab eodem Apoſtolo allegatam, quia ignavi ventres fiunt curioſi, in quo vitio ut & in alijs multis confirmantur ab ijs, qui voluntariæ eorum paupertati ſuccurrunt. Unde ille apud Comicum in Trinummo: De mendico malè meretur, qui ei dat, quod edat aut bibat. Nam & illud quod dat perdit, & producit illi vitam ad miſeriam:*

[*Hanc Plauti ſententiam deteſtandam vocat Lactant. lib. 6. cap. 11. Si nimirum intelligatur de immiſericordia & intermiſſione omnis beneficentiæ.*]

*Et Auguſtini dictum eſt ad Vincent. Donatiſtam: Utilius eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſecurus juſtitiam negligat, quam ei frangitur, ut injuſtitiæ ſeductus adquieſcat: cum quo etiam conſentit Siracides* cap. 12, 5. *& Baſil.* in Pſal. 14. *Qui arte ad fallendum cantilenas mendicitatis edocti, ulcera corporisq; multilationes quæſtus cauſa prætexunt, his non oportet ſuppeditare, aut exiguo dono eorũ latratum depellere, ne ad ignaviam aut malitiam ſumtus ſuppeditentur, ſed veris & exploratis pauperibus liberaliter largiendo Domino fœneraveris. His graviſſimis de cauſis utile eſſet, probè*

atten-

attendere, ne mendicantes validi invalescant, sed potius juxta monitum Apostoli nostri, ad labores adigantur.

7. Labores nostri cum silentio fieri debent v. 12. hoc est, (1.) absq; curiositate; nemo enim se immiscere debet negotijs alienis Sir. cap. 11. & quod tuæ vocationis non est, non captes curiosus Sir. 3, 32. (2.) absq; ambitione & cupiditate inanis gloriæ, juxta præceptum Apostoli: nihil per contentionem aut inanem gloriam Phil. 2, 3. (3.) cum magnâ patientiâ, ne murmuremus adversus Dominum, aut alijs quietem suam invideamus, si fortè labores habent leviores, juxta illud: non oderis laboriosa opera Sir. 7, 16.

8. Manus nostræ semper promtæ sint ad benefaciendum v. 13. Etsi enim non semper digni sint, quibus benefacimus, nostro tamen subsidio sunt indigi. Nam & Deus, cujus misericordiam imitari jubemur, non secundum dignitatem, sed necessitatem nostram nobiscum agit. Et Christus ipse dicit, nos semper pauperes nobiscum habere Matth. 26, 11. quos Deus nobis adjungit, ut semper habeamus benefactorum exercitia. His ergo ita benefaciamus, ut nesciat sinistra, quid fecerit dextra Matth. 6. Ideo Chrysostomus beneficia præstanda dixit μετ' ἀφελείας cum simplicitate sæpè enim datur humanitati, quod negatur homini. Si verò periculum est, ne beneficentia nostra fiat nutricula ignaviæ aut malitiæ, abstinendum potius est à benefactis, & contrahenda liberalitas: duo enim sunt liberalitatis fontes, dicente Valerio Maximo, nempe verum judicium, & honesta benevolentia, quorum hæc manus regit, illud oculis modum statuit, ne beneficium collatum etymi sui nomen & naturam amittat, siquidem juxta Ennij judicium apud Ciceronem, benefacta malè collocata malefacta sunt.

9. Malitiosi homines vitandi utiq; sunt, non autem planè negligendi, habendi enim sunt, ut fratres v. 15. Moderata er-

go debet esse eorum correctio. Etsi enim Johannes vult, ut eis ne quidem ave dicamus. 2. Johan. v. 10. non tamen omnem salutationem prohibet, quia benedicendum etiam est inimicis Luc. 6, 28 sed familiariorem saltem conversationem, ne vitijs ipsorum favere videamur. In omni enim disciplina Ecclesiastica, non exitium sed salus hominum quæritur, ut patet ex 1. Cor. 5, 5. 2. Cor. 2, 6 & 7. 10. &c.

10. Summa votorum nostrorum sit pax cum Deo, quam precatur Paulus suis v. 16. Nihil enim miserabilius est, quam si Deus discessit ab homine Ose. 9, 12. ut & nihil felicius, quam cum gratiâ suâ dignatur hominem. Ibi pax conscientiæ sequitur, ut & salus ex inimicis nostris; pax etiam & concordia cum proximo libentius alitur, ut omnes uno humero serviamus Deo, & ijsdem beneficijs affecti pari studio nos ei gratos præbeamus.

11. Votum, quod D. Paulus manu sua Epistolis suis subscripsit v. 37. summam præcipuam scriptorum Paulinorum indicat, eaq; à doctrina pseudoapostolorum discriminat. Complectitur enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quæ pretiosissimus thesaurus est hominis pij, & fons salutis nostræ: quam alij in operibus suis quærunt, nobis verò in gratuita misericordia Dei parata est, id quod urget Apostolus omnibus suis in Epistolis. Quidquid ergo in negotio salutis nostræ gratiæ divinæ opera hominum admiscet, id non habeatur pro Apostolico, quia extra Christum per gratiam Dei nobis donatum nulla est justitia, nulla salus. Ab hac ergo gratia ne excidamus cavendum est, & ut ejus suavitatem in omnibus necessitatibus nostris gustemus, alter alteri ex pio adfectu comprecemur. Deo verò Patri Domini nostri Jesu Christi, qui nos ex merâ gratiâ dilexit in Filio suo, sit honor, laus & gloria in sempiterna secula. Amen.

INDEX

# INDEX PRIMUS,

*qui est*

## Dictorum Scripturæ, quæ in hoc commentario I. Epist. Thessal. continentur & explicantur.


*Deuteron. cap. 19. v. 20. Non fœnerabis fratri tuo. p. 154.*
*Ezech. cap. 18. v. 31. facite vobis cor novum. p. 45. 235.*
*Amos. cap. 9. v. 4. 5. convertam captivitatem populi. p. 90.*
*Ose. cap. 3. v. 4. 5. dies multos sedebunt &c. p. 90.*
*Zach. cap. 1. v. 3. convertimini &c. p. 45.*
*Marc. cap. 13. v. 32. De die illa &c. p. 207. seqq.*
*Roman. cap. 1. v. 21. Gentes cognoverunt Deum. p. 136.*
*v. 19. quod notum est Dei &c. p. 152. seqq.*
*cap. 11. v. 25. nolo vos ignorare fratres p. 90.*
*v. 16. omnis Israel salvabitur. p. 85.*
*2. Cor. cap. 7. v. 1. perficite sanctificationem. p. 235.*
*cap. 12. v. 16. cum essem astutus &c. p. 70. seq.*
*Eph. cap. 4. v. 13. Induite novum hominem. p. 235.*
*Colos. cap. 1. v. 27. Christus spes nostra p. 94.*
*1. Tim. cap. 1. v. 1. Christus spes nostra. p. 94.*
*1. Petr. cap. 2. v. 21. Christus passus est in carne &c. p. 204.*
*Epist. Judæ v. 3. Fides sanctis semel est tradita. p. 108.*

# INDEX SECUNDUS,

## Quæstionum controversarum, secundum ordinem Capitum.

Quæstiones ex Cap. I. 1. Epist. Thessal.

PARTIS I.

*Q. I. Cum Apostolus scribat v. 2. se semper mentionẽ facere Thessalonicensium in precibus suis, quæritur an etiam sanctorum defunctorũ in precibus nostris rectè absq; peccato meminisse valeamus p. 15.*

*Q. II. Tribuit Apostolus Paulus fidei opus v. 3. rectene hinc colligitur: Fides est opus: Nos justificamur fide. E. justificamur opere? pag. 18.*

PART. II.

*Q. I. Cum Apostolus Paulus scribat v. 5. Evangelium nostrum non fuit in sermone tantum sed & in virtute & Spiritu S. Quæritur, an Evangelium seu verbum Dei etiam extra usum habeat virtutem illuminandi, convertendi & salvandi homines sibi insitam? p. 40.*

*Q. II. Cum divus Paulus de conversione Thessalonicensium loquitur, v. 9. quomodo vos convertistis ad Deum: quæritur igitur, an homo possit seipsum ad Deum convertere, aut saltem sui conversionem ex viribus suis juvare? p. 44.*

*Q. III. Num idola, à quibus conversi dicuntur Thessalonicenses v. 9. etiam complectuntur Imagines? pag. 47.*

*Q. IV. Quomodo Thessalonicenses jubentur Christum expectare è cœlis, cum tamen reditus eius è cœlis tunc nondum instaret, ut in 2. Thess. 2. v. 2. docuit? p. 48.*

Quæstiones ex Cap. II.

PARTIS I.

*Q. I. Scribit Apostolus v. 2. Exhortatio (seu doctrina) nostra non fuit apud vos in dolo: quomodo verò congruit hoc cum eo, quod 2. Cor.*



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767067223/phys_0454
DFG

12. v. 16. scripsit, cum essem astutus dolo vos cepi? p. 70. seqq.

Q. II. Si Paulus non quærit gloriam ab hominibus, neq; à Thessalonicensibus, neq; ab alijs, uti v. 6. loquitur: cur ergò in sequentibus ita gloriatur, quod ipsis non fuerit oneri, apud instar matris eos foverit v. 7. quod animam suam pro ipsis tradere voluerit v. 8. quod eos non gravaverit v. 9. quod sanctè, justè & sine querela apud ipsos fuerit v. 9. p. 71. seqq.

Q. III. Quomodo Paulus de se scribere potest se sanctè, justè, & sine querela vixisse apud Thessalonicenses, v. 10. cum tamen nemo dicere possit, mundũ est cor meum, purus sum à peccato Prov. 20, 9. p. 73. seqq.

PARTIS. II.

Q. I. Quo sensu verbum Apostoli Pauli vocatur non hominum, sed verè Dei verbum? p. 86.

Q. II. Num de alijs etiam Ecclesiæ Doctoribus, qui non sunt Apostoli, dicere possum, quod verbum ipsorum non hominum verbum sit, sed verè verbum Dei? p. 87.

Q. III. Scribit Apostolus v. 16. venisse super Judæos iram Dei usq; ad finem: nunquid ergò de universali Judæorum conversione desperatum est? p. 88. seqq.

Quæstiones ex Cap. III.

PARTIS. I.

Q. I. Quorsum opus est stabilitione fidei, de qua Paulus scribit v. 2. cum tamen metuendum non sit, ne quis fide sua excidat, de qua Judas scribit in Epist. sua v. 3, fidem sanctis semel esse traditam? p. 107.

Q. II. Cur S. Paulus non vult Thessalonicenses moveri in tribulationibus Ecclesiæ v. 3. nunquid Stoica ipsi placet ἀπάθεια? p. 108.

Q. III. Qui fit, quod D. Paulus, qui tam multa occulta abditaq; novit, Thessalonicensiũ statum ignoravit, ita ut ad explorandum eum Timotheum illuc miserit vers. 5? pag. 110.

PARTIS. II.

Q. Cum Paulus hic tantopere desideret coràm confirmare & supplere, quæ desunt Fidei Thessalonicensium, dubitare aliquis possit quo sensu supra fidem ipsorum adeo commendarit, tanquam celeberrimam in omni loco? cap. 1. v. 8. p. 117. seqq.

PARTIS. III.

Q. Quomodo corda nostra confirmari possint, ut sint sine querela,

ut Pau-

*ut Paulus loquitur v. 13. cum passim ubiq; in mundo satis sit defectuum & querelarum? p. 124.*

Quæstiones ex Cap. IV.

PARTIS. I.

*Q. I. Cum D. Apostolus velit, unumquemq; maritum uti conjuge sua (quam vas ejus nominat) in sanctificatione & honore, & non in passione concupiscentiæ v. 4. quæritur quomodo maritus circà consuetudinem conjugalem cum propria uxore peccare possit? p. 151. seqq.*

*Q. II. Quomodo Paulus scribit: gentes ignorare Deum v. 5. cum ad Rom. cap. 1. v. 19. fateatur: τὸ γνωστὸν Θεοῦ, manifestum esse in gentibus, Deum enim manifestasse, & v. 21. gentes Deum cognovisse, sed non ut Deum glorificasse? p. 152.*

*Q. III. Cum Paulus severè prohibeat, ne quis in negotio circumveniat FRATREM v. 6 quæritur, an circumvenire liceat eos, qui non sunt Fratres, ut Judæos, & alios qui foris sunt? p. 153. seqq.*

PARTIS. II.

*Q. I. Annon D. Paulus statuere videtur, quasi pij tantum à mortuis sint resurrecturi, quia scribit v. 14. Si credimus, quod Christus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum adducet cum eo? p. 176, 177. seq.*

*Q. II. Cum D. Paulus ultimum Christi adventum non supervixerit, quomodo scribere potuit; Nos, qui vivimus, qui residui sumus, non præveniemus eos, qui dormierunt &c. p. 179.*

*Q. III. Num ijs qui in novissimo die superstites reperiuntur, moriendum erit, antequam Christo rapiantur obviam in aëra? p. 180.*

*Q. IV. Eritne inter resurgentes in novissimo die ordo aliquis temporis, quia Paulus noster scribit: mortui qui sunt in Christo, resurgent primi, deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus? p. 180, 181. seq.*

Quæstiones ex Cap. V.

PARTIS. I.

*Q. I. Scribit Apostolus v. 1. de temporibus ac momentis (sc. ultimi diei) non indigetis ut scribamus vobis; num fortè & Christus non indiguit illa momenta nosse, siquidem expressè dicit Marc. 13, 32. De die illa vel hora, nemo scit, neq; Angeli in cœlo, neq; filius, nisi pater. p. 207. seqq.*

Q. II. Quomodo scribit Apostolus qui ebrij sunt, noctu sunt ebrij, v. 7. cum subinde etiam aliquos interdiu ebrios cernamus? pag. 209. seqq.

Q. III. Rectene ex dicto Pauli, Deus non posuit nos ad iram, sed ad salutem consequendam &c. v. 9. colligi potest, Deum reprobos ad æternam damnationem prædestinasse? pag. 210. seqq.

PARTIS. II.

Q. I. Videte inquit Paulus, ne quis malum pro malo alteri reddat. v. 15. annon pugnat hoc cum lege talionis, de qua Christus Luc. 6. 38. eadem mensura qua mensi fueritis, remetientur vobis, & in Apocalypsi de Babylone dicitur: Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis? Apoc. 18, 6? 227. seqq.

Q. II. Semper gaudete, inquit Apostolus, v. 16. cur ergò alibi: flete cum flentibus Rom. 12, 15. & Christus Discipulis suis prædixit: amen amen dico vobis, plorabitis & flebitis, mundus autem gaudebit Joh. 16. v. 20? pag. 229. seq.

Q. III. Paulus ait gratias agendas in omnibus: ergò etiam in tristibus? nam de lætis nemo dubitat: pag. 230. seq.

Q. IV. Rectene ex eo, quod prophetias spernere prohibemur. v. 20. colligitur, quod qui donum prædicendi futura hodiè jactant, audiendi sint? pag. 231. seqq.

PARTIS. III.

Q. I. Num ex verbis Pauli. v. 23. ut integer vester spiritus & anima & corpus sine querela in adventum Domini nostri Jesu servetur, colligi potest, hominem tribus constare partibus, spiritu, anima & corpore? pag. 242.

Q. II. Rectene ex verbis Apostoli v. 27. Adjuro vos per Dominum, ut legatur hæc epistola omnibus sanctis fratribus, colligitur, Epistolas Paulinas ad universam pertinere Ecclesiam & ab omnibus legendam esse? pag. 243.

# INDEX TERTIUS,

*qui est*

## Rerum Memorabilium, quæ in hoc Commentario I. Epist. Thessal. continentur.


A.

ÆMulatio quænam sancta? pag. 130.

*Adventus Domini quorum respectu comparetur furi pag. 193. illo tempore erunt reliquiæ Electorum in mundo. pag. 172. de tempore certo nihil est docendum in Ecclesia. pag. 188. causse. pag. 190.*

*Amicitia fraterna nobis commendatur. 239.*

*Ἄμεμπτον inculpatũ dupliciter accipitur. pag. 125.*

*Amen quid notet? pag. 161.*

*Ἀκαθαρσία quid? pag. 56.*

*Ardeliones debent quiescere. pag. 146.*

*Assentatio ordinem sacrum dehonestat. p. 59. eius artes. p. ibid.*

*Avaritia dehonestat ordinem sacrum. p. 59.*

*Azorius de peccato mariti circà consuetudinem conjugalem. p. 151.*

C.

*Canonica scripta quænam? p. 87.*

*Caritatis abundantia Christianissimi nota. p. 121. quomodo abundet, 122. eius natura & indoles. 12. 13.*

*Christus quomodo & cur Deus noster. p. 101. 114. est religiosa adoratione adorandus. p. 120. quare, ibid. liberavit nos ab irâ venturâ. pag. 38. primitiæ dormientium. 166. spes nostra. 94.*

*Christi adventus ad judicium erit stupendus. pag 170. nobis non debet esse terribilis. 37. unde? ibid.*

*Christi officium. p. 39. mortis caussa. 204. fructus. 205. doctrina divinitus inspirata. 82. 83.*

*Christus verè habuit humanam scientiam 208. imò omniscientiam.*

tiam. ibid. non semper eandem in statu exinanitionis plenariè usurpavit. ibid.
Christiani non debent esse ignorantes sed scientes. pag. 165. eorum spes optima. ibid. fundamentum. 166. quomodo à gentibus discernantur. 135 136. meritò abstinent à pollutionibus. ibid. quinam à Deo docti? 144. in beneficentia & caritate debent excellere. 145.
Christianorum nota. pag. 37. gaudium duplex pag. 229.
Communionis sanctorum pars. pag. 79. 80.
Conversio hominis duo includit. pag. 33.
Conversio gentium est transitus à simulacris ad Deum. pag. 33.
Confessionis sinceræ fructus. p. 29.
Conviviorum horæ diversæ apud veteres pag. 209. 210.
Consilia & præcepta quomodo differant. 221. Sophistica Luthero quænam? ibid.
Consilia moderna. ibid.
Conjugij usus inordinatus fugiendus. 134. quando abstinendum. 135.
χρόνος & καιρὸς quomodo distinguantur. p. 186.
Credere in Sanctos & credere in Deum quid? pag. 30.
Cum Domino esse quid? pag. 172. 173.

D.

Deus est doctrinæ Apostolicæ autor. pag. 87. facit eandem efficacem. ibid. non prædestinavit reprobos ad æternam damnationem. 210. 211. quibus epithetis distinguatur à Dijs alienis. 36. quomodo Pater Filij sui. 119. quomodo Pater noster. ibid. quomodo dicatur resuscitare Filium à mortuis. 38. conscius est omnium nostrarum actionum & passionum. 14. 15.
Dei veritas unde cognoscatur. pag. 35. 36. vita. ibid. misericordia est immensa. 200. ira. ibid. notitia duplex. 152. 153. naturalis. ibid. revelata. 153. hæc neminem salvat. ibid.
Defunctorum mors somnus. ibid. quomodo dormiant. ibid. & pag. 162. moderatè lugendi. 163.
Δύναμις usurpatur in scriptura de virtute miraculosa. pag. 24. interdum

terdum conjungitur cum Spiritu. 25.
Doctrina Evangelica in quo consistat p. 25. quænam regno Christi quàm proxima. 85. nemini piorum invidenda. 240. distinguitur ab hæretica. pag. 25.
Δοκιμαζειν quid Paulo? pag. 58.

E.

Ebrietas opus tenebrarum. p. 197. seq.
Ecclesiæ ἔνυμοι. pag. 10. nota. ibid. malignantium quænam? ibid. & pag. 11.
Ecclesiæ Doctorum officium. p. 9.
Electionis vocabulum ambiguum. p. 23. judicium duplex. ibid.
Electi quo ordine ad regnum Dei adducantur. pag. 78. non sunt quærendi in Ecclesia 23.
Electi & salvandi in scriptura pro æqui pollentibus habentur. ibid.
ἐν βάρει εἶναι quid? pag. 62.
Epistolarum Paulinarum magna autoritas. pag. 240.
Epistola ad Thessalonicenses cur scripta? pag. 5. ubi scripta? ibid. eius partitio. ibid. autor. pag. 7. est canonica. ibid. eius dignitas. pag. 1. occasio. pag. 2.
Epistola ad Hebræos scriptum ἀνυπολεγόμενον pag. 8.
Ethnicorum campi Elysij. pag. 174. cæcitas in mente demonstratur. p. 33. idololatria ibid. & p. 34. repugnantia mentis. ibid. rebellio adversus Deum in voluntate. ibid. luctus in deflendis defunctis. 157. ceremoniæ. ibid. ludicra spectacula. 158. quæ consuetudo postmodum invaluit apud Christianos. ibid. 159.
(EST) non est particula ἐξηγητικὴ. 20. 21.
Evangelij felix successus est à benedictione Dei. p. 76. fructus apud Thessalonicenses ibid. & p. 77.
Expectatio Filij Dei quid? pag. 48. seq.

F.

Fides quomodo ingrediatur decretum Electionis. p. 202. cur vocetur opus fidei. pag. 12 dupliciter consideratur. 13. infirmari & auferri potest. 107. non est idea in mente. 13. individuos habet comites. ibid. & pag. 14. non debet esse πρόσκαιρος. 115.
Fides & constantia hominis cognoscitur in publicis calamitatibus. 109. non latet. 29.

*Fidei natura. ibid. objectum. ibid. 30. imperfectio agnoscenda. 116. quomodo tribuatur ἔργον. 18. 19. operatio ibid. quomodo non. ibid. duplex consideratio secundum prædicamenta. ibid. Christianæ capita. 31. defectus in Thessalonicensibus. 118.*

*Fidelium natura. p. 29. Fideles adulteri pontificiorum. pag. 107.*

*Fiducia in solum Christum collocanda. 30.*

*Fornicatio fugienda. pag. 131. pugnat cum nostra sanctificatione. 132. 133.*

*Fratres quatuor modis in scripturis dicuntur. p. 99.*

G.

*Gentes ignorarunt Deum. p. 136. quomodo aliquo modo eum cognoverint? ibid. 153.*

*Gloriatio duplex. pag. 73.*

*Gratiæ agendæ Deo etiam in tristibus. pag. 230.*

H.

*Harmonia quænam optima in auribus Dei? pag. 113.*

*Homo in sua conversione merè patiens. 44. non convertitur ut truncus. 45. seq.*

*Hominum resuscitandorum duæ classes. 167.*

I.

*Idolum & imago differunt ut genus & species. pag. 47.*

*Idola quid Paulo? p. 31.*

*Ignorantia parit luctum. p. 164.*

*Immutatio corporum in novissimo die qualis? pag. 180.*

*Impietas justas denig; luit pœnas. p. 191.*

*Impios resurrecturos esse à morte probatur. pag. 177. cur illorum non faciat mentionem Paulus. p. 178.*

*Impiorum notatio. p. 193. eorum qui sunt extra Ecclesiam miserrima conditio. ibid. & p. 194.*

*Ingredi quinam dicantur in scriptura. p. 52.*

*Ira Dei quid contineat. p. 81.*

*Itinerum & expeditionum nostrarum successus à Deo petendus. pag. 121.*

*Judæi Matrem Christi in suis synagogis blasphemant. p. 89. media conversionis contemnunt. ibid. maledicti. ibid. singuli non notantur per omnem Israelem. p. 90. negant impiorum resurrectionem. 177. injurij. 80. restite-*

*runt Spiritui Sancto. 81. moderni non sunt circumveniendi. 154.*
*Judæorum totalis conversio desperata p. 84. 85. 89.*
*Judæorum synagoga in Thessalonica p. 2.*
*Juramenta quænam Deo aversa? pag. 61.*
*Juramento confirmare rem seriam interdum licitum est. pag. 60. itemq; eodem aliquem obligare. 241.*
*Jurisjurandi natura. pag. 61.*

L.

*Labor commendatur & suadetur. pag. 147. 148.*
*Laborum origo. pag. 148. adjuncta. ibid. discrimen. 149. cur laborandum? ibid.*
*Luctus in funere nostrorum non est prohibitus. 163. eius usus. ibid. materia. ibid. & pag. 164. non debet esse nimius. ibid.*

M.

*Malum gravius quod ab amicis quam inimicis oritur. p. 79.*
*Maritus quomodo peccet circà consuetudinem conjugalem cum uxore. pag. 151. 152.*
*Martyrum Christi & Diaboli differentia p. 28.*
*Memoria nostra quibus paranda? p. 114.*
*Mendicantes validi publica Reipublicæ onera. p. 147.*
*Mendicitatis caussa. p. 148.*
*Millenarij & Chiliastæ de resurrectione mortuorum. pag. 171. refutantur ibid. & p. 172.*
*Ministerio debetur reverentia. pag. 88.*
*Ministri Ecclesiæ non sint otiosi. p. 52. 53. eorum gaudium. ibi. sint constantes. p. 55. addant publicas προσφωνήσεις ad exercitia doctrinæ. 129. quod fieri debet cum mansuetudine. ibid. neq; rationibus fictis. ibid. sint laboriosi de salute Ecclesiæ. 216. non sint pigri ventres neq; genio indulgeant. ibid. sint ἀυτάρκεις. pag. 65. quænam ipsis faciant vitam laudabilem. pag. 67. sint curiosi. 67. 68. interdum præcones laborum suorum pag. 72. corde sint præsentes ovibus, si non corpore. p. 92. impedimenta à Satana immissa patienter ferant 99. Sint fideles. 59. sese submittant alijs. 62. non ambitiosi. ibid. ament Ecclesiam suam. 64. non sint sibi conscij ullius erroris in fide. 57. neq; ullius*

*sceleris in vita ibid. & p. 66. quinam hic peccent? ibid. præsint in Ecclesia in Domino. 217. admoneant auditores, ibid. corripiant inquietos. 218. consolentur pusillanimes. 219. suscipiant infirmos. ibid. sint patientes erga omnes. 220. pro fide & constantia suorum auditorum Deo gratias agant. 115. quando non audiendi. ibid.*

*Ministrorum Ecclesiæ verbum est Dei verbum. 87.*

*Ministris Ecclesiæ debetur honor. p. 62. 213. 215. illis magis cura sit salus Ecclesiæ quam propria. 99.*

*Ministros contemnere est Deum contemnere. ibid. illos decet commendatio mutua p. 101. ad quid prosit? 102.*

*Monachorum superbia. p. 116.*

N.

*Negotia secularia non pugnant cũ confessione Christiana. p. 139. fieri possunt bona cũ conscientia. ib.*

*Non renati suo modo se convertere dicuntur. 45.*

*Novissimorum memoria debet nobis esse grata. 175.*

*Novissimi diei vera præparatio. p. 200.*

O.

*Opera bona sunt necessaria. p. 129. quomodo. ibid. & pag. 130. in eis semper contendendum ad suprema. ibid. quomodo. ibid.*

*Opificũ labor commendatur. p. 147.*

*Orationes pro mortuis olim quales? pag. 18.*

*Osculorũ significatio apud Judæos. p. 238.*

P.

*Papia quis? p. 171.*

*παρακαλεῖν quid? p. 56.*

*Particulæ de Christo, è cœlis, Unde, Inde, quid ostendant. p. 38.*

*Paulus se confert cum nutrice. p. 63. quomodo Deo probatur. 58.*

*Pauli subscriptio quid doceat? p. 8. habuit socios consentientes Paulum Sylvanum & Timotheum. pag. 9.*

*Peccati originis propria sedes. p. 234.*

*Peccata ignorantiæ non sunt extenuanda. pag. 84. non placent Deo. 83.*

*Peccatores semper in pejus ruunt, nisi maturè resistant. p. 84. quomodo fiat. ibid.*

*Perseverãtiæ nostræ πειμήλιον. 236.*

*Persequutionum causa in primitiva Ecclesia. p. 80. sunt perpetui comites Evangelij. 82. patienter ferendi. ibid.*

*Photiniani de impijs resuscitandis & resuscitatis. p. 177.*

*Pij admonendi ut in proposito suo proficiant & perseverent. pag. 143. 144. Doctorum mores observent. 26. non debent extinguere dona Spiritus. 223. 224. neq; prophetias spernere. ibid. sed spiritus probare. 225. & honestati studere. 226. sunt milites Christiani. 198.*

*Piorum quilibet in conspectu debet habere Jesum venientem ad judicium. p. 95.*

*Piorum & fidelium notatio. 104. gaudium spirituale. 222. preces. ibid. gratiarum actiones. 223. gaudium de felici successu Evangelij. 112.*

*Πληροφορία quid Paulo? p. 25.*

*Pontificij Epistolas Paulinas legendas prohibent. 240. 244.*

*Prædictiones Prophetarum & Apostolorum faciunt doctrinam eorum divinitus inspiratam. pag. 103.*

*Preces nostræ fundantur in domino Christi. p. 120. non sunt dirigendæ ad sanctos. 119. earum objectum 120. mutuæ nobis sunt necessariæ 237. sunt arma Ecclesiæ. 222.*

*Prophetarum novellorum vaticinia falsa. 122. 123. neq; cum scriptura conveniunt. ibid.*

*Prophetas & Apostolos multa latuerunt pag. 103.*

*Prophetia quid notet in Scriptura? 224.*

*Proximus non est defraudandus. 137. 138. 139. 140. 155.*

*Purgatorium terret Pontificios. 165.*

R.

*Regeneratio nostra non est ex omni parte perfecta. p. 102.*

*Regnum Christi & regnum mundi non rediguntur in concordiam. pag. 82.*

*Resurrectionis nostræ certitudo omnibus necessaria. p. 160. impiorum quomodo dependeat à Christo. ibid. est futurum supplicium. 161. erit universalis. 171.*

*Resurrectio nostra Patribus momentanea. 183.*

*Resuscitandorum ordo secundum Patres & alios p. 181. 182. qualis nam? ibid. non est considerandus respectu Dei, sed respectu nostri. ibid.*

S.

*Salutis nostræ mysterium pag. 200.*



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767067223/phys_0464
DFG

201. decretum eius gratuitum. ibid. non tamen est absolutum: quid includatur. ibid. causse 196.
Sanctificatio nostra in Baptismo imperfecta. 235. non est opus humanarum virium. ibid. diversimodè in scripturis accipitur. 132.
Sanctimoniâ erga Deum confirmati esse debemus. p. 122. 123. eaq; est à Deo petenda. ibid. quomodo confirmetur. ibid. est imperfecta ibid. & pag. 125.
Sancti tribulationes patiuntur. p. 102. quod carni ingratum. ibid. unde solatium petendum. 112. in optimis suis studijs impediri possunt. 93. unde illud impedimentum ibid. sunt spes & gaudium suorum dictorum. 94. quomodo. 95.
Sanctis non omnia fuere cognita. 110. cur Deus hoc permittat? ibid. & p. 111.
Sanctorum viventium & mortuorum non est eadem ratio. p. 16. mortuorum mentio facta in primitiva Ecclesia. ibid. cur & quomodo? 17. quatenus illorum mentio debeat fieri in precibus, & quatenus non. ibid. & p. 18.
Sanctorum operum tria genera. p. 26. quædam imitanda, quædam non. 27.
Satanæ nomen proprium. p. 104.
Scriptura de resurrectione interdum generaliter loquitur. p. 177. interdum verò resurrectionem nostram cum resurrectione Christi conjungit. 178.
Scripturæ biblicæ certitudo. p. 103.
Securitas carnalis periculosa. p. 190. est signum novissimi diei. pag. 187.
Securi comparantur mulieri prægnanti p. 187.
Socordia opus tenebrarũ p. 197. seq.
Spiritus Sancti donum Dei pag. 141. non est contristandus. ibid. quomodo distinguatur à Deo. 142. eius officium. ibid. quomodo creet novum cor? 34. verbo extra usum non adest. 45.
Spiritus quomodo ab anima distinguatur. p. 243.
Spei natura & indoles. p. 13. objectum. 166. caussa. ibid.
Status beatorum in vita æterna. p. 172.
Superstites novissimi diei non morientur. p. 180.
Symbolum Apostolicum nihil conti-

net quod non Apostoli viva voce tradiderunt p. 37.

T.

Tenebræ quid Paulo? p. 193.
Tentatio quænam à Deo, & quænam à Diabolo. p. 104. cur Deus permittat tentare homines à Diabolo. 105. 106.
Tentationum duo genera, quibus impeditur consecutio salutis æternæ. p. 199.
Tentare duobus modis usurpatur. 104.
Thessalonica quænam urbs. p. 2.
Thessalonicenses primi Apostoli Pauli discipuli. p. 2.
Traditiones hominum non sunt prædicandæ. pag. 78. Christianis non obtrudendæ. 131.
Tranquillitas animi præclara virtus. p. 146.
Tribulationes non absunt ab Evangelio p. 27. in illis non est murmurandum adversus Deum. p. 28.
Tribulationis gaudium quomodo verum. ibid.

V.

Verbo Dei extra usum nulla efficacia est tribuenda. p. 41. seqq.
Vindicta privata proximo non est inferenda p. 220.
Vita æterna quomodo in scripturis describatur. 173. 174. in quo consistat. ibid. de ea diversæ sententiæ. 174. seq.
Vocationis nostræ meditatio magnum habet momentum. p. 141.
Voluntas Dei de salvandis hominibus geminum habet respectum. p. 202. 203.
Uxorem ducere unicuiq; licitum. p. 134. est necessarium. ibid.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767067223/phys_0466
DFG

# INDEX PRIMUS II. EPIST. AD THESSAL. QVI EST DICTORUM Scripturæ.


Gen. c. 6. v. 9. Noë vir justus atq; perfectus, pag. 10.
50. 20. venditio Josephi directa. p. 117.
2. Reg. 2. 12. Elias currus & auriga Israëlis. p. 152.
Psalm. 147. 15. verbum dicitur currere. p. 151.
Esaiæ. 63. 17. quare errare nos fecisti. p. 114. 115.
Ezech. 20. 25. dedi eis præcepta non bona. p. 114.
Syrach. 38. 25. sapientia scribæ. p. 172.
Matth. 5. 44. & 6. 28. orate pro persequentibus. p. 155.
10. 28. sed potius timete eum. pag. 43.
16. 18. super hanc petram. p. 100.
Luc. 23. 34. Pater remitte illis. p. 155.
Johan. 5. 43. Ego veni in nomine patris. p. 99.
6. 37. quidquid datum est à patre. p. 157.
9. 22. & 16. 2. ἀποσυναγωγοὶ p. 179.
17. 9. non pro mundo rogo. p. 155.
Act. 21. 21. Paulus ἀποστασίαν docuit. p. 93.
13. 48. crediderunt quot quot ordinati. p. 157.
Rom. 1. 24. 26. & 28. tradidit Deus in desideria. p. 114.
8. 30. quos prædestinavit vocavit p. 157.
9. 3. optabam anathema esse. p. 156.
1. Cor. 10. 11. in quos fines seculorum. p. 79.
2. Cor. 1. 12. Gloria nostra hæc est. p. 11.

1. Tim. 4. 1. ἀποστήσονταί τινες πίστεως p. 93.
Tit. 1. 1. fides electorum est. p. 157.
1. Pet. 4. 7. omnium finis appropinquavit. p. 79.
1. Joh. 2. 18. Filioli novissima hora. p. 79. & 101.
2 Johan. v. 10. ne ave quidem dicatis. p. 188.
Jacob. 5. 8. adventus Domini appropinquavit. p. 79.
Ep. Judæ v. 3. fides semel est tradita. p. 121.
Apocalyp. 15. 8. jacebunt in plateis. p. 105.

# INDEX SECUNDUS

## Secundæ Epist. Thessal. qui est Quæstionum controversarum secundum ordinem Capitum.

Quæstiones ex Cap. I.

PARTIS. I.

*Q. I. Annon cum imperfectione nostræ renovationis pugnat, quod fides dicitur ὑπεραυξάνειν & caritas πλεονάζειν 1.3? pag. 9. seq.*

*Q. II. Cum Paulus glorietur de Thessalonicensibus v. 4. annon gloriatur in hominibus & in carne, quod in alijs improbat 1. Cor. 3. v. 21. 2. Cor. 11. v. 18. & in solo Domino gloriari jubet 1. Cor. 1. v. 31. & 2. Cor. 10. v. 17. & Jerem. cap. 9. v. 22? p. 11. seq.*

*Q. III. Quomodo possumus esse digni regno Dei, pro quo patimur v. 5. cum tamen alibi scribatur non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis Rom. 8. v. 18? p. 13. seq.*

PARTIS. II.

*Q. I. Licitumne lætari in pœnis inimicorum, cum Siracides dicat, noli de mortuo inimico tuo gaudere Sirac. 8, 8. & Christus jubeat benefacere ijs, qui nos oderunt Matth. 5. 44? p. 26. seqq.*

*Q. II. Si justum est, apud Deum, requiem retribui in novissimo die, ijs, qui tribulationem passi sunt, ut Paulus scribit v. 7. annon requies illa vitæ æternæ piorum sit meritum atq; debitum? p. 29. seq.*

*Q. III. Rectene corporalis Christi absentia à terris colligitur ex eo, quod Christus ultimo suo adventu revelandus dicitur de cœlo v. 7? p. 31. seqq.*

*Q. IV. Num omnes beati afflictionem passi, eas pro regno Dei passi sunt, ut Paulus innuere videtur. v. 5? p. 33. seqq.*

*Q. V. Quænam sunt pœnæ infernales, quas Deus inflicturus impijs dicitur v. 8. & 9? p. 35. seqq.*

Q. VI. Pœna damnatorum in inferno qui potest esse æterna, ut Paulus loquitur v. 9. cum tamen Christus dicat, Deum corpus & animam occidere in gehenna. Matth. 10. v. 28? p. 40. seqq.

Q. VII. Annon Deus injustus est, qui pro temporali delicto æternum infligit supplicium? p. 44.

Q. VIII. Nunquid præmium beatorum & pœna damnatorum in die judicij demum incipit, ut colligi posse videtur v. 7. & 8? pag. 45. seq.

Q. IX. An nulla erit pœnarum infernalium differentia, cum Paulus noster scribat, tàm eos, qui Deum planè non noverunt, quàm qui Evangelio Christi non auscultarunt, pœnas æterni exitij luituros. v. 8? pag. 46. 47.

## Quæstiones ex Cap. II. PARTIS I.

Q. I. Cur Paulus scribit, aggregationem nostri ad Christum fieri in ultimo ejus adventu v. 1. cum scriptura alibi animas piorum cum Christo jungat, quam primum corporibus solventur Luc. 23. v. 43. Philipp. 1. v. 23. p. 77. seqq.

Q. II. Qui fit, quod Paulus negat, ultimum instare diem, cum tamen reliqui Apostoli contrarium disertè affirment, quando nos in fines seculorum incidisse ultimum tempus, & novissimam horam adesse finem omnium imminere, adventum Domini appropinquare scribunt 1. Cor. 10. v. 11. 1. Joh. 2, 18. 1. Petr. 4. v. 7. Jacob. 5, v. 8? p. 79. seqq.

Q. III. Cur seductores vocantur qui dicunt instare novissimum diem v. 3. quorum sermonibus non esse fidendum scribit Apostolus, cum tamen utile sit hujus diei sæpè meminisse? p. 81.

Q. IV. Cum Paulus doceat suo quidem tempore nondum instare novissimum diem, innuit tamen fore hujusmodi diem, quo venturus erit Dominus v. 2. ideò haud absre quæritur, quid statuendum sit de fine mundi, in quem adventus ille Domini incidit? p. 82. seq.

Q. V. Cum Apostasia ultimum Christi adventum præcessura sit, quæritur num Apostasia semper notet defectionem à tota fide Christianâ? p. 91. seq.

Q. VI. De quanam Apostasiâ loquitur Paulus Apostolus, cum scribit, nisi venerit apostasia seu defectio &c. v. 3? pag. 94. seq.

Q. VII. Est nè Antichristus, de quo Paulus noster, unum quoddam & certum individuum, an integrum quoddam quasi corpus? pag. 96. seq.

Q. VIII. Quodnam est illud templum, in quo Paulus Antichristum sessurum scribit? p. 104. seq.

Q. IX. Quodnam est discrimen miraculorum divinorum & diabolicorum, cum Paulus noster scribat, adventum Antichristi esse secundum operationem Satanæ, in omni virtute, signis & prodigijs mendacibus. v. 9. p. 110. seq.

Q. X. Scribit Apostolus immittere Deum operationem erroris. v. 11. quomodo hoc facere potest, ut non sit causa efficiens erroris, seu peccati? nam immittere est operari & efficere. p. 114. seq.

PARTIS. II.

Q. I. Cum electi dicamur in fide veritatis. v. 13. rectene hinc colligitur Deum in decreto Electionis inclusisse etiam fidem? p. 134. seq.

Q. II. Numquid ex eo, quod Electio facta scribitur ἀπ' ἀρχῆς v. 13. colligi potest, quod electi à vera doctrina nec totaliter nec finaliter deficere, nec salute excidere possint? pag. 137.

Q. III. An distinctio Pontificiorum inter verbum scriptum & non scriptum locum habeat in textu Paulino, ubi jubentur Thessalonicenses retinere traditiones sive per sermonem sive per epistolam acceptas v. 15. ibid. & seqq.

Q. IV. Numquid omnes traditiones, quocunq; tandem nomine veniant, ex Ecclesijs reijciendæ sunt, ut soli sacræ scripturæ sua constet autoritas? p. 141. seqq.

Quæstiones ex Cap. III.

PARTIS. I.

Q. I. Cum Paulus precari jubeat, ut liberemur ab importunis & malis hominibus. v. 2. quæritur: an & quomodo precari liceat contra impios, cum Christus orare jubeat etiam pro persequentibus & calumniantibus nos Matth. 5. v. 44. 6. 28. ipse etiam pro crucifixoribus suis oravit. Luc. 23. 34? pag. 155. seqq.

*Q. II. Quorumnam hominum est fides, cum Paulus scribat fidem non esse omnium v. 2? pag. 157. seqq.*

*Q. III. Rectenè ex eo quod Paulus scribit, Deus confirmabit vos & custodiet à malo v. 3. probari potest, fidem semel acceptam amitti non posse? pag. 159. seq.*

PARTIS. II.

*Q. I. Numquid Ecclesiæ minister ad exemplum Pauli v. 8. labore manuum occupatus esse debet, ne gravet Ecclesiam? pag. 172. seq.*

*Q. II. Si juxta Pauli regulam, manducare non debent, qui non laborant, v. 10. quid statuendum est de ijs, qui vitam contemplativam. (ut vocant) agunt in cœnobijs, aut eremis, ab omni labore divinitus præcepto alieni? p. 175. seqq.*

*Q. III. Numquid excommunicatorum conversatio penitus vitanda, quia de inordinatis hominibus scribit Paulus, ne commisceamini cum illis ut confundantur, v. 14? p. 179. seqq.*



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767067223/phys_0472
DFG

# INDEX TERTIUS

## II. Epist. ad Thessal. Qui est Rerum in hoc Commentario contentarum.

A.

*Adventus Domini sit nobis gratus. p. 118.*
*Ægyptiorum de annis mundi mendacia. p. 84.*
*Ætates mundi sex juxta Augustinum. p. 80.*
*Afflictio pro regno Dei diversimoda. p. 33. 34. qui eam patiuntur trium generum. ibid.*
*Afflictorum solatium. p. 21.*
*Aggregatio nostri ad Christum fit, quatuor modis. p. 78.*
*Angeli cur virtutes Christi appellentur. p. 22.*
*Annorum æqualitas ab origine mundi. p. 85.*
*Antichristus latuit in membris suis. p. 58. tribus à Paulo ornatur epithetis. 59. cur tempore Pauli nondum revelandus, 61. quando revelandus, 62.*
*Antichristi duo. pag. 68.*
*Antichristi fastus. p. 59. locus. 60. ruina 63. 64. qualis, ibid. à quonam ibid. opera & studia 64. 65. finis 66. ὁμωνυμία 68. regnum seductione plenum, 126. seductio quos tangat 127. pendet à decreto Dei ibid.*
*Antichristi variæ descriptiones p. 96. eius nomine quem Paulus intelligat, 102. tyrannis, destruetur & quomodo 125. malitia cur tam prolixè descripta, pag. 121. agnitio quid prosit 122. revelatio post imminutum Romanum imperium. p. 123.*
Ἀπωλείας significatio. p. 43.
*Apostasia triplex juxta Thomam. pag. 91.*
*Apostasia ab Apostolo prædicta quid moneat? p. 120. 121.*

Apostasiam quamnam intelligat Paulus? p. 95.
Apostata quid propriè sit p. 92.
Αποσωαγωγὴ quinam sint? p. 179.
Apparitiones & revelationes extrà verbum nullæ sunt. p. 118.
Ἄπποι absurdi homines quinam? pag. 152.
Ἄξιος & ἀξιωθῆναι usurpantur in Scriptura legaliter & Evangelicè. p 13. 14.

B.

Baptismus quomodo dicatur fidelium? p. 159.
Bona opera quomodo placeant Deo? p. 29. 30. quomodo ijs Retributio tribuatur? ibid. & 31.

C.

Caritatis abundantia in Thessalonicensibo quomodo intelligenda? pag. 9. 10. quomodo abundet. 16. 17. quomodo dicatur πλεονάζειν eius effectus. p. 7.
Certissimus in articulis Fidei. p. 118.
Christi revelatio quid Zanchio? p. 31. quid propriè notet? p. 32. non est absentium sed præsentium ibid. quomodo describatur. p. 33.
Christi adventus primus & novissimus distinguuntur. p. 50.
Christianismi partes. p. 7.
Congregatio in Christum est gloria piorum. p. 117
Consolatio Dei est consolatio æterna. p. 148.
Constantiæ fines p. 25. & 26.
Corpora damnatorum erunt incorruptibilia p. 37.
Crucitiatuum gradus inæquales. p. 47.
Currere quid significet in scriptura. pag. 151.

D.

Damnatorum duo genera. p. 50.
Decreta Dei octo in electione concurrunt. p. 146.
Deus quomodo immittat operationem erroris. p. 114. seqq.
Dei vox tripliciter in scriptura accipitur. p. 122.
Dei justitia in remunerandis pijs & puniendis impijs immutabilis. p. 48. eiusdem plenaria executio reservatur ad diem judicij, ibid.
Diei novissimi signa. p. 58.
Directorium vitæ nostræ debetur Deo p. 163.
Doctrina Apostolica est regula vitæ nostræ p. 161.

E.

Ecclesia vera est templum Dei

*pag.* 123. *eius basis, caput, altare, victimæ, ibid.*
*Ecclesia Apostolorum habuit præcursores Antichristi p.* 124.
*Ecclesia vera est & fuit in papatu pag.* 110. *in ea ad præscriptum verbi & secundum constitutiones Ecclesiasticas vivendum p.* 183.
*Ecclesiæ gratulandum de incremento donorum spiritualium pag.* 15. *gratulatio illa non fiat coram hostibus p.* 16.
*Ecclesiam Christus non deseruit in papatu, p.* 127.
*Electio est summum beneficium p.* 146. *est gratuita ibid. non tamen absoluta sed certum includit ordinem ibid. non est universalis, ibid. est ἀμεταμέλητος pag.* 137.
*Electionis tempus, subjectum, causa, finis, pag.* 130.
*Eis Paulus sæpè pro ἐν usurpat pag.* 105.
*Epistola secunda ad Thessalonicenses qua occasione scripta pag.* 1. *seqq. hujus scopus p.* 3.

*Evangelium Pauli est ipsum Evangelium Christi p.* 147.
*Evangelij cursum semper multi impediunt p.* 161.
*Evangelij officium p.* 50.
*Evangelio Christi quibus modis non auscultetur ibid.*
*Excommunicatorum loca in primitiva Ecclesia p.* 181. *quousq; cum illis conversandum p.* 182. *quomodo eos excludant Pontificij pag.* 180.

F.

*Fides & patientia requisita pij hominis p.* 17.
*Fides suos habet gradus pag.* 16. *à Deo petenda ibid. quomodo dicatur electorum esse p.* 158. *quia non est omnium quid moneat p.* 162. *de perseverantia in fide cur non dubitandum ibid.*
*Fidei conferendæ organon est auditus verbi, ibid. & p.* 158. *eius finis p.* 25. 26. *&* 52. *effectus p.* 7.
*Fidei abundantia in Thessalonicensibus quomodo intelligenda pag.* 9. 10.
*Fidem Calviniani electis tantum tribuunt p.* 157.
*Finis omnium quomodo immineat pag.* 80.
*de Fine mundi variæ opiniones pag.* 83. *vera sententia p.* 90.

*Finis seculorum ultimum tempus, novissima hora quomodo intelligantur incidisse p. 79.*

G.

*Gaudij communio cum omnib. sanctis magnum solatium p. 48.*
*Gloria piorum in novissimo die opponenda miseriæ in hoc seculo p. 51.*
*Gloriæ gradus in extremo judicio p. 25. effectus ibid.*
*Gloriatio in scriptura quadruplex pag. 11. 12.*
*Gloriatio justitiæ nostræ quomodo fieri possit ibid.*
*Gloriari de ijs qui in bono profecerunt, licitum est p. 17.*
*Gratiæ cur agendæ sint pro felicitate proximi spirituali p. 145.*
*Gratiæ Christi thesaurus pretiosissimus pag. 188.*

H.

*Hominum judicandorum duo genera pag. 22.*

I.

*Ignis infernalis non est elementaris pag. 37. 38.*
*Impiorum supplicio afficiendorum duo genera p. 23.*
*Impostorum artes p. 57.*
*Judicium extremum describitur pag. 21.*
*Judicis comitatus ibid. judicandi modus 22. 23. causa ibid.*
*Judicium universale post resurrectionem mortuorum certò futurum est pag. 18. quod tamen debet solari pios & terrere impios ibid.*

L.

*Labores nostri fiant cum silentio pag. 187.*
*Lætitia de inimico distingvitur pag. 27.*
*Liberalitatis duo sunt fontes p. 187.*

M.

*Malitiosi sunt vitandi non planè negligendi p. 187.*
*Manus nostræ semper promptæ sint ad benefaciendum. ibid.*
*Mendicantes validi non sunt tolerandi in Repub. p. 184.*
*Minister Ecclesiæ ad suum exemplum revocet exorbitantes pag. 183. licet non obstrictus ad labores manuarios, tamen in officio strenuè labores, p. 184.*
*Miraculum quid? pag. 115. quotuplex ibid.*
*Miracula non constituunt infalli-*



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767067223/phys_0476
DFG

*bilem notam Ecclesiæ, pag. 126. eorum differentia pag. 111. seq.*
*Monachorum & Eremittarum autores pag. 175. quid ad hoc vitæ genus impulerit ibid.*
*Monachi prisci non docuerunt sed laborarunt p. 176. cur laborare debeant pag. 177.*
*Mundi finiendi tempus pag. 88.*

O.

*Orare ac legere perpetuò superstitionis est ac olim damnatum p. 178.*
*Orandum pro impijs quomodo, 156.*

P.

*Papa Antichristus, 68. 69. est homo sceleratus, ibid. filius perditionis, ibid. Christi adversarius p. 70. fastuosus ibid. tyranno ibid. Scripturam contemnit ibid. in negotio salutis addit opera hominum ibid. relinquit homini extra Christum vires applicandi se ad gratiam p. 71. facit plures mediatores quam unum ibid. dubitare jubet de gratia & exauditione precum ibid. remissionem peccatorum venalem exponit ibid. calicis usum laicis interdicit ibid. eius studia & mores p. 25. extollit se super imperatores, reges & principes pag. 72. imò super diabolos ibid. & Deum ipsum ibid. eiusq; verbum ibid. sed hoc non faciet impunè. 75.*
*Papæ quidam pessimi hæretici. p. 71.*
*Patrum opiniones de Antichristo pag. 107.*
*Paulus quare & quatenus victum manibus suis quæsiverit p. 173. seq. singulis epistolis votum manu propria subscripsit pag. 171. cur in hac epistola Apostolatus non meminerit p. 6.*
*Pauli Φιλοπονία & διαφόρεια pag. 166.*
*Pax cum Deo sit summa votorum nostrorum pag. 188.*
*Peccatores tutissimè ad pœnitentiam ducuntur si vitentur p. 182.*
*Perseverantia in bono semper à Deo petenda est p. 51. hanc quilibet piorum alteri precari debet p. 52. eius finis ibid.*

*Permissio Dei in peccatis duplex pag. 110.*
*Piorum præmium in judicio extremo p. 24. hujus præmij causa, finis, ibid. in quibus consistat ibid.*
*Pix infernalis pag. 39.*
*πονηροὶ quinam sint p. 152.*

*Pœna damnatorum quando incipiat pag. 45. 46. æqualis quomodo & inæqualis pag. 47.*
*Pœnæ infernales secundum scripturam p. 35. 36. 37. seq. de ijs variæ sententiæ adversariorum pag. 45. refutantur ibid. & seqq.*
*Præmium beatorum quando incipiat p. 45. 46.*
*Pijs conspectus Christi venientis ad judicium jucundus p. 49.*
*Preces nullius hominis pro successu ministerij contemnendæ sunt p. 160.*
*Precum materia 161.*
*Proverbia de labore injuncto p. 167.*

R.

*Regula Pauli: qui non laborat &c. ubiq; observanda p. 184.*
*Reipub. tria noxia juxta veteres p 185.*
*Renatorum hac in vita magna imperfectio, p. 9.*
*Roma spiritualis Sodoma & Ægyptus, p. 106.*

S.

*Scriptura non est adaptata temporiri p. 148. persistendum est in doctrina Apostolica ibid.*
*Scriptum non quodvis recipiendum p. 118.*
*Scriptorum Ecclesiæ tres ordines ibid.*
*Sensus communis non est principium religionis p. 56.*
*Sive interdum est copulativum non disjunctivum p. 138.*
*Spiritus S. est cor dirigere p. 154. est Spiritus oris Christi pag. 125. per æternam spirationem p. 126.*
*Sulphur infernalis pag. 39.*
*Supplicium quare damnatis debebatur æternùm p. 44.*

T.

*Templum in quo sedet antichristus est Ecclesia p. 103.*
*Tempora novissima plena calamitatum p. 120. jam adsunt sine dubio ibid.*
*Tenebræ infernales quales pag. 36.*
*Traditio domus Eliæ p. 89.*
*Traditionis verbum quid significet p. 132.*
*Traditiones quotuplices pag. 141. cur rejiciendæ, 143.*
*Tribulationum causæ pag. 8. elogium p. 17.*

V.

*Verbum Dei quomodo dicatur currere p. 151. glorificari p. 152.*
*Verbum Dei & ministri non sunt dispescenda quoad effectu. p. 148.*

*Veritate destitui & mendacijs circumduci horribilis pœna p.* 128.
*Veritatis prædicatæ finis p.* 127.
*Vermis in inferno quidnam p.* 36.
*Virtutes Christianorum habent suos gradus p.* 10.
*Vita æterna nemo dignus nisi Deus eum dignum fecerit p.* 52. *quomodo hoc faciat ibid.*
*Vita æterna requies p.* 48. 49.
*Vocatio ad regnum Dei non fit per enthusiasmos sed per ministerium verbi p.* 147. *eius medium, & finis p.* 131.
*Vocati sunt quintuplices & p.* 147.
*Votum Pauli continet summam scriptorum suorum & ea ab alijs discriminat p.* 188.

Errata typographica, quæ in primâ Epistolâ irrepsêre, benevolus Lector sic corrigat.

Pag. 1. lin. 7. lege Θεσσαλονικεῖς. p. 7. l. 19. l. ἄῤῥητα. p. 9. l. ult. l. capite. p. 12. l. 1. l. Epist. & lin. 20. l. absq; p. 13. l. 8. l. imperium. p. 20. l. 13. l. Scripturæ. p. 22. l. 12. l. ὀργῆς. l. 26. l. electione. p. 24. l. 1. l. pœnitentia. lin. 21. l. propriè. p. 28. l. 18. l. Hi propter. & lin. penult. l. credentibus. p. 29. l. 4. l. hæc. & lin. 8. l. lateq;. p. 30. l. 7. insere Cap. 1. & ibid. lege πρὸς. lin. 20. l. בְּנֵי־אִישׁ. p. 32. l. 3. l. verò. p. 32. l. 12. l. totos. p. 36. l. 1. l. interno. p. 39. l. 16. l. Spiritus. p. 41. l. 9. l. dicere. p. 47. l. 3. l. operationi. p. 51. l. 5. l. δεδοκιμάσμεθα. ibid. l. 19. l. ἂν τροφὸς. p. 60. l. 11. l. molestiæ. p. 60. l. antepen. l. jurejurando. p. 61. l. 2. l. Amen. p. 73. l. 11. l. scribere. p. 74. l. 24. l. ἀλαλείπτως. p. 75. l. 10. l. ἀποκλεναντων. p. 91. l. 15. l. ἔμπροσθεν. p. 93. l. 21. l. Macedonenfibus. p. 95. l. 10. l. Patris. p. 98. l. 7. l. ἐπέμψαμεν. p. 111. l. 7. l. ἄρτι. l. 27. l. ὑστερήματα. l. ult. l. Ἰησοῦς. l. 19. l. vivimus. l. 21. l. gratiarum. p. 124. l. 3. l. remittit. p. 126. l. 17. l. θεοδότητε. p. 127. l. ult. l. ἔχητε. p. 134. l. 12. l. non. p. 136. l. 13. l. erunt. p. 150. l. 6. l. abutentes. p. 155. l. 16. l. κεκοιμημένοις. & lin. antepen. l. ἀρχαγγέλω. p. 156. l. 10. l. consolatur. p. 157. l. 26. l. ululatu. p. 168. l. 28. adde lib. p. 171. l. 10. l. Apostolus p. 172. l. 8. l. ἀλαῤῥήδων. p. 173. l. 7. l. venerit. p. 185. l. 19. l. nocte. p. 188. l. 1. l. improvisò. p. 199. l. 11. l. supprimuntur. p. 208. l. 26. l. thesauri. p. 217. l. 18. l. admoneant.

Errata

## Errata Secundæ Epistolæ.

Pag. 4. lin. 10. leg. elucent. p. 5. l. 20. l. χρισῶ p. 6. l. 2. l. αὐτὸς. p. 13. l. 13. l. Quæstio. 3. p. 18. l. 10. dele Colon. p. 19. l. 17. l. αὐτῶ. p. 20. l. 5. l. κυρίῳ Ἰησῶ. p. 22. l. 10. l. virtutes. p. 35. l. ult. l. opinione. p. 45. l. 21. l. Origenes. l. ult. l. moriuntur. l. 3. l. præmium. p. 56. l. 10. l. omnes. p. 73. l. 14. l. diu timor. p. 78. l. 12. l. unius. p. 83. l. 6. l. aliud. p. 94. l. 8. l. codices. p. 96. l. 24. l. peccatum. p. 97. l. 20. l. opinio. p. 98. l. 25. l. seducendas. p. 115. l. 26. l. ὡδαχωρητικῶς. p. 122. l. 27. l. dominium. p. 130. l. 7. l. κεχαριτωμένος. p. 136. l. ult. l. ἀπ' ἀρχῆς. p. 142. l. 12. l. certorum. p. 154. l. 21. l. à me. p. 159. l. 10. l. iis, qui mediis, per quæ &c. p. 162. l. 1. l. faderunt. p. 164. l. 4. l. ἡμῶν. l. 5. l. ὑμᾶς. & l. 11. l. ἀδὲ. p. 156. l. 12. l. ἐχθρὸν. p. 168. l. 4. l. ἐπάξιον. p. 169. l. 16. l. hos. p. 172. l. 6 & 7. l. si quis non obedit, hunc &c. p. 177. l. 4. l. servum. & l. 5. l. necessitas.

FINIS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767067223/phys_0483
DFG

…ccleſiæ. pag. 126.
…tia pag. 111. ſeq.
…remittarum au-
…quid ad hoc vitæ
…t ibid.
…on docuerunt ſed
…176. cur laborare
…77.
…empus pag. 88.
…erpetuò ſuperſti-
…m damnatum p.
…ijs quomodo, 156.
…, 68. 69. eſt homo
…filius perditionis,
…dverſarius p. 70.
…ranno ibid. Scri-
…nit ibid. in ne-
…ldit opera homi-
…quit homini ex-
…pires applicandi
…71. facit plures
…m unum ibid. du-
…gratia & exau-
…bid. remiſſionem
…nalem exponit
…m laicis interdi-
…dia & mores p.
…er imperatores,
reges & principes pag. 72. imò ſuper diabolos ibid. & Deum ipſum ibid. eiusq; verbum ibid. ſed hoc non faciet impunè. 75.
Papæ quidam peſſimi hæretici. p. 71.
Patrum opiniones de Antichriſto pag. 107.
Paulus quare & quatenus victum manibus ſuis quæſierit p. 173. ſeq. ſingulis epiſtolis votum manu propria ſubſcripſit pag. 171. cur in hac epiſtola Apoſtolatus non meminerit p. 6.
Pauli Φιλοπονία & ἀυτάρκεια pag. 166.
Pax cum Deo ſit ſumma votorum noſtrorum pag. 188.
Peccatores tutiſſimè ad pœnitentiam ducuntur ſi vitentur p. 182.
Perſeverantia in bono ſemper à Deo petenda eſt p. 51. hanc quilibet piorum alteri precari debet p. 52. eius finis ibid.
Permiſſio Dei in peccatis duplex pag. 110.
Piorum præmium in judicio extremo p. 24. hujus præmij cauſa, finis, ibid. in quibus conſiſtat ibid.
Pix infernalis pag. 39.
πονηροὶ quinam ſint p. 152.